




C

NICO

P.PET

P.IO

PO

PRINCEPS CHRISTIANVS

ADVERSVS

NICOLAVM MACHIAVELlum, cæterosq; huius temporis Politicos,

A

P. PETRO RIBADENEIRA NVPER Hispanicè, nunc Latinè

A

P. IOANNE ORANO VTROQVE Societatis IESV Theologo, editus,

POLONIÆ AC SWECIÆ REGI DEDICATVS.

MOGVNTIÆ,

Sumptibus Conradi Butgenij.

Cum Gratia & Priuilegio.

Anno M. DC IV.



SIG

POL

GO

MA



faciat

quibus

certa c

test, qu

acceda

ritaten

num, h

que fa

tum qu



SIGISMVNDO TERTIO

POLONIÆ, SVVECIÆ, GOTHIÆ, VVANDALIÆ REGI, MAGNO LITHVANIÆ DVCI.

NIHIL omnino fortius, SERENISSIME REX, quod hominem homini gratiorem acceptioremq; faciat, BENEVOLENTIA & FIDE: quibus si IVSTITIÆ & PROBITATIS certa opinio accesserit, dici non potest, quantum gratiæ & existimationi accedat. Illa enim amorem & auctoritatem conciliant; hæc virum bonum, hoc est, integrum incorruptũque faciunt. Hæc illa nempe Virtutum quadriga, non quâ Iulij & Augusti ad

ſti ad arſurum aliquando Capito-lium, ſed quâ Conſtantini, quâ Theo-doſij ad æternas Beatorum arces ſub-uecti. Scitiſſimè enim olim Cato eum peſſimum Imperatorem pronuntia-uit, qui ſibi imperare neſciat. Et ve-rò quî ſeipſum frenare poſſit, qui va-nis maiorum titulis inſolens, ne vi-ſo quidem VIRTVTIS veſtibulo, ad HONORIS culmen gradum affe-ctat? Quo magis dolendum, non de-fuiſſe hoc æuo noſtro, qui perſona-tum Principem non ad virtutis, ſed ambitionis & vani cuiuſdam luxus præcepta formaret ac fingeret; & Ly-ſandrum aliquem, ſolâ vtilitate regni res metientem, terris redderet. Sed obuiam iuêre huic malo viri magni, & ſerpentem hydram non flamma ferroue, ſed papyraceo vmbone re-tudêre, minutisq; ſtyli ictibus confe-cêre. Et quidem PETRVS RIBA-DENEIRA, Societatis IESV Theo-logus, ita duobus libris Hiſpanicè conſcriptis Machiauellicos homi-nes aggreſſus eſt, vt, hoſte detrium-phato, ſibi gloriam, regno etiam Hi-

ſpaniæ

ſpaniæ non armorũ magis quàm bonorum Principum præſidium comparit. Quos vtiq; libros, cùm ante annos aliquot pro Catholico Rege & Archiduce ALBERTO, Belgarum Principe, legatione fungerer, Latinè redditos Maieſt. tuæ deuoueram, ne tantus Theſaurus ſolius Hiſpaniæ finibus teneretur. Sed voto meo hactenus obſtitit varius belli euentus. Accipies igitur nunc à IOANNE ORANO, eiuſdem Societatis IESV Theologo, ex fide traductos, in iisque nõ tam Regis optimi officium, quàm teipſum religioſè prudenterque regnantem contemplabere. Cui enim ignota Maieſt. tuæ Religio, quam à puero & cum Sereniſſimæ matris lacte imbibitam, regnorum etiam paternorum temporariâ quadam iacturâ inuiolatam conſeruaſti? qui regna illa Sarmatica longè latéque ad Septentrionem extenſa, brumali frigore horrida, calore Fidei recreaſti? Ab his ipſis libris, tanquam parentis viuâ quadam imagine, liberi tui regiæ virtutis doctrinam & exemplar pe-

tent; vt in te posteri tui, & in tuis gloriæ paternæ æmulis posteritas tua feliciter & æternum viuat.

Seren. Maiest. Vestræ

Addictissimus

FRANCISCVS DE MENDOZA
Almiralius Aragoniæ.

CHRI-







CHRISTIANO ET PIO LECTORI.

NICOLAVS *Machiauellus in politia, & ea Reipubl. gubernandæ imperiiq; regendi scientia, quam plerique omnes status rationem vocant, plurimum laboris studiique collocauit, eaque de re libros scripsit, & posteritati reliquit: in quibus hanc ciuilem & politici status artem explicat, & fortem magnanimumque Principem formandum suscipit, præcepta tradens, quæ ad retinendum augendumque statum obseruare debeat. Sed vt fuit vir vafer, impius, ac verè atheos; ita & illius doctrina tamquam ex corrupto pestiferoque fonte deductus latex, subdola est, turbida, & venenata, & iis, qui ex ea biberint, inficiendis perdendisque accommodata. Illud enim tanquam initium & fundamentum ponit, propositum & scopum, in quem Princeps collimet, & cætera omnia referat, status & imperii conseruationem esse: eam proinde in rem adiumenta omnia, siue ea honesta sint, siue inhonesta, iusta æque ac iniusta, dum tamen*

vtilia, nullo delectu aut discrimine adhibere posse. Numerat autem inter ea subsidia Christianam Religionem, cuius eatenus solùm habendam Principi rationem docet, quoad statui suo expedire iudicauerit. Quare fronte & vultu ad speciem præ se ferre nonnunquã debere pietatem, tametsi ab illa prorsus abhorreat; interdum etiam complecti quamcunque simulatam Religionem, quãtumuis absurdam, vel ipsis delirantium somniis simillimam. Cæteras præceptiones, quas impius hic nugator tamquam ad imperiorum conseruationẽ necessarias effutiit, quis siccis oculis audiat, si consideret quanta cum attentione nonnulli, qui Rebuspublicis & imperiis præsunt, eas legant, & animi approbatione complectantur, quasi è cœlo ad principatus conseruandos lapsæ essent, & non veriùs ad eosdem euertendos ex inferno prodierint? Etenim non solùm de Catholica & Romana Ecclesia humiliter & abiectè sentit, Moysisque leges & victorias insignes humanæ eius prudentiæ, fortitudini, & armis, non Deo auctori & duci, aßignat, humanámque fœlicitatem casui & fortunæ, non Religioni ac virtutibus, adscribit; verum etiam docet, Principem debere iudicio proprio magis fidere, quàm vllo sapientium hominum consilio niti: æquitatem belli in eo consistere, quod vtile vel necessarium sibi Princeps arbitratur: hostes insignibus in iuris lacessendos, spes vt pacis præcidatur omnino: ad ciuitatem aliquam vel prouinciam nullo armorum apparatu vastandam aut subigendam nihil accommo-

accommodatius esse, quàm si vitiis morumque corruptela redundet: certò statuendum, nullis vel maximis beneficiis iniurias obliuione extingui; in imperio administrando ex insignioribus tyrannis aliquem imitandum esse Principi; magisque optandum vt timeatur, quàm vt ametur, cùm nullius quantumcunque coniunctißimi amicitiæ sit fidendum. Hæc & plura his similia docet, digna planè suo auctore omnia, & quæ debeat quiuis Christianorum prudentiumque Principum ex suis consiliis deliberationibusque longissimè amandare. Nefarius iste nebulo, verusque dæmonis administer, hanc suam perniciosam, detestabilem, planeque diabolicam doctrinam in Italia primùm disseminauit: fuit enim Florentinus ciuis, & Reipublicæ à secretis, vt titulus operum eius indicat. Deinde latiùs longiusque simul cum hæresibus propagata, alia regna & prouincias peruasit, easque sic infecit, vt cùm hæresis calamitosum incendium, quo Gallia, Flandria, Scotia, Anglia, & plures aliæ regiones iamdiu flagrant, tam multas clades ærumnasque inuexerit, nec tot tamen sint, nec tantæ, quot quantasue exitialis hæc politici status disciplina, & dogma Machiauellicum excitauit. Nam tot discipulos paßim habet pestifer hic magister, tam multi sunt Politici, qui solo nominis Christiani obtentu Christum acriter insectantur, vt supra fidem sit eorum numerus, vixque credas quàm multis damnis Respublicas afficiant, & miserando deplorandoque loco & statu hacte-

nus collocarint. Hæretici licet ſint quædam inferni ſcintillæ, & purioris Religionis hoſtes, aliquam tamen profitentur; & variis erroribus, quos docent, nonnulla admiſcent, quæ cum veritate conſentiunt. At Politici & Machiauelli ſectatores nullam Religionem agnoſcunt, veræ falſæque delectum ac diſcrimen tollunt, eam dumtaxat probantes, quam politico ſtatui vtilem iudicarint. Religionem igitur hæretici ex parte, Politici omnino reſpuunt. Hæretici apertum bellum Catholicis indixerunt, à quibus proinde cauere nobis poſſumus: Politici verò ficta ſimulataque amicitia veras inimicitias tegunt, ſuntque domeſtici hoſtes, qui, Iudam imitati, pacis oſculo necem inferunt; & ouis pellem induti, gregem Domini, luporum inſtar, dilacerant ac diſcerpunt; & nomine ſpecieque exteriori Catholicos ementiente, radicitus euulſam funditusque euerſam Catholicam fidem volunt. Vox quidem eſt vox Iacob, manus autem manus ſunt Eſau. O igitur dementes ac deliros, qui ſe ab hoc æſtu & furioſo torrente abripi ac præcipites ferri patiuntur, & eò miſeriæ ac calamitatis deuenerunt, vt, etiamſi ore confiteri videantur, conſiliis tamen & argumentis leuiſſimis, adeoque factis ipſis, Deum eſſe, eiuſque prouidentia & nutu imperia principatuſque contineri, abnegent! Quid enim fingi poteſt infelicius, quàm non capere, quod mortales omnes, qui iudicio valent, intelligunt? Quid miſerius, quàm obſurdeſcere ad voces rerum omnium creatarum, quæ (vt ait Auguſtinus) clamant,

Ipſe fe-

Ipse fecit nos, & non ipsæ nos? *Quid calami-* Psal.99.
tosius, quàm in hoc mundi quasi libro non legere,
quod omnes omnium seculorum sapientes lege-
runt atque docuerunt? Præclarè dictum illud est
à regio Vate: Dixit insipiens in corde suo, Psal.13.
non est Deus. *Est enim hæc omnium perniciosis-*
sima ac dementissima dementia, atque eiusmodi,
vt, qui ad eam peruenerit, ad abiectiorem indi-
gnitatem ignobilitatemque redigi non possit, nec
in statum miseriorem infelicioremque deuolui.
Miserrima prorsus sunt hæc nostra tempora, ma-
ximaque nostra peccata, quæ tantoperè irati Nu-
minis furorem in nos prouocarint, vt homines
nobilissimis familiis natos, doctrinæ & pru-
dentiæ opinione claros, studioque pacis celebres,
Machiauallum, eiusque ac aliorum vesanorum
hominum & farinæ eiusdem præceptiones sequi
permittat, quibus tamquam certa quadam re-
gula metiantur regimen & conseruationem im-
periorum & principatuum, quæ Deus concedit,
& conseruat, & sine quo illorum salus & in-
columitas constare non potest. Dico eos amplecti
tamquam infallibilem normam præcepta scriptis
prodita ab hominibus Machiauello stultitia & im-
pietate similimis. Quod enim Cornelius Tacitus,
ethnicus historicus, in suis Annalibus de Tiberii
Cæsaris regimine scriptum reliquit, id oraculi
loco habent: & quæ de proposita materia nostris
temporibus tres auctores Galli, Ioannes Bodinus
Iurisconsultus, Dominus de Lanoue miles, ac Phi-
lippus Mornæus scripserunt, ea magnificis verbis,

summis-

summisque laudibus ad sidera tollunt. Verùm vt pateat quanta sit illorum cæcitas atque amentia qui Christiani cùm haberi velint, cæcos istos homines, ac errones huius itineris duces sequuntur; satis fuerit dicere, Cornelium Tacitum ethnicum fuisse, & inanium simulacrorum cultorem, Christi liberatoris hostem acerrimum, Christianisque tam infensum, vt vir impius & mente captus de illis abiectißimè loquatur: proinde æquum non esse, vt in iis, quæ ad Religionem nostram spectant, tanto Religionis aduersario hostique fidem adhibeamus: nec etiam esse, cur Christiani Principes in dominationibus suis tuendis, tamquam in exemplar & ideam intueantur, quæ in imperio gubernando obseruasse vident Tiberium Imperatorem vitiosißimum, tantaque vitæ turpitudine deformem, auaritia & immanitate infamem hominem, eum vt omnes Gentiles etiam historici multis conuiciis maledictisque proscìderint. De Domino de Lanoue & Mornæo quid aliud dicam, quàm illum fuisse, hunc etiamnum esse Caluini sectatorem, & vtrumque doctrina & vita, scriptis & factis, bellum Christo dixisse? De Bodino, cuius opera de Republica à politicæ studiosis & teruntur manibus, & curiosè leguntur, & laudantur, tamquam ab peritißimo & expertißimo ciuilis disciplinæ magistro profecta, affirmare possum, tot erroribus & opinionibus falsis respersum esse, vt, licet qui ex Gallica lingua in Italicam & Hispanicam libros eius verterunt, multum studii & laboris posuerint in purgandis & emendandis,

non ita tamen menda expungere potuerint, quin multo plura corrigenda reliquerint. Fontes igitur ex quibus bibunt nostra ætate Politici, duces quos sequuntur, præceptores quos audiunt, regula ad quam consilia sua dirigunt, sunt Tiberius, flagitiosissimus & exsecrandus Imperator; Cornelius Tacitus, ethnicus historicus, & Christianorum hostis; Machiauellus, impius consiliarius; Lanoue miles, & Caluini sectator; Mornæus vir profanus & à Religione remotissimus; Bodinus denique, vt de eo modestè loquar, nec Theologus, nec pius: quos vt sectentur, deflectunt à recta & plana via, quam naturalis ratio nobis aperuit, quam Deus ostendit, quam Christus Dei Filius patefecit, quam tot & tam sapientes Doctores monstrarunt, quam omnes pii Christianique Principes ingressi sunt, quam denique mali omnes reliquerunt, erroneam illam Reipublicæ gubernandæ viam secuti, & præcipites acti imperia perdiderunt. Quod demonstrabitur his libris, quos, postquam legi, audiui, vidique permulta, &, peragratis diuersis prouinciis, familiariter & amicè cum prudentibus viris & Reipublicæ gubernatoribus contuli, scribere sum aggressus; vt errore liberarem eos, qui inconsideratè disciplinam adeò periculosam sequuntur; præmuniremque ac præmonerem alios, qui necdum cæco isti ac inextricabili labyrintho sunt implicati. Videbitur fortasse nonnullis, institutum religiosæ vitæ, & politicæ prudentiæ rationes, inter se maximè differre; nec posse principatuum administrandorum leges

ab eo

ab eo rectè tradi, qui numquam Rempublicam rexerit. Sed cùm in his libris politici regiminis non tam sit mihi propositum leges Principibus dare, quàm illos docere, quonam modo diuinæ Legi conuenienter imperia sua regere & conseruare debeant, eorumque, qui contraria docent, errores ac fraudes refellere; nemo erit (vt equidem reor) qui me iure vituperet, aut materiam hanc, tam vtilem & necessariam, ab instituto religioso, quod profiteor, alienum esse arbitretur, præsertim cum D. Thomas, Ægidius Romanus, pluresque alii religiosi & doctissimi viri, nec cum vita, quam sequebantur, pugnare censuerint, admirandosque de Principum regimine libros scripserint. Ne quis verò putet, omnem me imperii regendi disciplinam, quasi nullam esse credam, tollere, negligereque præcepta prudentiæ, quibus secundum Deum stabiliuntur, crescunt, reguntur, & conseruantur imperia; asseuero certam aliquam esse Reipublicæ & politici status gubernandi rationem ac viam, quam ante oculos Principes semper habeant oportet, ne in principatibus regendis & seruandis aberrent; verùm duplicem illam. Vnam simulatam & falsam, alteram solidam & veram; vnam fallacem & diabolicam, alteram certam & diuinam; vnam quæ imperio Religionem, alteram quæ Religioni imperium accommodat; vnam à Politicis traditam, & inani prudentia humanisque & debilibus præsidiis fultam, alteram diuinitus patefactam, Deoque ipso auctore nixam, atque iis adiumentis, quæ, tamquam

imperio-

imperiorum ac principatuum Dominus, Principibus ostendit; quibus etiam vires dat, rectè vt hisce vtantur. Quid igitur inter vtramque hanc politici status rationem intersit, propositū est nobis in his libris explicare, simulque commonere Christianos Principes, & eorum consiliarios, cæterosque omnes politicæ studiosos, sibi vt imprimis persuadeant, solum Deum imperia fundare, & quibus vult credere, eademque stabilire, augere, ac tueri pro suo arbitratu. Deinde principatuum retinendorum optimam rationem in eo esse, vt Deum beneuolum & propitium habeamus, custodienda eius lege, præceptis obseruandis, colenda Religione, adhibendisque omnibus adiumentis, quæ Christiana fides suggerit & suppeditat, aut saltem cum Catholica disciplina non pugnant. Denique hanc verissimam esse, certam, ac tutam imperii tuendi viam & rationem; quam verò Machiauellus & farinæ eiusdem Politici tradunt, adulterinam, incertam, & fallacem. Constantis enim & perpetuæ veritatis est, imperii statum à Religione non rectè diuelli, nec illius salutē sine huius incolumitate stare posse, vt vel ipsi [a] ethnici scriptores docuerūt; longè verò melius sanctissimi Patres, [b] Ecclesiæ Doctores & lumina, tradiderunt, sicut in hoc Opere ostendemus, quod duas in partes diuidimus. Priore, quid Principibus, tamquam Ecclesiæ tutoribus, defensoribus, ac filiis, faciendum sit, declaratur: posteriore verò, quid iidem præstare debeant in temporaria & ciuili regnorum suorum administratione, & quibus virtutibus ex-

a Cic. lib. 1. de legib. Valer. Max. lib. 1. cap. 1.

b Ambros. l. 5. epist. 29. 30. & 31. Aug. ep. 50. Leo ep. 75. Greg. lib. 2. epist. 6. Bern. ep. 243. ad Conrad. Imperat.

bus ex-

bus excellere, vt illa præclarè regant atque conseruent, explicatur. Quoniam verò hæc grauibus & prudentibus viris occupatioribusque scribimus, præcipua quæque ad rem facientia seligemus, & sermone breui his in libris perstringemus, resectis multis quæ dici possent, reperienturque in tot libris, quos Plato, Xenophon, Aristoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, D. Thomas, Ægidius Romanus, Franciscus Patricius, Chrysostomus Iauellus, & alii veteres nouique auctores de Republica regnorumque administratione scripserunt. Quòd si Machiauelli discipulis, quia corruptum gustatum habent, quæ scribimus, grata non fuerint; iucunda (vt speramus) erunt & fructuosa, quibus mundum ac sanũ est palatum, ac pietas Christiana curæ: quorum maximè gratia hunc laborem suscepimus.







DE RELIGIONE ET VIRTVTIBVS CHRISTIANI PRINCIPIS,

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

Summam Religionis curam nationes omnes atque Respublicæ susceperunt.



TANTA est diuini Numinis amplitudo atque maiestas, & quæ iure ei debetur, reuerentiam ita natura mortalium animis penitus inseuit, vt per omnem terrarum orbem à cunctis nationibus, quantumuis & immanitate barbaris, & ignoratione cæcis, tanquam rerum omnium antiquissima, & maximè necessaria præcipuo quodam cultu ac labore obseruata semper fuerit conseruataq; Religio. Cuius homines curam suscepêre, non modò quòd summo huius vniuersitatis Principi, & eius cultui arctissimo quodam

naturæ vinculo se obstrictos viderēt; sed etiam quòd Religionis incolumitate Reip. salutē niti, nec immeritò iudicarent. Quod in primis Plutarchus, scriptor grauissimus, & Traiani Imperatoris eruditissimus magister, his verbis nobis testatum reliquit: *In legum constitutione primum est, & maximum de Diis opinio. Quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Ion antiquos Athenienses, & Deucalion Græcos ferè vniuersos Diis consecrauerunt, votis, sacramentis, vaticiniis, omnibusq; eos ob spem ac metum Diis deditos obnoxiosq; reddentes. Et si terras obeas, inuenire possis vrbes muris, litteris, Regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: vrbem templis Dijsq; carentem, quæ precibus, iureiurando, oraculo non vtatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur, nemo vnquam vidit. Sed faciliùs vrbem condi sine solo puto, quàm opinione de Dijs penitus sublata ciuitatem coire aut constare.* Hactenus ille. At Lactantius noster, *Omnis*, inquit, *sapientia hominis in hoc vno est, vt Deum cognoscat & colat.* Augustinus verò: *Sicuti dæmones nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt: sic & homines Principes non sanè iusti, sed dæmonum similes, ea, quæ vana esse nouerant, Religionis nomine populis tanquam vera suadebant: hoc modo eos ciuili societati velut arctiùs alligantes, quo similiter subditos possiderent.* Indorum monumentis proditum est, Peruanos Reges,

Plutarchus. lib. aduersus Colotem.

Lactant. 3. diuin. institut. c.29.

Aug. lib. 4. de Ciuitate Dei, c.32.

ges, quos vocabant Ingas, cùm primùm regionem aliquam additionem suam armis adiecissent, distributis in tres partes vectigalibus, primam cultui Deorum ac templis solitos dedicare: quòd sperarent fore, vt, Numinum beneuolentiâ tanto pietatis officio conciliatâ, faciliùs imperia sua tuerentur ac propagarent. Quin vel ipsi Politici, aduersus quos ista scribimus, in hac nobiscum veritate consentiunt, quorum dux & signifer Machiauellus Religionem statui Reip. conseruando pernecessariam esse affirmat: ob quam etiam in vrbe Roma præclarè fundatam Numam Pompilium meliùs de Repub. quàm Romulum ob iacta ciuitatis fundamenta meruisse: nec de ruina quæ regno cuipiam impendeat, certioribus signis coniecturam fieri posse, quàm si rei diuinæ cultus in contemptionem despicientiamque adductus iaceat. Ioannes Bodinus auctor est, homines atheos, licet vim omnem diuinam de medio tollant, docere tamen ad Politici status & Reip. conseruationem nihil esse maioris momenti; cùm hæc vnum sit ex præcipuis adminiculis, quibus imperiorum & regnorum potestas fulcitur, legibus obtemperatio, populi obedientia, obseruantia magistratus, peccandi timor, & humanæ societatis communitatisque commercium crescit. Atque ideo magna cura prouidendum esse ait, diligenterque enitendum, ne tam

Ioseph. Acosta lib. 6. de histor. Ind. cap. 15.

Machiauel. lib. 1. Discurs. cap. 11. & 12.

Bodin. lib. 4. c. 7. de Rep.

ſancta res vllo modo violetur; nec id vnquam in quæſtionem vocetur, vnde Reip. ſalus promanat. Vt enim à Papiniano, legum ſcientiâ clariſſimo viro, veriſſimè dictum eſt, *Sũma ratio eſt, quæ pro Religione facit*. Hæc Bodinus, vir alioquin minimè religioſus. Noſtra tamen de Religione ſententia non parum differt à Politicorum opinione. Hi volunt, vt Principes ſubiecti populi Religionem veram falſam ve nullo diſcrimine probent & tueantur: nos cupimus, vt Catholicam duntaxat (vt quæ ſola vera ſit) agnoſcãt & colant, ſuoque fauore promouere conentur. Politico factum eſt ſatis, ſi Principes per ſimulationem quandam vanamque diuini cultus oſtentationem, plebi, vt in officio cõtineatur, fucum faciant; quem iniuſtorum Principum morem eſſe teſtatus eſt Auguſtinus: nobis verò ſuo muneri iudicantur deeſſe, niſi laruâ poſitâ ſyncerè & integrè Religioni ſeruiant. Opinantur Politici eò maximè tendendum Reipub. gubernatoribus, vt ſuæ dignitatis gradum ſartum tectum ab omni detrimento conſeruent, & ſubditorum atque ſibi parentium animos ciuili ſocietate cõiungant; vnde Religionis vſum eatenus ſolũ probant, quoad principatus conſeruatio, ciuiumq; pax & concordia poſtulat: at volumus nos, intelligat Chriſtianus Princeps, quidquid poteſtatis habet, à ſupremo Numine profectũ; nec alium in finẽ, quàm vt, qui-

Lege Et ſi quis, ff. de Relig.

bus

bus imperat, humana in terris felicitas obtingat, ad quam aſſequendam ciuilis ſpectat procuratio; iiſdē vita functis ſempiterna beatitudo, quò terrena caducaque dirigitur, in cœlo obueniat. Deum proinde ſibi in primis ob oculos ponat, eiusque caſtiſſimam Religionem: quæ purè ſuſcepta atque cuſtodita, mortales in omnem æternitatem beatos facit, regna ſtatusque ciuiles conſeruat, ſubditos in obedientia retinet, pace atque tranquillitate donatos; neglecta verò, tam ſolido fundamento deſtitutam Remp. in ruinam impellit. Cæterùm hæc omnia non fictè ſimulateque cenſemus facienda, ſed puro ſinceroque animo, ita vt ſui gratiâ colatur Religio; non autem ex Politicorum dogmate tanquam fucoſum ſubſidium, artificioſumque ac mendax inſtrumentum, ad imperij adminiſtrationem ſalutemq; aſſumatur.

CAPVT II.

Mali Principes etiam Religionem colunt fallendi gratia, ex Politicorum inſtituto.

VT explicatiùs intelligi poſſit diſcrimen quod à Politicis nos diſiungit, & illos, qui rebus exhibent, quod nomine profitentur, ab iis ſeparat atque diſtinguit, qui ſolo Religionis titulo contenti, falſam pietatis imaginem oſtentant, vt hiſce veluti retibus hono-

honores ac imperia, quorum sitientissimi sunt, aucupari possint: duorum hominum, quos eadem tulit ætas, exempla proferam; quòd ea, quæ superiori capite dicta sunt, ad viuum exprimere videantur. Ecebolius sophista Iulianum Apostatam discipulum habuit, à quo plurimi fiebat, & quo benigno ac fauente vtebatur. Is, vtpote vafer simulationis artifex, Christianum se Arianumque finxit sub Imperatore Constantio, vt religionis similitudine Cæsari gratiosus ac carus esset. Post cuius obitum ad Gentium simulacra rediit, vt Iuliani, quem Christianæ fidei desertorem nouerat, beneuolentiam & fauorē hac arte captaret. Iuliano miserabili morte exstincto, vix dum Iouinianus, Catholicus ac religiosus Princeps, imperij infulam acceptârat, cùm Chamæleon noster Imperatoris recèns creati Religionem ceu nouum colorem expressit, seque (vt ex Socratis historia liquet) pro foribus Ecclesię ad Christianorum pedes abiecit, meliorum spe veniam ab illis impetrare contendens. In quo non adumbratos, sed expressos videmus nostri temporis amphibios homines, qui, vt de sui sæculi Politicis dicebat Iouinianus, *Non Deum, sed purpuram colunt*; & amicitiam Principum aucupaturi, eundem cum illis Numinis cultum obseruare fingunt. Mutabilem Protheum ob oculos posui, producam nunc constantissimi & nihil nutantis viri exemplum. Iulia-

Socr. libro 3. histo. Eccles. cap. 11. Baronius tomo 4.

Socr. libr. 3. cap. 21.

nus

nus Imperator Cæſarium (vt eiuſdem frater Gregorius Nazianzenus ſcriptis prodidit) iis Reipubl. muneribus præfecit, quibus auctoritas & amplitudo ineſſet, quem nunc verborum lenociniis, ac ingentibus promiſſis, nunc terroribus & minis, omnique machinarum genere in ſuum obſequium erroremque trahere conatus eſt: ſed ſtrenuus CHRISTI athleta ſuperior ſemper è lucta exceſſit, Crucis opprobrio imperij poſthabens maieſtatem. Cùm enim non ſimulatum Chriſtiani hominis figmentum, ſed verus eſſet Chriſtianus, certò ſciebat, quàm ampli gloriæ laudiſque theſauri ſub Crucis ignominia deliteſcerent. Cæſarius purum putumque Catholicum nobis refert: at Ecebolius exemplar eſt Politici, varios pro tempore colores induentis, dignique Machiauello præceptore diſcipuli: ſic enim ſuos hic bonus magiſter ad ſimulationem informat: *Reipub. regniue moderatores ac Principes* (inquit) *Religionis fundamenta ſeruare debent: nam ea ratione Rempub. ſuam religioſam conſeruabunt, &, quod inde conſequens eſt, etiam integram, & ſtudijs non diuiſam. Opus verò eſt, vt quæcumque ad Religionem fouendam amplificandamq; appoſita ſunt, etiamſi aliter ſentiat, amplectatur augeatq;. Quod illis tanto diligentius faciendum eſt, quanto maiori prudentia rerumq; naturalium cognitione præcellunt.* Sentit itaque Machiauellus, Principi retinendã eſſe quamcunque

Ora. in fun. frat.

Machiauel. lib. 2. c. 22.

cunq; Religionem, etiam quam falſam exiſtimat; vt illa nimirum externa pietatis ſpecie deluſum populum reddat obſequentiſſimum. Et quis tam impius eſt deprauatisque moribus Princeps, quis Religionis tam acer hoſtis, qui huiuſmodi præceptis ac documentis non obtemperet lubens? qui nõ Religionẽ (ſi res exigat) ad ſuæ dignitatis conſeruationem vſurpet? qui tempori ſcenæque ſeruiens non ſimulet pietatem, licet ab ea quàm longiſſimè diſtet? Hoc exemplo ſuo plus ſatis patefecit tyrannus ille Maxentius, qui cùm Gentilium nefarios ritus & cæremonias coleret, metueretque, ne ſibi ad imperiũ tendenti ab innumera Chriſtianorum multitudine aditus præcluderetur, ſimulandi artem ſecutus, principio benignum ac fauentem ſe illis exhibuit: deinde verò, cum vires ſuas auctas confirmataſque cerneret, miram aduerſus eoſdem crudelitatem exercuit. Licinius Conſtantiæ, magni Cõſtantini ſorori, matrimonio coniunctus, initio ſe Chriſtianos amore ac beneuolentia complecti finxit: vt Imperatoris amicitiâ hoc artificio quæſitâ ſocius fieret ac conſors imperij: vbi verò ſe voti compotem factum vidit, depoſitâ quam fictè ſuſtinuerat perſonâ & in leonem vulpecula conuerſus, Chriſti cultores immaniter eſt perſecutus. Quid Iulianũ, deſertorem fidei, vulpem alteram, priore nõ minùs aſtutam, commemorem? qua callidi-

Euſeb. lib. 8. cap 16. Niceph. lib. 7. cap. 21.

Euſeb. lib. 9. cap. 10. Niceph. lib. 7. cap. 17. 30. 40. 41. 44. 45. Niceph. lib. 11. cap. 3. & 12. Sozom. lib. 5. cap. 2. & 5. Theod. lib. 3.

tate Christianis fauit! quo astu sacrorū Præsules honorauit, Arianosque deiecit! Ædes sacras studiosè visit, Sanctorum venerandas exuuias coluit, Mammeæ martyri templum exstruxit, atque alia pleraque Christiani pectoris signa per summam simulationem dedit, vt impedimentis sublatis ad imperium sibi viam sterneret, eòque potitus, Christi cultum ex hominum memoria animisque tolleret. Quid de Valente dicam? qui Catholicus ad imperatoriam euectus est dignitatem, &, quamdiu sibi commodum ac vtile visum est, Antistitum fuit obseruantissimus, & Basilij Magni egregius cultor admiratorq; vbi verò, Eudoxij Patriarchæ Constantinopolitani dolis à Catholica veritate abductus, in Arianam hæresim lapsus est, in Catholicos crudelitatis suæ arma conuertit; eòque erupit amentiæ, vt quam hæreticis & Gentilibus liberam fecerat potestatem in sua secta atque Religione viuendi, solis illis negauerit. Quid de Anastasio Imperatore? qui cum se videret ob hæresis suspicionem ab Euphemio Constantinopolitano Patriarcha ad imperiale diadema non admitti, verbo & scripto fidem Catholicam publicè professus, eiusque perpetuam conseruationē iureiurando pollicitus, Patriarchā & cæteros oppugnatores suos egregia fraude circumuenit. Quid de Hunerico Vandalorū in Africa Rege Gēserici Regis filio? quantā ille dissimulationem

cap. 2. & 3. Niceph. lib. 11. c. 1. 2. 4. 5. Zon. tom. 3. Socr. lib. 3. cap. 1. & 9.

Ammian. Marcel. lib. 20. & 21. Theod. li. 4. c. 11. & 12.

Niceph. lib. 6. cap. 18. Zon. tom 3. Euag. lib. 3. c. 29 & 32.

Vict. libr. 2. de persecut. Vandal.

tionem Catholicis initiò fallendis adhibuit in qua perstitit tantisper, donec regnum suum stabiliuisset: quo cõfirmato, quibus modis Catholicos non afflixit; & ad Religionẽ euertendam quid non est molitus? quid non excogitauit? Cuius rei locupletissimum testẽ habemus Victorem Vtiticensem. Quid referam Leonem IV. & Michaelem Beguem, Imperatores Orientis; quid Georgium Pogibrachium, Bohemiæ Regulum; quid plures alios Principes qui hæresi Religionis obtentu celata, Catholicis fucum fecere? Verum quid veteribus atque obliuione pæne obrutis exemplis in confirmationem veritatis adferendis immoror, cùm tam multa recentia & ante oculos posita videamus, quæ nobis abunde suppeditat infinita propemodum Politicorum turba? Sed his prætermissis, quid Philosophi de Religione senserint, breuiter ostendamus.

*Sigon. lib. 15. de Occident. Imper. Zon. tom. 3. * Æneas Sylu. p. 30. Ioan Dubr. Episc Olm. lib 3. hist. Bohem. Cochl lib. 12. histor. Hussit.*

Capvt. III.

Magnam Religionis habendam rationem Philosophi tradiderunt.

Polit. lib 7. cap 8.

Aristoteles explicans ea, sine quibus nec ciuitas, nec eius administratio stare potest, alimenta primum ponit, deinde artes, tum arma, pecuniarum facultatem, iudicium pro vtilitate & iustitia contrahentium, præcipuum verò circa rem diuinam, cultum, quod sacrificium vocant: dicitque

citque Principi pietatem erga Deos retinen- *Lib.5.c.11.*
dam esse. sic enim populi de illo bene existi-
mant, de iniuriis sibi non timent, eius vitæ
non insidiantur; quòd cùm pius sit, & Dei a-
micus, Deum habeat defensorem. Eadem
prorsus sententia est cęterorum omniũ Phi-
losophorum, qui Religione summum homi-
nis bonum definientes, nos monent, vt ali-
quod opus auspicaturi, præsertim si graue sit
& difficile, à Deo initium ducamus, summis
præcibus efflagitantes, vt bene positis propo-
siti negotij fundamentis, fastigia feliciùs im- *Iambl. de*
ponamus. Iamblicus tantam affirmat naturę *myst.*
nostræ imbecillitatem esse, vt de Deo neque
cogitare quidquam rectè aut loqui absque
Deo possimus, multo verò minùs diuinum *Mercur &*
aliquid moliri. Mercurius Trismegistus, *Est* *Pithag. ci-*
inquit, *hominis mensura ante omnes Religio, quã* *tat. à Cœlio*
sequitur bonitas: ea demum tunc videtur esse per- *Rhod. lib. 9.*
fecta, si etiam cupiditatem omnium alienarum *cap. 19.*
rerũ despectui habeat, virtute munita. Vnusquis-
que pietate, Religione, prudentia, cultu & vene-
ratione Dei clarescit, quasi oculis vera ratione
perspecta, & fiducia credulitatis suæ eatenus inter
homines præstans, quatenus astra reliqua Sol lu- *In Epinom.*
minis maiestate agnoscitur præcellere. Pythago- *lib de mun-*
ræ sententia est, accedendo ad Deum effici v- *di const.*
numquemque optimum. Plato negat vllam
virtutem cum Religione atque in Deum pie-
tate conferri posse: hominemque illum mẽ-
te insanum animique impotem esse, qui cu-

iusque

Epist. 8. ad Dion. prop.

iusque rei gerendæ initio diuinum Numen non inuocat, opemque non implorat. Et in Epistola quadam ad Dionis propinquos. *In omnibus*, inquit, *quæ vel cogitamus, vel loquimur, à Deo sumamus initium.* Et in libris de Legibus: *Ante omnia Deum inuocemus, vt ciuitatem nostram stabiliamus, obsecremusq́; vt nos exaudiat, & nobis propitius sit, atque benignus; ad nos veniat, & leges ipse nos doceat, nostramque ciuitatem adornet.* Quod profectò sapienter à tantò Philosopho dictum est, Cum enim omnium rerum principium & finis sit Deus, & in suam gloriam omnia sit molitus: rationi maximè consentaneum est, vt in eum referantur omnia, & tanquam in scopum homo qui microcosmus quidam est, suas omnes actiones dirigat, earum exordia à Deo ducendo, & in illius laudem easdem terminando. Vt enim vitem vuarum, quas producit, bonitas atque copia, vinum sapor, ceruos pedũ velocitas, iumentum firmæ ad onera ferenda vires, canem sagacitas incredibilis, & in venando alacritas, commendant: ita hominem ea ratio qua cętera antecedit animalia, & Deo adiungitur, laudabilem reddit. Hoc enim extremum summumque illius bonum, & perfecta felicitas, quæ Religione comparatur. Quicumque enim syncere Religionẽ colit, Deum beneuolum & amicum habet. Vnde Seneca nos ita monet: *Si Deum habere cupis amicum ac propitium, dede te virtuti: qui enim*

Lib. 4. de Legibus.

Seneca libro de Prouid. cap. 1.

nim Deum imitatur, ille Deum ſcit & honorare & vereri. Sed ad Platonem redeamus, qui alio loco grauiſsimis verbis affirmat, nullum regnum abſque ope diuina rectè gubernari poſſe. Nam ſicut beſtiæ animanteſque rationis expertes ſui curam habere nequeunt, neque ſe ipſæ per ſe regere poſſunt, ſed ad illas conſeruandas regendaſque hominis prouidentia & directione eſt opus: ita (inquit) homines ad felicitatem ſuam dirigi non poſſunt, niſi Deus moderetur, & quaſi manu ducat. Xenophon, grauiſſimus Philoſophus & hiſtoricus libris octo complexus eſt educationem Cyri Regis, vt Regibus & principibus tanquam exemplum & typum imitandum Reip. prudenter adminiſtrandæ proponeret; ſicque libro ſui operis octauo Cambyſen filio ſuo Cyro ad Aſtyagen aũũ proficiſcenti loquentem facit: *Hoc vnum præcipuè commendo, idque tanquam pretioſum theſaurum à patre donatum in tua memoria perpetuò recondi cupio: Dei eſto amicus, in eundem pius; nihilque aggrediaris, niſi Dei Numine implorato. Imbecilla enim eſt & hebes mortalium natura: nihil Dei ſapientiam latet; omniaque ex ſententia iis cedunt, quibus illa præſtò eſt.* Quæ paterna admonitio tam altè filij animo inſedit, vt nõ abſq; admiratione paſſim lectoribus inculcet Xenophon, qua pietate Cyrus Deos coluerit; & quo ſtudio ac diligentia operam dederit, vt votis, præcibus, ſacrificiis placaret,

Libro de regno.

Xenoph lib. 8. de padia Cyri.

ret, ſiue antequam conſilium iniret bellone laceſſendus eſſet hoſtis; ſiue poſt decretum bellum, priuſquam militares copias in expeditionem educeret, & acie cum hoſte confligeret: Cui etiam hoc familiare, vt cùm exercitus finibus hoſtium pedē intuliſſet, penates patrioſque loci illius Deus beneuolos ſibi ac ꝓpitios muneribꝰ libationibuſq; redderet: vbi verò victoriã inſignem de hoſtibus reportaſſet, gratiis Diis acceptam referret, ita planè, vt bellicas omnes Cyri expeditiones, ſiue prima conſideres, ſiue media vel extrema ſpectes, Religionem, tametſi inanem

Iſoc. orat. 1. ad Nicocl. ac falſam, ſpirare dicas. Iſocrates, eximius orator, ad Nicoclem Cyri Regem ſcribens, eique de regno conſeruando præcepta tradens, *Religionem*, aït, *quam à maioribus accepiſti, conſerua: ſolemneque & pulcherrimum ſacrificium & cultum maximum exiſtima, ſi ipſe ſis optimus & iuſtiſsimus. Maior enim ſpes eſt, eiuſmodi boni aliquid à Diis impetraturos, quàm*

Dion orat. 1. & 3. *qui aras delubraque ædificant.* Dion primas ac potiſſimas partes in Principis inſtitutione Religioni aſſignat, Deorumque cultui, quæ vult à Principe cæteris omnibus anteponi, & ad reliqua hæc addit: *Nempe vir bonus & iuſtus nulli poteſt magis obedire quàm Deo, qui optimus eſt, ac iuſtiſsimus: eaque in re malus erit & impius, ſi Deum impium exiſtimauerit, & res hu-*

Cic. lib 1. de nat. Deor. *manas vel non intelligentem, vel non curantem.* Marcus Tullius, pietate aduerſus Deos ſublata,

lata, fidem etiam ac societatem generis humani, & vnam excellentissimam virtutem Iustitiam tolli affirmat. Quantas calamitates importarit Italiæ Religionis neglectus, ita canit Lyricus vates: *Her. lib. 3. Car. Od. 6.*

Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.

Symmachus, vir patricius, eloquentia & auctoritate præstans, questus apud Imperatorem Valentinianum, quòd inanis Deorum superstitio, cui addictus erat, ex quo Christiana Religio florere cœpisset, ab omnibus ferè negligeretur, inter cætera hæc subiungit: *Sacrilegio hic annus exaruit: necesse enim fuit perire omnibus, quod Religionibus negabatur.* *Symmachus ad Valent. apud Amb. Baron. tom. 4. an. 383.* Titus Liuius in persona Camilli omnia iis prospere cadere ait, qui pij in Deos sunt; infeliciter iis, qui Deos negligunt. *Tit Liuius de. 1 lib. 5.* Cornelius Tacitus scribit, hanc in Deos pietatem non minùs retinēdam esse rebus prosperis quàm aduersis. *Cor. Tacit. lib 11.* Plinius secundus vitam nostram in Religione positam affirmat. *Plin lib. 14.* Hæc & per multa his simillima scriptis tradidêre sapientes viri, quibus sola naturæ lux affulserat. Nam quæ ab Ecclesiæ Doctoribus, sapientiæ atque sanctitatis laude clarissimis, de eadem re posteritati relicta sunt, multa admodum & præclara, tum quia in dubium non vocantur, tum ne sim prolixior, silentio premenda existimaui; vnum Lactantium pro omnibus citasse contentus, cuius *Lact. lib. 5. Inst. cap. 8.*

illa

illa verba ſunt: *Ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingraueſcunt, quia Deus huius mundi effector & gubernator direlictus eſt; quia ſuſceptæ ſunt, contrà quàm fas eſt, impiæ Religiones: poſtremo quia ne coli quidem vel à paucis Deus ſinitur.* Denique nullus auctor eſt, quem antiquitas, grauitas, vel prudentia commendet, quin noſtræ de Religione ſententiæ, quam etiam teſtes à nobis citati conſentientibus ſcriptis approbarunt, ſubſcribat. Et quoniam hæc indigenis ac popularibus noſtris præcipuè ſcribimus, placuit concludere hoc caput grauiſsimo Alphonſi decimi Hiſpaniæ Regis teſtimonio, quod depromptum eſt ex prologo ſeptem partitis (vt Hiſpani vocant) præfixo, in quibus eiuſdem iuſſu multi prudentes viri ſumma Legum capita ſtrictim ſunt perſecuti. Sic igitur ſapientiſſimus Rex ait: *Rerum omnium principium, medium, ac finis Deus eſt, ſine cuius nutu nihil prorſus conſiſteret: cuncta namque diuina poteſtate facta ſunt, reguntur ſapientia, bonitate conſeruantur. Quiſquis ergo bonum aliquod opus aggreßurus eſt, exordium ſumat à cæleſti Numine, ſupplexque petat vt eius voluntatem intelligere poßit, vireſq; ſibi ſubminiſtret, quibus cœptũ feliciter abſoluat.*

Prolog. lib. partit.

Caput IV.

Romana Reſpublica imperij conſeruandi cauſa falſam ſuam Religionem ſummopere coluit.

Pro-

PROPOSITVM mihi non est, singulas hoc loco Resp. referre, quæ vbique gentium hactenus exstiterunt; neque longiori sermone exponere, quantum vnaquæque studij posuerit in Diis suis colendis, quantamque diligentiam in suæ Religionis falsis ritibus & vanis cæremoniis obseruandis collocârit. Prætermittam igitur Ægyptios quorum (vt scribit Cicero) imbutæ mentes prauitatis erroribus, quamuis carnificinam priùs subibant, quam Ibin, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violarent: quorum etiamsi imprudentes quippiam fecissent, pœnam nullam recusabant. Non adferam Athenienses, qui Diagoram Philosophum atheum, vt ab eodem Cicerone traditum est, sua ciuitate eiecerunt; & Socratem morte affecerunt, quòd nouã Athenas Religionem induceret. De ceteris etiam Rebusp. toto orbe florentibus tacebo, & breuiter de Romana dicam: quæ sicut imperij amplitudine ac viribus, sic Deorum cultu & veneratione reliquis anteiuit: *Nam*, vt grauissimè Leo Magnus de ea scribit: *cùm pæne omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium erroribus seruiebat; & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* De Romana igitur Rep. hæc Tullius ait: *Quàm volumus licet, P.C. ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos,*

Cic. lib. 5. Tusculan.

Idem de natura Deor.

Leo. Ser. de SS. Apostol. Pet. *& Pau.*

Cic. Orat. de Haruspi. resp.

nec denique hoc ipso huius gentis ac terræ domestico natiuoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac Religione, atque hac sapientia, quod Deorũ immortalium Numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gẽtes nationesq́; superauimus. Hæc Tullius. Idẽ constat approbatione Valerij Maximi, cuius hæc sunt verba: *Omnia post Religionem ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis conspici decus voluit: quapropter non dubitarunt sacris imperia seruire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si diuinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Et eodem in loco: *Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax Deorum indulgẽtia semper excubuit, quod tam scrupulosâ curâ paruula quoque momenta Religionis examinare videtur: quia numquam remotos ab exactissimo cultu cæremoniarum oculos habuisse nostra ciuitas existimanda est.* Ita ille; qui etiam scribit, tantum studium antiquis Romanis non solùm obseruandæ, sed etiam amplificandæ Religionis fuisse, vt è florentissima & opulentissima ciuitate decem Principium filij s. c. singulis Etruriæ populis (quæ tunc erat velut Academia Religionis, in qua cæremoniæ & ritus sacri docebantur) percipiendæ sacrorum disciplinæ gratiâ traderentur. Et certè eorum quæ Religionis erant, tam studiosi fuêre Romani, vt, (auctore Varrone) quotiescumque cogebatur Senatus, nulla de re priùs ageret,

Valer. Max. lib. 1. cap. 1.

Gell. ex Var lib. 14. ca. 7

geret, quàm de Religione. Quæ lex ita erat sollemnis atque sancta, vt nulla res, neque tam grauis, neque tam repentina, accidere posset, nulla quæ tantam celeritatem ad deliberandum exigeret, vt hunc proponendi agendiq; ordinem peruerteret, vt Religionis maiestas non cæteris tantummodo rebus, sed ipsis etiam consiliis publicis præferretur. Addit prætereà Suetonius, Octauianum Augustum legẽ sanxisse, quæ iubebat, vt priusquam Senatorũ quisquam consideret, thure ac mero supplicaret apud arã eius Dei, in cuius templo coiretur. Non enim Senatus nisi in fano alicuius Dei haberi poterat. In quam curam ea de causa potissimum incubuêre, quòd, vt Plutarchus testatur, existimabant Romani, ad conseruandam Rempub. plus Religionẽ, quàm arma valere, maiusq; Diis venerandis, quàm hostibus delendis, robur inesse. Quamobrem, vt scriptum est ab Valerio maximo, cum Pub. Cornelio & Bæbio Pamphilo Coss. in agro L. Petillij scribæ sub ianiculo cultoribus terram altius versantibus, duæ arcæ lapideæ essent repertæ, quarũ in altera scriptura indicabat corpus Numæ Pomponij filij fuisse, in altera libri reconditi essent, Latini septem de Iure Põtificum, totidemque Græci de disciplina sapientiæ: Latinos magnâ diligentia asseruandos curauerunt; Græcos, quia aliqua ex parte ad soluendam Religionẽ pertinere existimabãtur,

Alex. ab Alex lib. 4. cap. 11.
Bapt. Fulg. lib. 1.
Sueton in Octau. c. 35.
Plut. in Vita Marcell.
Valer. Max. lib 1 c. 1.
Plin. lib. 13. ca. 13.
Plutarchus in Numa.

Petillius Prætor Vrbanus ex auctoritate Senatus, per Victimarios facto igne, in conspectu populi cremauit. Quæ etiam causa fuit, Arnobio teste, vt illi ipsi Romani libros Ciceronis de natura Deorum, & de Diuinatione, exterminandos delendosque iudicarent, quod cultum Deorum imminuere viderentur; illamq; superstitionem labefactare, quæ in Romanorum visceribus penitus inhæserat: propterea quòd prisci illi viri, vt Valerius ait, noluerũt quidquã Romæ asseruari, quo animi hominum à Deorũ cultu auocarentur.

Arnob. lib. 3. cont. Gent.

Cicero li. 2. ex iis quos de Legibus edidit, antequam ad earũ explanacionem aggrederetur, ita præfatus est: *Sit igitur hoc iam à principio persuasum ciuibus, dominos esse omnium rerũ ac moderatores Deos; eaq; quæ gerũtur, eorum geri ditione atque numine; eosdemque optimè de genere hominum mereri, & qualisquisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua Pietate colat Religiones intueri, piorumque & impiorum habere rationẽ.* Deinceps primæ Legis verba subiicit: *Ad Diuos adeundo castè, pietatẽ adhibendo opes amouẽdo. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Separatim nemo habesit Deos, nève nouos: sed ne aduenas, nisi publicè adscriptos: priuatim colũto.* Cuius rei causam idẽ Tullius tradit his verbis: *Si quidẽ & illud bene dictum est à Pythagra, doctißimo viro: Tum maximè & pietatem & Religionem versari in animis, cum rebus diuinis operã daremus. neq; liberũ cuiquam esse debere de Religione*

Cic. lib. 2. de Leg.

Religione iudicium, quod hæc libertas magnã pariat perturbationem, atq; perniciem Reip. Idem Cic.li. 2. de natura Deorũ: *Cultus*, inquit, *Deorum est optimus, idemq́; castissimus, atque sanctissimus, plenissimusq; pietatis, vt eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.* Et in 3. lib. asseuerare non dubitat, Romulũ auspiciis, Numã sacris constitutis, Romanæ ciuitatis fundamenta iecisse; quæ numquam profectò sine summa placatione Deorũ immortaliũ tanta esse potuisset. Eodẽq; in libro profitetur, eandem vrbem diligentiùs Religione quã ipsis mœnibus cinctã fuisse. Quod ipse Numa videtur innuisse, dum cuidam dicenti, *Hostes, Numa, aduersus te bellum parant,* ita respondit: *Et ego Diis sacrifico.* id nimirum significans, cælesti præsidio magis, quàm militum robore & armis, hostium copias fundi atque vinci, & Rempublicam conseruari.

Cic. lib. 2. de natura Deorum.

Ibid. lib 3.

CAPVT V.

De Christianæ Religionis præstantia.

SI itaque Romana ciuitas, & aliæ Respub. imperij potentiâ florentissimæ, ac hominum opinione sapientissimæ, tanti superstitionem suam fecêre, ac Deos, inanes illos, turpes, ridiculosque & abiectos, Florã scortum, Priapum salacem, Iouem adulterum: & alia eius generis monstra coluêre: quantum curæ nobis Christianis adhibendum est, qua vigilãtia, quo pietatis studio ac labore conã-

dum, vt præpotenti veroque Deo pura mente seruiamus, eiusque sanctissimam atque castissimam Religionem, doctore Christo nobis traditam, colamus diligentissimè! Hanc enim nec humana ratio, nec Philosophorũ nobis patefecit industria. Tanta siquidem humanarum virium est imbecillitas, tanta rationis infirmitas, vt, ob præstantiam maiestatemque Religionis, eius omnino prohibeatur accessu. Caligat enim humana lux, si fidei splendore non collustratur. Nam priusquam ex hominum pectoribus ignorantiæ tenebras admirabile Euangelij lumẽ discussisset, tot erãt Philosophorum sectæ, tot muti & inanes Dij colebantur, vt numerum inire difficillimum sit: adeò vana & præter ordinem cuncta tradebant, qui habebãtur magistri ac professores sapientiæ, vt ab vera vitæ humanæ regula, nempe vltimi finis summique boni cognitione, totâ viâ deflecterent: denique opinionum varietate atque dissimilitudine sic inter se Philosophi diffidebant, vt non tantum in rebus exiguis contraria dogmata sequerentur, sed etiam de hominis felicitate tam diuersa & discrepantia sentirent, vt (Augustino teste) M. Varro, Romanorum sapientissimus, ducentas octoginta & octo eorum de summo & vltimo hominis bono sententias enumeret. Religio igitur Christiana cælitus ad nos delapsa est: *Vnigenitus* enim, *quia est in sinu Patris, ipse enarrauit.*

Cic. in lib. de nat. Deorum.
Plutarch de opin. diuers. Philosoph.
August. lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 1.
Ioan. 1.

rauit. hoc duce, hoc vno duntaxat magistro, diuinam potuimus accipere disciplinam; quia, vt D. Hilarius ait, *De Deo soli Deo credendum est.* Vt enim *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in ipso: ita & quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei,* 1. Cor. 2.
& cui Deus dignatur reuelare. Vnde etiam factum est, vt Christiana Religio de diuinæ naturæ præstantia præclarissimè sentiat ac loquatur; cùm ea affirmet, quæ nobis ipso Deo aperiente patuerunt. Sentit enim, Deum esse purissimum actum; quo verborum compendio intelligit diuinum Numen esse naturam quandam ita perfectam, vt nullis accessionibus crescat; cuius, inquam, ea sit maiestas, & quas illi tribuit perfectiones, vt ne minimum quidem à diuinitate discrepent, Deoq; inde nihil nouum accedat, nihil decedat antiquum, cùm omnia quæ vel hactenus fuerunt, vel in posterum futura sunt, tamquam præsentia contueatur. Credit præterea, Deum esse primam causam, à qua cæteræ moueantur; primam veritatem, ex qua reliquæ pendeant; primam bonitatem, vnde, quasi ex perenni quodam fonte, vniuersum bonum existat; primam pulchritudinem, cuius communicatione res pulchræ sint creatæ; primam perfectionem, quæ cæterarum omnium rerum perfectiones procreauerit. Nullam enim perfectionẽ rebus à se conditis impertiit Deus, quam

miro quodam & ineffabili modo diuinitatis suæ amplitudine non comprehendat; & infinitas propemodum alias contineat, quarum cæteræ res omnes haud sint capaces. Deniq; quidquid ad diuinam potestatem, gloriam, amplitudinemque quoquo modo pertinet, id omne Christiana fides in Deum perfectissimè confert: nihilque maius vel melius esse fingive potest, quàm quod de supremi Numinis omnipotentia, immensa sapientia, & infinita bonitate Religio nostra prædicat. Hæc eadem Religio docet, Devm, tamquam rerum omnium supremum Dominum, integra, pura, perfectaque mente venerandum, & præ bonis omnibus amandum, peccatum verò super omnia detestandum: proximum quoq; , Dei causa, eo quo nos ipsi complectimur affectu diligendum. Et quoniam imbecilla hominis natura non satis virium habet, vt iuxta Legis præscripta viuat, eiusque perfectionem assequatur, Lexque vetus, etsi facienda proponebat, tamen nec Spiritum tribuebat, nec vires ad ea quæ iubebantur implenda largiebatur, eratque proinde imperfecta, ad peccatum potius & Legis transgressionem, quàm executionem, iuuans, vt Apostolus docet: idcirco sacrosancta nostra Religio tradit, Euangelicam Legem Iudaica præstantiorem esse, vt quæ nō in lapideis tabulis (sicut Lex vetus) scripta sit, sed in cordibus Christianorum impressa

Rom. 7.

Exod. 31.

pressa. Est enim fœdus illud, quod cum hominibus pacturum se promiserat Dominus, *Ierem 31.* Legem consignando, & eorum cordibus in- *Hebr. 8.* scribendo. Quæ Lex diuina prorsus est atque cœlestis, cùm non tantùm ostendat quid agendum sit, sed etiam ad agendum, & exsequendum quod fuerit præceptum, voluntatem viresq́ue largiatur. Docet etiam, fidei Christianæ Religionis Sacramenta (quibus omnes aliæ tam Religiones, quàm sectæ caruerunt) instrumenta esse, quæ salutis nostræ vindex Christus ad gratiam in nobis efficiendam procreandamq́ue instituit. Nec enim nuda sunt gratiæ symbola, sed etiam eius effectrices causæ, quam in illorum animis gignunt, qui dignè hæc diuina mysteria obeũt. Quid eius antiquitatem referam? quid stabilem perpetuamq́ue constantiam? quæ iam inde à primis mundi incunabulis orta, per omnis consequentis æui tempora sibi constitit, vnaq; semper & eadẽ fuit, tametsi obscuriùs primùm tradita fuerit, deinde temporum decursu manifestiùs explicata. Dicó vnam eandemq́ue constanter semper fuisse, & nunc esse Christianam fidem, propterea quòd Deus vnus est; qui mysteria patefacit; vna Ecclesia; cui hæc patefiunt; vnum Ecclesiæ caput, nempe Pontifex summus, cuius ministerio diuulgantur; denique rerum ipsarum, quæ diuinitus nobis declaratæ fuerunt, (si quidem ad fidem pertineant) vnus idemq;

perpetuò & immutabilis tenor atque cursus: licet, quæ fidei non sunt, temporum varietate mutari soleant. Quis non dicam humana dicendi vi, sed cœlestium mentium facundiâ sic excellit, vt cætera Religionis nostræ præstantissima & admirabilitate plenissima vel prædicet, vel declaret? Quis locupletissimos sacrarum Scripturarum thesauros promat? Quis opiparum illud pinguium & medullatorum conuiuium referat, omni deliciarum & epularum genere instructissimum, quo sanctorum animæ, & hominum quantauis doctrina excultorum ingenia ad immortalitatem aluntur? Quis incorruptam atque purissimam omnisque erroris expertem doctrinam explicet? quàm illa blandè bonos mulceat, quàm grauiter malos terreat? quæ præmia rectè factis, quæ supplicia prauis designet? quàm suauis virtutibus, quàm infensa vitiis? quàm in promittendo liberalis, in præstando promissa fidelis & firma? nam summam, quam pollicetur, felicitatem re ipsa exhibet, hominesque reddit non tantùm sanctitate præclaros, sed etiam ea beatitudine cumulatos, quæ insitam nobis summi boni & extremi finis cupiditatem expleat. Quis innocentiam ac vitæ puritatem, qua sui cultores exornat, commemoret? quis admirabiles animorum conuersiones mutationesque enumeret? Etenim oues ex lupis, agnos

ex leonibus, ex ſerpentibus columbas, ex agreſtibus & infructuoſis lignis cultas & æternæ vitæ fructibus onuſtas arbores facit, quam profitemur, Religio. Quis enumerando percenſeat infinitam propè ſanctorum multitudinem, qui virtutibus omnibus vel antea floruerunt, vel etiamnum in terris florent, qui Eccleſiam non minus quàm cœlum clariſſimæ ſtellæ, colluſtrant? Quot habet Religio noſtra puerorum turmas, innocentiæ candore amictas! quot debilium & tenerrimarum puellarum cateruas caſtitatis laureâ ornatiſſimas, eaque Solis luce puriores, magiſque ſplendentes! quot agmina matronarum, quæ nobis propoſitæ ſunt tamquam præclariſſima pudicitiæ omniumque virtutum exempla! Quis referat Monachos, Anachoretas, Sacerdotes, Leuitas, qui cùm naturâ homines erant: fines tamen hominum mortalium diuino munere prætervecti, corporibus in terra, animis in cœlo habitabant? Quis Tullius, quis Demoſthenes pro meritis celebret ſanctiſſimos Doctores, qui per omnes ætates atque nationes Eccleſiam Dei clariſſima doctrinæ ſuæ luce perfuderunt? quod ingenij ac eloquentiæ flumen, ſi numerum eorum propè innumerabilem ineat, non exhauriatur? Cui tanta eſt dicendi copia, vt eorundem nō humanam, ſed diuinam prorſus ſapientiam enarrare poſſit? quis ſermone

aſſe-

assequatur altitudinem ac subtilitatem ingenij, maturitatem & grauitatem iudicij, sententiarum excellentiam & pondus, abundantiam elegantiamque verborum, dispositionis ordinem, argumentorum vim ac momenta, siue cùm propugnant sua, siue cùm impugnant & expugnant aliena; maximè verò afflatum illum spiritumque diuinum quidem & ardentem, humilem tamen, suauem, ac pium, quem redolet & sapiunt quæcumque scripserunt? Sicut enim Solis claritas & splendor ex radiis, quos emittit, dignoscitur: ita tot sapientissimorum hominum relicta posteris monumenta quasi radij quidam ad incomprehensam Dei sapientiam inuestigandam nos ducunt. Quæ omnia necessaria fuerunt ad hominis ingenium, quâ rude atque imbecillum, quâ temerarium sibique fidens, excolendum; ad Philosophorum vanitatem deturbandam, tumoremque comprimendum; ad malitiosam inscitiam, & inscientem imperitamque hæreticorum malitiam conuincendam; ad mysteriorum, quæ Christiana Religio continet, maiestatem copiosiùs apertiusque declarandam, ac altissimum sacrarum Literarũ pelagus ventis secundis, & prospero cursu sine periculo transmittendum. De martyribus nostris, fortissimis & inuicti animi viris æquè ac fœminis, satius est, iudicio meo, nihil planè dicamus, & casto prudentique silentio potiùs

honore-

honoremus, quàm illos propè muti & elingues celebremus: cùm beatarum ac separatarum mentium lingua vix enumerare aut enarrare sufficiat infinitos cōstantissimorum martyrum exercitus, tormentorū atrocium varietatem, pœnarum exquisitissimarum acerbitatem, sæuissimarum cædium immanitatem, suppliciorum crudelitatem, quæ fortiter, infracto & lætissimo animo, pro Christo pertulerunt. Hi omnes sanctissimi & beatissimi martyres, Ecclesiæ Catholicæ sunt milites; sapientissimi Doctores, eiusdem discipuli; Episcopi & Pastores, oues; fideles, siue religiosam vitam agant, siue in sæculo viuant, virgines pariter & coniuges, nobiles iuxtà ac ignobiles, pueri æquè atque senes, sapientes & insipientes, denique omnes cuiusuis conditionis & sortis homines, quos Christus redemptor gratia sua dignatus est, & suis meritis æternæ salutis participes effecit, sunt tamquam pulcherrimæ plantæ, quas hic deliciarum & voluptatis hortus protulit, tyrones, quos hæc sapientiæ cœlestis schola instruxit, milites strenui & acres ad istum exercitū adscripti, aulæ diuinæ domestici ac palatini, mansuetæ ac vocē Pastoris audientes huius sacri ouilis oues, Apostolicæ atque Romanæ Ecclesię legitimi veriquе filij quos illa vberibus suis admotos purissimo Religionis Catholicæ lacte aluit. Atque hæc Religio tot & tam præclaris cœlestis exercitus
agmini-

agminibus circumſepta, ſub ſummo Imperatore Deo ſemper ſtetit inuicta, ſemperq; ſtabit, & de potentiſſimis tyrannis, de verſutis & fallacibus hæreticis, de peccato, de morte, de inferno, cuius portæ aduerſus illam non præualebunt, triumphum egit, agetque, inſigni reportata victoria. Tanta enim Eccleſiæ Catholicæ vis eſt, tanta potentia, vt exigua duodecim vilium piſcatorum quaſi militum manu, orbe deuicto, valentiſſimum illum ac immanem tyrannum de ſede depulerit, atque deturbârit, in qua ſe fortiſſimis præſidiis communierat, & per idolorum inaniumque ſimulacrorum cultum verum Dominum ac Regem deiecerat, impoſita ſibi diuinitatis, quam vi detraxerat, corona. cuius tam crudelis erat in homines dominatus, vt acerba ſeruitute oppreſſos, ad cædendas ſibi immolandasque victimas, non fœdas illas & pecorum tantùm, ſed etiam humanas, cogeret; ita vt ab parentibus liberi, pietatis ſpecie, pecudum more mactarentur. Verùm eius qui in crucem actus fuit, vis admirabilis tantum potuit, vt terram exſecrabilium hoſtiarum ſanguine inquinatam, & ſordentem mundârit. mare pollutum purgârit, aërem fumo & nidore infectum purum ſanctumque fecerit, teterrimam hanc peſtem & diriſſimam luem, diſiectis falſorum Deorum fanis, euerſiſque aris, ac per ſummam ignominiam per ſolum tractis confractiſque & comminutis

minutis idolis, ab orbe terrarum auerterit, ipſum denique tyrannum ferum, & humani ſanguinis ſitientiſſimũ, iuxta Zachariæ Prophetę vaticinium, de ſolio deturbatum euerterit. Quod adeò pulchrum & eximium facinus, & facto adiuncta inſignis victoria, non aliunde exſtitit, quàm ex eorum morte, qui pro Chriſto capitibus obiectis cædebantur, & cæſi vincebant, inſignibusque & propè innumeris eorundem Deo auctore miraculis; quorum omnium maximum ac præſtantiſſimum fuit, totius orbis ad fidem Chriſtianam conuerſio, quemadmodũ poſt Auguſtinum à P. Ludouico Granatenſi ſapienter aſſertum eſt. Neque id vllus prudentior negauerit, ſi conſideret attentius primos Euangelij præcones ac magiſtros paucos fuiſſe, abiectos inopesq; piſcatores, (vt anteà à nobis dictum eſt) quique ardua & difficilia promulgarent, & quæ vel humanam fidem ſenſusque ipſos ſuperarent; vel ad operandum admodum eſſent laborioſa. Docebant enim, Deum eſſentiâ vnum, hypoſtaſi trinum eſſe; Deum & hominem in eandem cõueniſſe perſonam; ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum reipſa, non fide, contineri; eundem à Iudæis in crucem vt hominem tantùm actũ, Deum eſſe, & cœli ac terræ ſummum opificem; aliaque generis eiuſdem myſteria, quæ hominis captum infinitis partibus excedunt. Hortabantur etiam, ad perpetuam quandam crucem,

Zachar. 13.

Auguſt lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 5. Granat. in Catech.

crucem, & corporis exercitationem, (mortificationem vocamus) vtq; libidinibus cæterisq; voluptatum illecebris bellũ indicerent; cupiditatibusq; fractis, sui ac rerum suarum contẽptores essent egregij. Quæ omnia cum corrupta, & ad peiora semper propensa voluntate & natura pugnabant. Auditores porrò, quibus hęc inculcabantur, turpissimâ diffluebant luxuriâ; & carnis ventrisque serui, tamquam satanæ mancipia quædam, pecudum more vitam agebant. Præterea, rerum sensibus & carni aduersantium, ac proinde difficillimarum, præceptores, Principibus, Regibus, Imperatoribus acerrimis & infensissimis vtebantur inimicis, qui omnibus artibus, tormentis, excogitato (dæmonis afflatu) quouis supplicij & mortis genere, Euangelij propagationi obsistebant. Cæterùm oppugnârunt illi quidem, sed cædendo ceciderunt: obstinatiores restiterunt, sed victi tandem occubuerunt: milites sacros fideiq; propugnatores occiderunt, sed in ipsa morte, (quam veriùs vitam dixeris) qui cædebãtur, de tortoribus suis triumphârunt; victrixque Religio nostra, castris potita, palmã retulit, & in hoc vsq; tempus semper reportat, Christi auxilio fulta, quem tamquam defensorem suum, gloriam, coronam, triumphatoremq;, & agnoscit, & veneratur. Cùm igitur talis tantaque sit Christiana Religio, an non iure rebus cæteris omnibus anteferenda est?

CAP.

CAPVT VI.

De nominibus, quæ Christianæ Religioni sacra Scriptura tribuit: ex quibus eius excellentia declaratur, & quid nobis faciendum sit, docetur.

EADEM Christianæ Religionis præstantia & dignitas ex multis variisque nominibus, quibus sacræ Litteræ Ecclesiam ornãt, & commendant, colligi atque intelligi potest. siquidem Christus auctor, institutor, & eiusdem sponsus eam vocat [a] regnum Dei, [b] regnum cœlorum, [c] ciuitatem supra montem positam, [d] agrũ frumento satum, [e] pretiosum thesaurum, [f] Patris æterni sationem, siue plantationem, [g] vineã Domini, [h] ouium suarum gregem. Apostoli verò, primarij huius regni præcones, ac nobilissimi tantæ vrbis ciues, agri fertilis cultores, thesauri occulti custodes, vineæ luxuriantis operarij, gregisque sani pastores, hanc ipsam Ecclesiam appellant [i] Dei gregem, [k] credentium multitudinem [l] domum spiritalem, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, populum Dei ex tenebris erutum, & ad lumen admirabile vocatũ, [m] Spiritus sancti templum, [n] domum, ac [o] habitaculum, [p] Ecclesiam & [q] ciuitatem Dei viuentis, [r] columnam & firmamentum veritatis, [s] corpus Christi, [t] cœlestem Hierusalem, [v] ciuitatem sanctã, sponsam Agni; sponsam IESV Christi, [x] castam

a *Matt.* 21. *Luc.* 16.
b *Matt* 2. *5.* 13. 22.
c *Matth.* 5.
d *Matth.* 13.
e *Ibidem*
f *Matth* 16.
g *Matt.* 20. & 21. *Marci* 12. *Luca* 20.
h *Ioan.* 10.
i 1. *Pet.* 5.
k *Act* 4. & 5
l 1. *Pet.* 2.
m 1. *Cor.* 3. 2. *Cor.* 6.
n *Hebr.* 10. 1. *Tim.* 3.
o *Ephes.* 2.
p 1 *Tim.* 3.
q *Hebr.* 12.
r 1. *Tim.* 3.
s *Ephes.* 1. & 5.
t *Heb.* 12.
u *Apoc.* 21.
x 2. *Cor.* 11.

x castam purissimamque virginem; permultisque aliis id genus nominibus eam exornant, quibus significatur, & quæ sit Ecclesiæ sanctitas, pulchritudo, puritas, atque maiestas, & quæ obseruantia, amor, atque reuerentia illi debeatur; liquidoque constat, quàm meritò Reges & Principes cum ea se habeant, quemadmodum multis antè

Isaia 49.

sæculis per Isaiam Dominus promiserat: *Et erunt* (inquit) *Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent: & scies, quia ego Dominus; super quo non confundentur, qui exspectant eum.* Quæ cùm ita sint, cùm, inquam, Christiana Religio tam ampla sit, illustris, summæque maiestatis, & Christiani omnes veri eiusdem filij de fidei nostræ certa & firma veritate tam rectè sentiamus, (loquor enim cum iis, qui firmiter illi adhærent, nihilque admittunt dubitationis) necesse est, falsas vt omnes ac alienas opiniones, pugnantiaque cum eius doctrina dogmata abiiciamus, eamque audiamus vt magistram, sequamur vt ducem, & veluti lumen adhibeamus, quo nobis clarum apertumque fiat, quonam modo fidem nostram, dicta, facta, actionesque omnes dirigamus. Et corporea quidem lux ita nos perfundit ac collustrat, vt ipsa primò se oculis obiiciat, deinde colores, & quidquid adspectabile est. In eundem modum Religio nostra, quasi diuina

uina quædam & ſpiritalis lux, ſuo ſe primùm ſplendore nobis patefacit; deinde cæteras res aperit ac manifeſtat. Vtque regulam, ad quam diriguntur, quæ obliqua diſtortaque ſunt, rectiſſimam oportet eſſe: ſic Religio, quę actionum noſtrarum omnium, priuatarum & communium, domeſticarum & publicarum, quaſi norma eſt, ſanctiſſima rectiſſimaque omninò ſit neceſſe eſt, vt inflexa incuruaque erigere, & deformata reſtituere poſſit. Quam ἰσονομίαν, & ſanctitate mixtam æquabilitatem, in nulla alia à Chriſtiana Religione inuenies, quam nobis ſummus veritatis Præceptor tradidit, & totius ſanctitatis & honeſtatis fons deriuauit diffuditque. Quare Principes, qui in ſuo officio labi cadereque nolunt, noſſeq; cupiunt, quid erga Deum ac ſeipſos, quid erga eos, quos regunt populos, quid erga tam amicos; quam inimicos præſtare debeant, ſolam Chriſtianam Religionem vt magiſtram audiant, ſequantur vt ductorem. Si enim illius veſtigiis conſtanter inſiſtant, nuſquam errabunt, nuſquam offendent, & regnis rebuſque publicis, quæ gubernabunt, ſumma felicitas obtinget. Videamus ergo primùm, quid hæc ipſa Religio Regibus & Principibus præcipiat, qua obſeruantia & cura ab illis coli velit: poſtea cætera, quæ huc pertinent, perſequemur.

CAPVT VII.

Christiana Religio docet, quî Principes ad eam se habere debeant, vt imperia sua conseruent.

POSTQVAM in Deuteronomio monuisset Deus Israëlis posteros de Rege, si casus incidisset, designando, præcepisserque eum vt deligerent, qui ex numero fratrum suorum esset, non alterius gentis aut Religionis, & quem Deus ipse, non cuiusuis vota voluntasque constituissent; Regi iam constituto Legē hæc in verba præscripsit: *Postquam*
Deut. 17. *sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq́ illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominū Deum suum, & custodire verba & cæremonias eius, quæ in Lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiā super fratres suos, neq́ declinet in partem dexteram vel sinistram, vt lōgo tempore regnet ipse & filius eius super Israël.* Quibus verbis docet Spiritus S. antiquissimam omnium rerū, Regibus esse debere Legis notitiam atq; custodiā; iubetq; in primis, eam vt propria manu exscribat, vt eius animo altiùs infigatur: deinde, vt illā quotidie legat: ex quo quatuor potissimùm fructus decer-
Prouerb. 1. pet, quorum primus est Domini timor, qui sapientiæ initium est, & bonorum omnium fons atque origo. Proximus, cæremoniarum cultus,

cultus, & cœlestium mandatorum obserua-
tio, quibus fiet, vt populus Regis iussis & de-
cretis æquo & lubenti animo morem gerat.
Tertius, ne de se magnificè sentiat, nec ob
Regiam maiestatem aut imperium se efferat
insolentiùs, intelligatq; augustam illã quam
sustinet personam, & summam quam refert
maiestatem suam non esse, sed Dei, cuius vi-
ces gerit. Quartus & postremus, firmitudo
stabilitasque Regni tanta, vt solidum illud &
stabile liberis ac nepotibus tradat perpetuò
administrandum. Quæ regnandi sceptrique
diuturnissimè conseruandi cupiditas, omnibus
ferè Regibus communis est. Quam quidem
perpetuam & constantem imperij & princi-
patus conseruationem, qui ad ea, quæ dixi-
mus, mentem non aduertunt, vana prorsus
& humana ac inani politici status ratione ac
disciplina conantur assequi. Iusserat DEVS
Moysi, vt post se vniuerso Israëlis exercitui
Iesum Naue Imperatorem præficeret; cum-
que modum & ritum, quo id faceret, præ-
scripsisset, hæc verba subiunxit: *Pro hoc si quid* Numer. 27.
*agendum erit, Eleazar Sacerdos consulet Domi-
num. Ad verbum eius egredietur & ingredietur i-
pse, & omnes filij Israel cum eo, & cætera multi-
tudo.* Vt intelligamus nihil aggrediendum,
nisi Deo in consilium adhibito; pacis belliq;
negotia omnia Sacerdotum iussu & arbitrio
moderanda, ob summam, quam Religioni
debemus curam. Post obitum verò Moysi sic

Iosue 1. Deus ipsum Iosue affatur: *Confortare, & esto robustus valdè, vt custodias & facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus. Ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, vt intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen Legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus; vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viã tuam, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus: noli metuere, & noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumq; perrexeris.* Præcepit itaq; Dominus exercitus sui ductoribus, vt diuinam Legem noctes ac dies euoluant & meditẽtur, vt Deo duce consiliorum & negotiorum suorum quos optant, exitus consequantur. Qua etiã de causa Iosue grauis iam ætate, & extremâ propè vitâ, Duces omnes, Proceres, maiores natu, id vt facerẽt,

Iosue 23. grauiter his verbis cõmonefecit: *Confortamini, & estote soliciti, vt custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine Legis Moysi, & nõ declinetis ab eis neq; ad dexterã, neq; ad sinistram.* Paucisq; interiectis subdit: *Tunc auferet Dominus Deus in cõspectu vestro gentes magnas, & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit. Vnus è vobis persequetur hostiũ mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est. Hoc tantùm diligentissimè præcauete, vt diligatis Dominum Deum vestrum.* Dauid summa sanctitate Rex, cùm hæc expertus esset, sciretq; summa æterni Numinis benignitate, se ac suum regnum

regnum ab hostium impetu semper vindicatum ac defensum propterea fuisse, quòd ad diuinam Legem obseruandam maximam adhibuisset diligentiam, vehementer optãs, vt filius Salomon vestigiis paternis insistens, non regni tantùm, sed etiam pietatis ac virtutis esset hæres, & Deo propitio imperium eius nouis accessionibus cresceret, sic illum moriens allocutus est: *Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir; & obserua, vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius, & custodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & testimonia, sicut scriptum est in Lege Moysi, vt intelligas vniuersa quæ facis, & quocumque te verteris: vt confirmet Dominus sermones suos quos locutus est de me, dicẽs: Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint corã me in veritate in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.* Hæc Dauid ad Salomonem; quem etiam DEVS iam regnantem sic est affatus; *Si ambulaueris in vijs meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos.* Inter Reges Iuda præcipua sanctitate floruit Iosias, Deoque fuit acceptissimus. Hic igitur, cùm repertus esset in templo liber Legis, in quo cõtinebantur minæ atq; terrores, quos Legis suæ cõtemptoribus Deus denunciabat, & eius lectioni attẽtas aures præbuisset, vehementer perterritus est, & scissa veste suprà quã dici potest, expiauit,

3. Reg. 2.

3. Reg. 3.

4. Reg. 22.

consuluitq; Dominum super se, & super populo suo; & super omni Iuda, de verbis voluminis illius, quod erat inuentum; adiecitque: *Magna ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, vt facerent omne quod scriptum est nobis.* Ex quo perspicuũ est, nihil carius antiquiusq; Regibus esse debere, quàm vt præcipuo studio & cultu ad Deum religiosè accedant, eiusq; sanctissimæ Legi pareant, & diligenter curent, vt eis subiecti eidem obtemperent. Regibus enim hæc studiosè obseruantibus, vt omnia prosperè eueniant, facit Deus, regna eorum conseruat, & in terris caducâ atque huius vitæ, in cœlo sempiterna felicitate donatos beat. Nam cùm Reges non sint præcipui propriique Domini, sed Dei veri: ac supremi Regis administratores & vicarij, qui (vt ait Daniel) *mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit:* necesse est, vt omnia consilia sua & actiones ad Deum referant, & attentè considerent; accurateque perpendant Regis sui præscripta, ordinemque ab eo constitutum, vt administrationem suam ad Dei voluntatem, formulamq; Legis accommodent. Etenim si administer quispiam, vicesq; Regis gerens, suo sensu & arbitratu, non autem ex Domini sui præscripto ac voluntate, commissum sibi regnum moderaretur, licet id videretur optimè administrare: reipsa tamen ab officio suo recederet; & dignus esset prorsus,

Ioseph. lib. 4. Antiquitat. cap. 5.
Daniel. 2.

ſus, quem Rex, tanta poteſtate abdicatum, grauiſſimis ſuppliciis caſtigaret. Quapropter Sapientia ſic Reges compellat: *Audite ergo Reges, & intelligite; diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui cõtinetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo; qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non recte iudicaſtis, nec cuſtodiſtis Legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet.* Eandem hãc veritatem ſacra Scriptura, ea præſertim quæ prophetias vel hiſtorias complectitur, inculcat. Libri Ioſue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, ac Machabęorum, innumera nobis ſuppeditant exempla, quibus apertum fit quantis beneficiis proſecutus ſit Deus eos Iudices, Principes Reges Iudęorum, qui Religionem purè ſyncereque coluerunt; & quã acerbè in eos animaduerterit, qui Religionẽ habuêre deſpectui. Sed ne prolixitate tædium lectori adferam, vno hoc exemplo contentus ero, quod ſummatim ea omnia, quæ de re propoſita in ſacris Voluminibus dicuntur, complecti videtur. Cùm Holofernes, dux belli Nabuchodonoſoris Regis Aſſyriorum, ducto in Iudæam exercitu videret Bethuliæ ciues animo prõpto ac ad reſiſtẽdum ineundumque bellum parato, quod aliæ na- Sap. 6.

tiones metu perculsæ datis dexteris declinassent; vehemẽter admiratus, scire voluit quęnam gens ea esset, quo Rege, quibus præsidiis atq; armis nixa tam forti animo tanto exercitui auderet resistere; idq; ex Principibus Moab & ducibus Ammonitarum sciscitatus est. Cui Achior, dux omnium filiorum Ammon, licet Gentilis adhuc, multis admirandisque beneficiis, quæ Deus in eam gentem contulerat, percensitis, in hæc verba respondit: *Vbicumque ingreßi sunt sine arcu & sagitta; & absque scuto & gladio, DEVS eorum pugnauit pro eis, & vicit: & non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando receßit à cultu Domini Dei sui. Quotiescunque autem, præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.* Deinde hæc subiicit. *Nunc ergo, mi Domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, & ascendamus ad illos: quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erũt sub iugo potentiæ tuæ. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis: quoniam Deus eorum defendet illos, & erimus opprobrium vniuersæ terræ.* Verum hoc fuit ꝓbatissimumque ac oraculo simile Archionis responsum. Quod tamẽ Holofernes & Principes ac duces exercitus grauiter acceperunt, ac in iram accensi paullum abfuit quin salubriter monentem discerperent durior enim videbatur hęc sententia, filios Israël, inermes

Iudith. 5.

licet

licet, nisi Deum suum haberent iratum, Regi Nabuchodonosor eiusque exercitibus resistere posse. Captum itaque ipsum Achiorē manibus & pedibus à latere montis Bethuliæ oppositi arbori alligatum reliquerunt, vt à Iudæis solutus, & in vrbem inductus, iis sub iugum missis, euersisq; oppidis omnib⁹, Holoferni pœnas daret. Verum suo tandem magno malo didicerunt quàm vera fuerit prædictio, quando admirabilis & sanctæ fœminæ Iudith manu cæso & capite mutilato Holoferne, Assyriorum exercitus fusus est atque dissipatus.

CAPVT VIII.

Christianæ Religioni eo nomine maximam venerationem deberi, quod præclara nobis tradat de diuini Numinis præstantia ac maiestate.

HÆC est summa omnium eorū quæ sacræ litteræ nos docent. Hoc concluditur quicquid Spiritus sanctus Prophetis afflauit, per Apostolos tradidit, per Ecclesiæ Doctores prodidit, ad Principum instructionē, vitæ institutionem, laborum pręmium, actionumque suarum felicitatem quādam. Quidquid de proposito argumento dici potest, eò spectat, vt Legem diuinam ob oculos ponant, in eam tamquam speculum intueātur, exemplaris cuiusdam vi æ ac lucis sit loco

eam

eam consulant: illi adhæreant, cum ea somnum capiant, è strato surgant, cum ea cibo reficiantur, cum ea laborent & fessi quiescãt, cum ea belli pacisve tempore consuescant, promeritisq; vel vitam vel mortem largiantur. Curarum hæc sit prima & postrema, vt diuinis mandatis obtemperent, & sanctissimæ Religioni debitum honorem ac cultum impendant. Sic enim vtentur fauente atque opitulante Deo, qui solus regna dat, Reges gubernat, eorumque mentes illuminat, & consilia suggerit, vt, quid agendum sit, intelligant; animum addit ad aggrediendum, vires & industriam suppeditat ad cœpta perficienda, & prospero successu concludit quæ in eius honorem & gloriam suscepta sunt. Ille est, qui in maxima ærarij inopia de opibus & thesauris prouidet, abstrusas & latentes in Principes insidias patefacit & castigat, sumptuum causas auertit ac præcidit, bellorum semina euellit, inimicos terret, & de iis victoriã tribuit; deniq; tanquã suprem⁹ Rex & huius vniuersitatis Monarcha, Reges omnes seruos suos & administros, gloriosos beatosque facit. Atque hoc primum & maximum est, quod generatim eadem Religio nos docet. Verùm exponamus ista explicati⁹, & veluti per partes tradamus, quæ de præsenti materia eadem Religio particulatim explicat. Quæ vt dicta nobis faciliùs persuadeat altiusq; imprimat, in sacris Paginis proponit

sum-

ſummum timorem, humilem obſeruātiam, amorem ardentē, quibus Deum reuereri & colere debemus. Quam in rem docet, ſupremum illum rerum omnium architectum cęlum, terram, elementa vniuerſa & quidquid corporeum eſt, aut corporis expers, ex nihilo creaſſe. Eundem omnipotentem eſſe; &, qui voluntati eius reſiſtat, eſſe neminem. quod ſi temerè attentet, pudore & ignominia cōfundi. *Excelſior* enim *eſt cælo, profundior inferno; longior terrâ menſura eius, & latior mari;* quia immenſus & incomprehenſus: ac licet res omnes comprehendat, à nulla tamen cōprehēdi poteſt. *Si ſubuerterit omnia, vel in vnū coarctarit; quis contradicet ei, vel dicere poterit, Cur ita facis?* Si deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet; ſi clauſerit portam, nemo eſt qui aperiat. *Omnia* enim *quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra; in mari, & in omnibus abyßis. Cui millia millium miniſtrant, & decies millies centena millia aßiſtunt. Columnæ cæli contremiſcunt & pauent ad nutum eius. Qui mittit fulgura, & eunt, & reuertentia dicunt, Adſumus.* Cuius imperio, quidquid creatum eſt, paret, obtemperatque voluntati. Docent eædem Scripturæ, Deum ſapientiſſimum eſſe, & infinitum quoddam ſapientiæ omnis pelagus. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Qui arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſeculi dinumerauit; altitudinē cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyßi dimen-*

Geneſ.1. *Geneſ.17.* *Geneſ.50.* *Iob.9.* *Iob.11.* *Pſalm.134.* *Daniel 7.* *Iob 26.* *Iob 38.* *Pſal 146.* *Eccleſ.1.*

Hebr. 4. *dimensus est.* Qui præterita, præsentia ac futura nouit, qui profundos & intimos humanorum cordium recessus penetrat, cuius oculis omnia nuda sunt & aperta, nec absconditum quidquam in conspectu eius. Insuper docent, maximum, potentissimum, ac sapientissimum hunc Regem, esse quoque locupletissimum; cuius sit magnaficentia, potentia, gloria, laus atque victoria ad quem omnes spectent thesauri, quia eius solius imperium & magnitudo, *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, solus Rex sæculorum inuisibilis & immortalis, qui regna dat & aufert, qui ex humili pauperem erigit, & cui adlibuerit sceptrum & coronam donat: potentes verò, bysso, auro, & gemmis onustos, de sede deponit. Tradunt etiam, Deum summè bonum, & natura quidem atque essentiâ bonum, bonorumque omnium bonitatem & fontem, rerum creatarum principium & finem, quique nulla necessitate, neque nobis indigens, sed naturali & insita bonitate ex nihilo nos procreauit, suæq; diuinitatis capaces fecit, atque ad imaginem & similitudinem suam formauit: quam cùm peccatis & vitiorum sordibus turpassemus, pietate & sola clementia impulsus, fragilem & mortalem carnem nostram induerit, qua vestitus infinitos labores, cruciatus; pœnasq; pertulerit, ac tandem nudus & inter latrones in cruce medius nostri causa & amore mor-

1. Paral. 29.
1. Tim 6.
Apoc 19.
1. Tim. 1.

mortem oppetierit, vt pœnas noſtris ſceleribus debitas in corpore ſuo lueret. Cùmque Rex eſſet gloriæ, vitam ſuam voluit profundere, vt abiectiſſimus ſeruus vita frueretur: quod nulla neceſſitate compulſus, ſed mero impulſus amore & bonitate fecit, & vt ſe nobis quis & qualis eſſe oſtenderet, Quis ergo timor debetur tam magno Domino? quæ reuerentia tam potenti Regi? quæ obſeruantia ſupremo & infinitæ maieſtatis Principi? Quam conſideratè & circumſpectè in eius oculis viuere conuenit, qui noſtras cogitationes, affectus, corda, curas intuetur, & veluti in libro ſcriptas legit! quam dulci & ardenti eum amore complecti, qui tanta, tamque acerba, pro nobis perpeſſus eſt!

CAPVT IX.

Prouidentia qua Deus res omnes, ſigillatim verò homines curat.

EADEM Religione magiſtra diſcimus, Deum prouidentia ſua regere quidquid ſapiẽter fabricatus eſt, ſpeciatim verò homines, eoſque maximè, qui illum amant, & debito cultu proſequuntur. Nam ſicut Deus efficiens eſt rerum omnium cauſa, quibus etiam vt ſint tribuit, atque ita tuetur, vt, ſi vel momento temporis ab earum conſeruatione deſiſtat, in nihilum, vnde principium duxerũt, recidant: pari ratione neceſſe eſt, vt

cum

cum creatis omnibus concurrat in earũ motionibus, in iisdem per essentiam exsistat. & ad agendum moueat, ac prouidentia sua fortiter à fine ad finem attingat, & suauiter disponat: ita vt non cælos tantum, sed & terrã; non suprema modo, sed & infima, Angelos & vermes, homines & bestias, prouida sua manu curet: neque quidquam sit tam paruũ, vile, & abiectum, quod ab eadem non dependeat. Huc spectant: *Vestri omnes capilli capitis numerati sunt*; *Non cadit folium de arbore absque Dei voluntate*; *Considerate lilia & flores agri quomodo crescunt, fenum agri quod Deus sic vestit*; pluresque eiusdem generis sacræ scripturæ sententiæ: quibus dictorum veritas confirmatur. Quin & Plato Philosophus idem natura duce & cognouit & docuit; pluribusque ab medicis industriis ac expertis, qui morbos leues & graues curant; ab patribusfamilias, quibus domestica quæque cordi; prouidis gubernatoribus, qui nihil à se ciuitatis reiiciunt; belli ducibus, qui vita sunt & anima exercitus, nec pauca nec parua negligunt; ductis exemplis, confirmat. Tota certè Dei potentia non minus necessaria est ad florem producendum, quàm ad supremã aliquam cælestium mentium procreandam, quemadmodum verbis sequentibus docet D. Augustinus: *Omnipotens manus tua, semper vna & eadem, creauit in cælo Angelos, & in terra vermiculos: non superior in illis, non inferior in istis.*

Matth. 10.
Luc. 12.
Matth. 6.
Plato Dial. 10. de Leg.
Soliloq. c. 9.

istis. Sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla posset creare vermiculum: sicut nulla cælum ita nulla posset creare minimum arboris foliū: sicut nulla corpus, ita nulla vllum capillum album posset facere, aut nigrum: sed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo sunt possibilia. Nec enim possibilius est ei creare vermiculum, quàm Angelum; nec impossibilius est extendere cælum, quàm folium; nec leuius formare capillum, quàm corpus; nec difficilius fundare terram super aquas, quàm aquas super terram. Hactenus Augustinus. Quemadmodum ergo opus est diuina potētia ad creandum res quasque, quantumuis debiles & abiectas: ita etiam ad easdem conseruandas, & in fines suos dirigendas, eiusdē prouidentia est necessaria. Quæ tamen maximè in hominibus gubernandis cernitur, quia sunt veluti Domini earundem rerum, quorum etiam causa sunt conditæ. Quòd si Deus plantarum, florum, fructuum, bestiarum, piscium, auium, aliarumque rerū quas in vtilitatem hominis procreauit, curam aliquam singularem suscipit, multò certè maiorem hominis, cui hæc omnia subiecit, suscipiet. Neque tamen hæc circa hominem prouidentia vniusmodi semper est, aut æquabilis rationis, vt est illa qua reliqua gubernantur: (hæc namque semper sunt eadem, sibiq; consentiunt: homo verò cum sit liber, & dominus atque arbiter voluntis suæ, varius est & mutabilis: nunc ex virtute in vitium fle-

flectitur, nunc à vitio ad virtutem redit: quã-obrem opus est, præmiis bonos remuneret, suppliciis malos castiget) nihilominus attenta, solicita, singularis, & admirabilis prorsus, adeòque accurata & exquisita, vt singulos sic curet, quasi nullius alterius rei curam gerat. Quod sanctissimus iuxta ac subtilissimus Ecclesiæ Doctor Augustinus cum Deo ratiocinans profitetur, cuius verba, quòd mihi admirabilia videantur, hîc attexam. *Cum cunctis* (inquit) *præsideas, singula implens, totus semper vbique præsens, cunctorumque curam agens quæ creasti, quia nihil odisti eorum quæ fecisti: sic gressus meos semitasque consideras, & die noctuque super custodiam meam vigilas; omnes semitas meas diligenter notans, speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ cæli & terræ oblitus, tantum me solum consideres, & nihil tibi sit curæ de aliis. Neque enim tibi crescit lux incommutabilis visionis tuæ, si tantum vnum adspicias; neque minuitur, si innumera videas, & diuersa. Quia sicut vnum totum simul perfectè consideras, sic singula quælibet, licet diuersa, perfectè simul totaque totus conspicit visus tuus. Sed sicut omnia, sic vnum; & sicut vnum, sic singula, totus simul sine diuisione, vel commutatione, vel diminutione consideras. Itaque totus tu in toto tempore, sine tempore, totum me simul semperque consideras, ac si nihil aliud considerare habeas. Sic igitur super custodiam meam stas, sicut si omnium oblitus sis, & mihi soli intendere velis. Semper quip-*

Solilo. c. 14.

quippe te præsentem exhibes, semper te paratum offers, si me paratum inuenis. Quocumque iero, tu me, Domine, non deseris, nisi prior ego te deseram. Vbicumq; fuero, non recedis, quoniam vbique es: vt quocumq; iero, inueniam te, per quem esse possim; ne peream sine te, cum sine te esse non possim, Hucusque sanctus Augustinus. Quod ipsum Senecam, Gentilem alioquin, nō latuit cum diceret: *Nihil Deo clausum est: interest animis nostris, & cogitationibus interuenit.* Seuerinus etiam Boëtius: *Quoniam* (ait) *solus Deus intuetur atque videt omnia, solus Sol verè dici potest.* Et Epictetus Philosophus apud Arrianum ita loquitur: *Cum ianuas adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne vmquam in mentem veniat dicere quod soli estis, sed Deus est, & genius vester intus est. Quid autem opus iis lumine, vt vidiant quæ agatis.*

Seneca epistola 54.

Boëtius de consol.

CAPVT. X.

Prouidentiam diuinam singularem & paternam magis esse erga Reges bonos; quare Religionem maiori studio complecti debere.

ETSI verò Deus generali quadam prouidentia, de qua locuti sumus hactenus, hominum curam gerat: maior tamen & singularis magis est ea, qua bonos & iustos complectitur, quos tamquam amicos filiosque dulcissimos tractat. Quod etiam com-

Plut. libro Non posse suauit. viui sec. Epic.

probat Plutarchus, qui Hermogenis de prouidentia Deorum circa bonos sententiam referens, hæc habet verba: *Qui sciunt & possunt omnia Dij ita me amant, & tam solicitè curant, vt noctu dieq; mihi assistant, sciantque quid agam, atque agere mediter, dirigant etiam, & euentum finemq; rerum indicent.* Et paulo post: *Omnia sunt Deorum, amicorumque communia sunt omnia: cumque Dij bonis sint amici, fieri non potest, quin illis sint cari, ac proinde felices.* Sed clarius & admirabilius multo Spiritus sanctus: *Oculi Domini* (inquit) *super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegumen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Et Regius Vates: *Oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius: vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Et alibi: *Apud Dominum gressus hominum dirigentur, & viam eius volet. Cum ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.* Et Psalmo 33. *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his nō conteretur.* Neque solùm numerata habet ossa iustorum Dominus, sed & capillos capitis, ne vllus pereat, vt in Euangelio affirmat. Atque ob hanc singularem & suauissimam erga iustos prouidentiā Dominus in sacra Scriptura vocatur Pastor, Rex,

Eccli. 34.

Psalm. 32.

Psal. 36.

Matth. 10. Luc. 12.

Rex, Magiſter, Medicus, Nutrix, Cuſtos Pater & Mater, animarum Sponſus dulciſſimus pluribuſque aliis his ſimillimis nominibus; quòd illos paſcat, regat, doceat, curet, ſinu foueat & complectatur, ſollicitè aduigilet, ametque tenerrimè. Ex quibus diſcimus, quantum opis & præſidij in cœleſti hac prouidentia poſitum habeant iuſti. Quæ cum ita ſint, quid præſtandum nobis eſt, vt tantæ erga nos prouidentiæ reſpondeamus! quo ardore, quo conatu, qua vigilantia ad eius iuſſa exſequenda debemus inſiſtere! qua caritate, qua beneuolentia, quo affectu complecti ſuauiſſimum patrem dulciſſimam matrem, fideliſſimum noſtrique amantiſſimum ſponſum! Quòd ſi tanta tamque peculiaris & paterna erga quemcunque hominem qui iuſtè viuit, Deoque deſeruit, eſt prouidentia; quantam futuram putamus, qua Reges & Principes, qui illi adhærent & obſequuntur, curat & tuetur? præſertim cum ſint media & inſtrumenta quædam, quibus ſubditi & clientes ad DEO ſeruiendum trahantur; cùm honeſta æmulatione, pro tradita ſibi poteſtate, ex regnis vitia euellant, virtutes inſerant, malos pœnis caſtigent, bonos præmiis remunerent, denique vt Dei adminiſtri procurent vt omnes DEVM laudent & reuereantur, boni quidem amore virtutis, mali & vitioſi pœnæ metu. Diuus Thomas in opuſculo quodam

S Thom. Opusc. 20. lib 1 ca. 9. Ægid. Rom. lib. 1. p. 1. cap. 13. de reg. Princ.

dam de regimine Principum, quod Regi Cypri inscripsit efficacibus argumentis probat, maiora multo præstantioraque præmia bonis Regibus ac Principibus quàm hominum vulgo constituta esse. Nam si præmium virtuti debitum est, maiori maior debetur remuneratio. Maior autem & præstantior ea est, qua iuuante, cùm possit malè facere, non facit: & in tanta peccandi licentia, tot occasionibus & libidinum flammis, nec capitur illecebris, nec cupiditatibus ardet vel consumitur: maior, inquam, ea est virtus, qua non seipsum modò, non domum, non ciuitatem, non populum vnum, cui præest, regit; sed porrecta & extensa longiùs multa regna, diuersas prouincias, differentes nationes gubernat. Rex enim non vtcumque Rempub. modaratur, sed vel instar supremi cuiusdam artificis & architecti, à quo operæ omnes inferioresque opifices pēdent; vel more Ducis & Imperatoris, qui exercitum regit & confirmat, estque eiusdem salus, vita, & anima; vel vt Sol alius in mundo, & quidam in terra Deus, cuius vicarius & minister est Rex probus, vnde tamquam viuam DEI effigiem & simulacrum, populi suspiciunt & reuerentur, cùm publicum & commune bonum tamquam Deus procuret ac conseruet. Atque hactenus quæ dixi de prouidentia qua Deus rebus omnibus, præcipuè verò bonis hominibus, & fidis Regibus

gibus consulit, in medium adduxi, quia fundamentum & basis, qua niti debet pij Principis administratio & fiducia, est, eam ex Deo pendere, brachiis fulciri, & in prouidentia eiusdem conquiescere. Deinde, vt Politicorum artes fraudesque detegam, qui eiusmodi Principibus gubernandi præcepta tradũt, vt de medio diuinam prouidentiam tollere videantur, & fortuna ac casu, calliditate malitiaque humana mundum regi opinentur. Vnde etiam fit, vt malitiosi Principes, qui præposteram hanc & peruersam doctrinam sequuntur, cum DEVM non vt patrem agnoscant, neque vt boni filij in eo spem reponant, media alia exquirant, & quæuis, quæ cum iustitia pugnant, moliantur, vt statum dignitatemque suam tueantur. Existimant enim defuturam sibi opem diuinam, vel Deum, quæ maximè cupiunt, non concessurum; aut, si concedat, tardè, parcè, atque infra modum, quem sua insatiabili cupiditate definiunt, largiturum. Quare etiam petitis ab humana prudentia industriaque præsidiis, putant, hæc quasi compendiariâ semitâ, quæ cupiunt, perfectius se assequi posse. At Christianus & pius Princeps, qui de summa Numinis maiestate sentit vt par est, nouitque quo DEVS obsequio & oseruantia sit colendus, neque ignorat quàm prouidè imperia gubernet, regnaque & principatus conseruet, adhibet quidem, quã-

tum in se est, quæ ius fasque permittunt, ita tamen vt diuinâ prouidentiâ nitatur, eiusdem promissis fidem habeat, & in tutela custodiaque planè conquiescat. Certum enim illi indubitatumque est, regna & status omnes Dei esse, ab eodem dari & conseruari, & absque eo nullâ sapientiâ aut potentiâ humanâ conseruati posse. Si Deus votis ac desideriis annuat, gratias agit: si abnuat vel recuset, non fert grauiter, sed omnes rerum euentus, qui è diuinæ sapientiæ & bonitatis fonte dimanant cõuenientissimos interpretatur. Quam tanti æstimat, vt turpissimum & indignissimum arbitretur, quacumque ratione offendere, vel ob quęuis imperia aut tuendam suam potestatem ab ea deficere. Plutarchi grauis & præclara sententia est: *Qui prouidentiam Dei negant magna se suauitate priuant, qua perfruuntur illi qui eam credunt, & in illa confidunt.* [a] Clemens etiam Alexandrinus dicit miserrimos esse, qui Dei patrocinio destituuntur.

Plut. libro Non posse suauit. viui sec. Epic.
a Orat. ad Gent.

CAPVT. XI.

Quæ sit vera Regum felicitas, & quod præmium laborum eorundem.

VERVM hîc aperiendũ exponendũque est, quænam sint illa eximia præmia, quæ bonis Regibus ob Rẽp. iustè & laudabiliter administratã à Deo donantur. An fortè

ingentes sint thesauri, opulentæ ditiones; potentissima regna, commeatuum copia, salus, robur, vita longior, de hostibus victoria, pax, honor, gloria, quæ vulgus in felicitate reponit, & Politici summi boni loco ducunt, &, tamquam ad scopum, ciuilem omnem procurationem dirigunt? Atque hæc quidem omnia, cùm conuenit, abundè largitur Dominus noster Regibus & Principibus Christianis qui fideliter illi deseruiunt: verùm si istiusmodi bonis merces & factorum fructus definitus circumscriptusque esset, perangustus sanè, vilis, & exigui valoris haberetur? & sæpenumero inter Catholicum & hæreticum, Christianum & Ethnicum, bonum & malum Reges nihil esset discriminis, præsertim si in his solis posita esset felicitas, cùm hæc vtrisque distribuat Deus, vt ea ratione declaret, quàm parui æstimari debeant. Qua de re agens Augustinus, ita loquitur: *Neque enim nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reip. domuerunt, vel inimicos ciues, aduersus se insurgentes, & cauere & opprimere potuerunt. Hæc enim & alia vitæ huius ærumnosæ vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quò pertinent isti. Et hoc ipsius misericordiâ factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed fe-* *Aug. libr. 5. de ciui. Dei, cap. 24.*

lices eos dicimus, si iustè imperant; si inter linguas sublimiter honorantium, & obsequia nimis humiliter salutantium, non extolluntur, sed se homines esse meminerunt; si suam potestatem, ad Dei cultũ maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes; si tardius vindicant, facilè ignoscunt; si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæq; Reip. non pro saturandis inimicitiarum odijs, exserunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si, quod asperè coguntur plerũq; decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorũ largitate compẽsant; si luxuria tanto eis est castigatior, quãto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare; & si hæc omnia faciũt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter caritatẽ felicitatis æternæ; si pro suis peccatis humilitatis & miserationis, & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt. Tales Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea re ipsa futuros, cùm id, quod exposcimus, aduenerit. Hactenus Augustinus. A quo non recedit S. Thomas, qui multis argumẽtis probat, iusto Regi actionum suarum finem esse, non debere opes, honorem, huius temporis gloriam, neque quidquam eorum; quæ Deus bonis iuxtà ac malis Regibus cõmunicat; sed Deum ipsum & sempiternam illam, quã nos Christiani speramus felicitatem: qua eo maiori &

Opus. 20. lib. 1, cap. 8.

iori & vberiori Reges perfruentur, quo magis illi Deum referunt, & plus studij & laboris in Rege Regum colẽdo ponunt. In Conciliis Hispaniæ, quæ Garcias Loaysa, Philippi Principis Domini nostri dignissimus Magister, collegit, & eruditis annotationibus illustrata in vulgus emisit, exhortatio quædam Episcoporum ad Principem habetur, (quam *Viam Regiam* meritò appellãt) in qua de præmiis, quæ Regibus proposita sunt, fit sermo hunc in modum: *O quàm beata est vita Regum iustorum! quæ & his temporalibus rebus fulta nitescit, & in æternũ cum Angelis immortaliter requiescit: hîc terrenis nutritur deliciis, illic gloriâ vestitur decoris: hîc populorũ constipatur cateruis, illic choris comitatur Angelicis: hîc hominũ multitudine delectatur, illic cũ Angelorũ choro lætatur: hîc in militia Imperatoris obtemperat, illic in militia Redemptoris exsultat: hîc stola vestitus regali nitescit, illic gloria immortalitatis indutus refulget: hîc Regis diademata portat, illic gaudio exsultationis resultat: hîc terreni Regis filius vocatur, illic cœlestis Regis filius confirmatur: hîc terreni regni decenter magnam capit hæreditatem, illic cœlestis regni felicem feliciter accipit portionem.* Hucvsque quæ ex admonitione ad Principem deprompta sunt. Hæc sunt quæ Christiana Religio nos docet de Dei magnitudine, maiestate, potentia, sapientia, bonitate, & prouidẽtia, qua res omnes, & potissimũ homines, inter eos optimos quosq; , Reges verò maximè, qui vt Deo seruiant, diligenter elaborãt,

Garcias Loaysa in princ. Con. Hispan.

curat: quàm fauente etiam & benigno illo vtantur; in quo præcipua & veriſſima Regum felicitas conſiſtit. Quæ omnia mille nominibus eoſdem obſtrictos tenent, vt nec temporis puncto à diuina Lege mentis oculos deflectant; excitantque vt ament, obſeruent, colant, & vt ſupremo rerum omnium Domino pareant, & tam conſtanter eius voluntati adhæreſcant, vt nullius poteſtatis vel dignitatis amittendæ metu à diuinis præſcriptis mandatisque recedant vnquam. Nam regnorum iacturam pati Dei cauſa, lucrum potius eſt, quàm detrimentum: lucrari verò & abſque eo euincere, perdere eſt, non tenere. quamquam non niſi Deo propitio & adiutore acquiruntur vel conſeruantur imperia, diuinoque præſidio deſtituta ruant neceſſe eſt. Obligant præterea, vt fidei Catholicæ defenſionem & Eccleſiæ patrocinium ſuſcipiant, eiuſdemque Præpoſitos ac Sacerdotes honorent; tanquam fidi miniſtri diuinam voluntatem exſequantur; hæreſum & hæreticorum euerſores; malorum flagella & virgæ, præmia & ſolatia bonorum. Tandemq; adſtringunt, vt Deum dictis factisque nobis exhibeant ac repræſentent, ſtudia omnia, primas cogitationes & conatus in Chriſtiana Religione tuenda, & amplificanda collocent. Hoc enim Catholicorum Regum officium eſſe indicat Concilium Moguntinum verbis conſequentibus: *Clementiſſimus quoq;*

Concil. Mog. ſub Arnulpho, c. 2.

Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit: sed si imperiali culmine recta fide viuat; & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ Religioni subijciat: si magis in timore Deo seruire, quàm in timore dominari populo delectetur: si in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas potestatem: si se magis diligendum, quàm metuendum cunctis exhibeat: si subiectis salubriter consulat: si iustitiam sic teneat, vt misericordiam non derelinquat: si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ meminerit filium, vt eius paci & tranquillitati per vniuersum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim regitur ac propagatur imperium, dum Ecclesiastico statui per omnem terram consulitur, quàm cùm in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur. Ita Concilium.

CAPVT XII.

Cura qua boni Reges Christianam sanctamque Religionem nostram semper obseruârunt: quam etiam, cum quibus inaugurantur, cæremoniæ docent.

HOc ipsum & intellexerunt, & præstiterunt boni omnes Reges ac Christiani Principes, quos ideo magnis plerumque ac prosperis successibus Deus prosecutus est. Constantinus Imperator, qui primus in imperio

Euseb. lib. 9. cap. 9. Sozom. lib. 1. cap. 3. perio Romano Christianæ Religionis fundamenta iecit, cæterisque ad fidem amplificandam viam aperuit, Romanas Aquilas & Labarum in Crucem mutauit, & pecuniam Crucis effigie consignatam tundi cudiq; iussit, ac in statuarum suarũ dextera manu globum poni, in cuius summo Crux infigeretur: *Niceph. lib. 7. c. 43.* vt hoc veluti symbolo significaret, Crucis præsidio ac ope deuictum mundum Religionis Christianæ iugo ceruicem supposuisse. In aureis verò nummis imaginem suam, sublatis in cœlum manibus, quasi opem à Deo implorantis, imprimi fecit, Byzantium *Euseb. de vita Const. lib. 4. c. 15. & 16.* de suo nomine Constantinopolim vocauit, eamque ciuitatem Christo Domino dedicauit, & in illa, tanquam in suo capite, imperium consecrauit vniuersum. Quæ omnia fecit religiosus Imperator; vt testatum relinqueret victorias, quas de hostibus reportârat, gloriam ac felicitatem omnem Deo acceptam reddere; & non se solùm, sed imperium vniuersum in Deo colendo, eiusdemque Religione propaganda, debere se impendere. Quod etiam confirmat in epistola ad Cel- *Cæs. Bar. tomo 3. anno 316. & 318.* sum, Africæ Vicarium, his verbis: *Nequaquam me aliter maximum reatum effugere posse credo, quàm vt hoc, quod improbè fit, minimè existimem dissimulandum; cùm nihil potius à me agi instituto meo, ipsiusque Principis munere agi oporteat, quàm vt discussis erroribus, omnibusq; temeritatibus amputatis, veram Religionem vniuersos,*

uerſos, concordemq; ſimplicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam, præſentare perſiciam. In alia verò epiſtola, quam ad Epiſcopos prouinciales Palæſtinæ ſcripſit, clarè aperteque confitetur, omnes victorias debere ſe Deo, & agnitioni cultuiq; ſanctæ & veræ Religionis. Atque (vt in eius vita ſcribit Euſebius) nihil magis filiis ſuis voluit eſſe commendatum, quàm vt opibus omnibus, atq; adeò ipſi imperio, Dei ſanctæq; Religionis cultum anteponerent, atque ad Dei & Eccleſiæ amorem ac reuerentiam ſe totos conferrent, eſſentq; abſque fictione vlla veri perfectique Chriſtiani. Theodoſius verò Magnus Imperator hæc habet: *Inter cæteras ſolicitudines, quas amor publicus peruigili cogitatione nobis indixit, præcipuam Imperatoriæ maieſtatis curam eſſe perſpeximus veræ Religionis indaginem: cuius cultum ſi tenere potuerimus, iter proſperitatis humanis aperimus inceptis.* Qui etiam (vt teſtis eſt Nicephorus) priuſquam migraret è vita, filios ſuos ſeuerè monuit, vt vires omnes conferrent in purè ſanctèque Chriſtiana Religione cõſeruanda; ſic enim fore, vt in pace viuerent, vel de hoſtibus triumpharent. Theodoſius & Valentinianus Imperatores litteris quibuſdã ad Cyrillum datis aſſerunt, ſecuritatem & firmitatem imperij à Catholica Religione pendere, atque hæc duo ita inter ſe colligata eſſe, vt Religionis augmentum magnam imperio acceſſionem, Religionis diminutio

Idem anno 318.

Euſeb. de Vita Conſt. lib. 2. c. 25. et ſeq.

Nouel. Theodoſ. de Iud.

Niceph. lib. 13 c. 1.

Cyril. ep. 17.

non

non leue imperio detrimentum adferat: contrà, imperio labefactato, Religionem labefactari atque conuelli. Hoc ipsum est, quod egregiè confirmat Leo Magnus, sic ad Pulcheriam Augustam scribens: *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Et sanctus Bernardus: *Non veniat* (inquit) *anima mea in consilium eorum, qui dicunt vel imperio pacem & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem & exaltationem imperij nocituram.* Quod vt probet, ostendit, Christum Dominum nostrum Regem simul & Sacerdotem fuisse, populum verò Christianum Regale Sacerdotium dici; Sacerdotes etiam ac Reges eos appellari, quos Deus ad sempiternam gloriam elegit. Zeno Imperator in Edictis suis & Institutis Catholicam Religionem vocat fundamentum, basim, ac præsidium Imperij Romani, immortalemque ac sempiternam sceptri sui parentem; & inter alia hæc habet: *Si præpotens Deus & Seruator noster* IESVS *Christus, qui ex sancta virgine Maria Deipara carnem sumpsit, & natus est, nostras consentientes laudes, & cultum quē ei tribuimus, approbat, lubensq; & quasi parato animo excipiat; non modò omnia aduersariorum genera fracta debilitataq; concident, verùm etiam alij omnes mortales suam ipsorum ceruicem iugo nostri imperij proximè ac secundùm Deum spontè subijcient: & pax, eiusq; commoda,* æqua-

Leo ep. 31. ad Pulch. citatur 23. q. 5. Res autem omnes.

Epist. 243. ad Conr. Imperat.

Euag. lib. 3. cap. 14. Niceph. lib. 16. c. 12.

æquabilis aeris temperatio, fructuum cuiusq; generis abundantia, aliaq; omnia, quæ sunt ad humanæ vitæ vsum accommodata, affatim suppeditabuntur. Iustinianus Imperator propè similia habet. *Sic* (ait) *nos omni prouidentia curam Ecclesiarum gerimus: per quas & imperium nostrum sustineri, & publicas res, per clementiam Dei & gratiam, muniri existimamus.* Et alibi: *Si ciuiles leges, quarum potestatem nobis Deus pro sua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus custodiri, ad obedientium securitatẽ, studemus: quanto plus studij adhibere debemus circa sacrorum Canonum, & diuinarum Legum custodiam, quæ super salute animarum nostrarum definitæ sunt!* In tertio Concilio Toletano, in quo Gothi Ariani ad vnitatem Ecclesiæ Catholicæ reuersi sunt, Recharedus Rex, quo auctore res tãta perfecta est, sic loquitur: *Ceterùm si totis nitendum est viribus, humanis moribus modum ponere, & insolentium rabiem Regia potestate frenare; si quieti etiam & paci propagandæ opem debemus impendere: multò magis est adhibenda solicitudo, desiderare & cogitare diuina, inhiare ad sublimia; & ab errore retractis populis, veritatem eis serena luce ostendere.* Et in Concilio quarto item Toletano Sisenandi Regis pietas & humilitas perspicitur: qui ad Episcoporum & Patrum Cõcilij genua cum lachrymis prouolutus, eorum precibus Deo commendari petiit; Synodumque hortatus est, vt, quæ ad Religionem, quæque ad disci-

Iusti in Nouell de Epis. & Cler.

Nouel. 136.

Conc. Tol. 3.

Conc. Tol. 4

plinam Ecclesiasticam vel restituendam, vel conseruandam pertinerent, diligentissimè
Concil. Tol. 8. 12. & 17. curarent. Idem præstiterunt Recessuintus in octauo, & Eruigius in duodecimo, ac Egica Reges in decimoseptimo, Toletanis
Car. Sig. de regn. Ital. lib. 4. Conciliis. Carolus verò Magnus sic ait: *Si Ecclesiarum Dei seruis magnificentiam nostram impertimus, eorumq; studijs libenter obsequimur: id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus; &, quod cunctis pretiosius est dignitatibus, æternum retributionis præmium capessere non diffidimus.* Non ero longior in adferendis; & huc congerendis aliis Christianorum Principum de Religionis cura & cultu testimoniis, dictis, aut decretis; quorum Politici nostri temporis vel inscios se, vel contemptores produnt: sufficiet enim, in huius rei confirmationem, in medium proferre iusiurandũ, quo se Imperatores & Reges obstringunt, dum initiantur, & regni sceptrum de manu Sacerdotis accipiunt. Quò etiam spectant ac referuntur cæremoniæ, quæ in eorum inauguratione adhibentur: nam in Templis, & eo tempore, quo sacris operatur Sacerdos, coronantur, & ante altare prosternuntur. Alicubi etiam mos est, vt Sacerdotis vestem induant, & de manu Episcopi sceptrum & coronam accipiant, seque retinendæ ac conseruandæ Catholicæ Religioni iuramento obstringant; denique caput deuoueant, si secus faxint: quo videlicet

licet intelligant, ab immortali Deo, per Ecclesiam eius Sponſam, dignitatem atque poteſtatem Regiam ſibi idcirco tradi, vt ipſam diligant & colant, eiusque ſanctam Religionem tueantur atque defendant. Carolus Sigonius formulam refert iuriſiurandi, quo Carolus Magnus, dum à Leone tertio coronam imperij accepit, hunc in modum ſe obſtrinxit: *In nomine Chriſti ſpondeo atque polliceor ego N. Imperator coram Deo, & B. Petro Apoſtolo, me protectorem ac defenſorem fore huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in omnibus vtilitatibus, quatenus diuino fultus fuero adiutorio, prout ſciero poteroq;.* In libro, qui Pontificale Romanum inſcribitur, formula eſt iuriſiurandi, quo ſe Imperatores & Reges, die quo coronâ donantur, obſtringunt. Et Regum quidem ſic ſe habet: *Ego N. Deo annuente futurus Rex N. profiteor, & promitto coram Deo, & Angelis eius, deinceps legem, iuſtitiam, & pacem Eccleſiæ Dei, populoq; mihi ſubiecto, pro poſſe & noſſe facere atque ſeruare; ſaluo condigno miſericordiæ Dei reſpectu, ſicut in conſilio fidelium meorum melius potero inuenire:* Pontificibus *quoque Eccleſiarum Dei condignum & canonicum honorem exhibere; atq; ea, quæ ab Imperatoribus & Regibus Eccleſiis collata & reddita ſunt, inuiolabiliter obſeruare: Abbatibus, Comitibus, & vaſallis meis congruũ honorem, ſecundũ conſilium fidelium meorũ, præſtare. Ita me Deus adiuuet, & hac ſancta Euangelia Dei.* Rex Franciæ in iuramento,

Car. Sig. lib. 4 de reg. Ita.

Pont. Roman.

Le Sacre. seu consecr. Reg. Franc. Hist. Angl. in Richard. 1. & 2.

quod Regni appellant, inter ea quæ promittit & iurat, primum est tutela Ecclesię & pax perpetua. Rex Angliæ ad summum Ecclesiæ Westmonasteriensis altare, apponens manum sacrosanctis Euangeliis, religiosè iurat, totâ vitâ Deo omnipotenti, Ecclesiæ Catholicæ, eiusdemque ministris exhibiturum se reuerentiam atque honorem. Quo etiam iureiurando Elisabetha, quæ hodie regnat, sese obstrinxit, vt hac fictione gradum ad regnum sibi faceret, Catholicos falleret, & Religionem nostrã facilius euerteret. Quam eandem deuouendi consuetudinem, Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ Reges, & alij plerique vsurpant: quos prætermitto, vt morem referam, quo Reges Hispaniarum coronabantur, atque etiam inungebantur; qui ex duodecimo Concilio Toletano colligitur; & Doctor Garcias de Loaysa egregiè in suis ad Concilia Annotationibus obseruauit. In Concilio sexto Toletano decretum eiusmodi habetur: *Quocirca consonam cum eo corde & ore promulgamus Deo placituram sententiam, & simul cum Regis, suorum optimatum, illustriumq́; virorum cõsensu ex deliberatione sancimus, vt quisquis succedentium temporum regni sortierit apicem, non antè conscendat regiam sedem, quàm inter reliqua condicionum sacramenta pollicitus fuerit hanc Catholicam, eos (scilicet, qui non sunt Catholici) violare fidem.* Et paulò pòst. *Quòd si ipse temerator exstiterit promissi, sit anathe-*

Alex. Gaguin. rerum Pol. tomo 1. p. 226. Orich. in Chim. 90. Bonfin. Dec. 4 lib. 10.

Garc. in annot. ad Cõcil. Tol. 6. cap. 3.

anathema, maranatha, in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni. Octauo etiam Toletano Concilio futuro Regi præcipitur, vt fidei Catholicæ sit assertor & vindex; ac aduersus hæreses, quæ eius tempore Ecclesiam Dei perturbare videbuntur, bellum gerat. Neque verò satis fuit Imperatoribus & Regibus, seipsos iuramento, quod attulimus, obligasse, sed etiam Duces belli, Gubernatores, ac Magistratus suos ad simile quoddam tuendæ Catholicæ fidei iusiurandum adigebant; cuius formula hæc erat: *Iuro ego per Deum omnipotentem, & Filium eius vnigenitum Dominũ nostrum* IESVM *Christum, & Spiritum sanctum, ac gloriosam Dei genitricem, & perpetuò virginem Mariam, & quatuor Euangelia, quæ in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos Michaelem & Gabrielem, puram conscientiam, germanumq; seruitium me seruaturum sacratißimis nostris Dominis; & quòd cum sanctißima Dei Catholica & Apostolica Ecclesia communionem habeo; neque ei vlla vnquam re aut modo aduersabor, neque (quantum in me erit) alicui alij permittam. Quòd si hæc non obseruauero, omnibus incommodis ero expositus, tam hîc, quàm in futuro sæculo, in horrẽdo iudicio magni Domini Dei & Seruatoris nostri Christi* IESV; *habeboq; partem cum Iuda, & lepram Giezi, & tremorem Cain vltra hoc quòd etiam pœnis Lege Imperatorum comprehensis ero obnoxius.* Constat præterea ex Petro Blesensi, tyrones, no-

Tolet.8.c.10.

Nouel. Const.8.

Petr. Bles. epist.49.

uosque milites gladium ex altari sibi traditum sumere solitos, quo ad bellum profecturi præcingebantur: vt hinc discerent, se Ecclesiæ filios esse, & eo, qui dabatur, gladio vterentur ad Sacerdotes honorandos, egenos & calamitosos defendendos, improbos puniendos, patriam protegendam, omnique metu liberandam.

CAPVT XIII.

Rationem ipsam docere, quo studio & cura Religionem colere debeant.

HANC Religionis curam, quã omnium Rerumpubl. & nationum recepto more, & gentium consuetudine confirmauimus, sacrarum Litterarum luce illustrauimus, præstantia ac sanctitate ipsius Religionis, sanctissimorum Patrum sententiis, ac tandem Regum deuotione ac iuramentis productis comprobauimus, ipsa quoque naturalis ratio nos docet: quæ, nisi vitiorum & perturbationum caligine acies animi perstringatur, hanc viam Regibus ostendet, illisque præeuntis facis ac ducis erit loco, vt intelligant (si regio muneri deesse nolint) sibi Deum ante omnia timendum, & amandum esse, & cultum obseruantiamque, quæ illi debentur, rebus cæteris anteferenda. Ac prima hæc sit: Cùm quis in Regem assumitur, non propterea homo esse desinit;

desinit; quin potius in iis, quæ hominis sunt, tanto magis cæteris hominibus antestare debet, quanto humana dignitate excellentiaque pręstat, vt præclarè dicit sanctus Thomas. Opuscul. 20. lib. 2. cap. 16. Proprium verò hominis est, maximè Christiani, summum bonum cognoscere, & plusquam res omnes alias amare, quæ supremi illius boni cõmunicatione quadam, partem aliquam bonitatis accipiunt. Nam si bonitas amoris est obiectum; maiori bono maior dilectio debetur, & infinito bono amor infinitus, cùm sit origo, fons, radix, regula, & mensura omnis boni in cœlo & in terra, & per se ac propter se ipsum bonum, nec ab alia bonitate, sed vniuersa alia ab ipsa pendeant. Quod cùm ita sit, quî fieri potest, vt summum bonum amet, qui eam Religionem contemptui habeat quæ summi boni amandi modum docet? quonam pacto Deum colet, & venerabitur, qui Legem & præcepta Dei aspernatur? quomodo impietatem detestabitur, qui eam complectitur, & fouet? qui nullam diuini cultus curam gerit, sed terga vertit, & veluti facie auersa tantum ei seruit, quantum iudicat ambitioni libidinique suæ conducere? Sed hæc ratio, ab natura ducta, Principibus cum aliis hominibus communis est. Aliæ sunt Regũ propriæ, quibus ostenditur, eo ipso, quòd ad regiam dignitatẽ euectus est, debere illi seruire, cuius concessu & munere sceptrum tenet,

cumque naturâ par esset, dignitate cæteris hominibus superior factus est, & in eo solio collocatus, in quo inter mortales summi Regis ac Domini vice fungatur. Vt enim certum exploratumque est, Regem non se fecisse hominem, nec formasse corpus, nec animam arbitrio suo, sed voluntate Dei accepisse: ita sine controuersia constat, neminem esse, qui Regem se creauerit, aut pro suo arbitratu delegerit parentes Reges, ex quibus nasceretur; aut inter fratres natu fuerit maximus; aut, morte sublatis prioribus, in regno successerit; aut denique meritis vel industria regnum sit consecutus. Dei enim hoc est opus, qui solus Reges creat, &, quibus vult, sceptra largitur. Quæ cùm sint certissima, quî nam pro singularibus beneficiis Deo satisfaciet, nisi totum se impendat, & insignibus officiis & obsequiis prosequatur? Quantum igitur illi adnitendum est, vt eum honoret, à quo ita honoratus est! quo conatu studioque laborandum, vt eius gloriam retineat & amplificet, qui super cæteros homines tantis illum gloriæ beneficiis cumulauit! Quam in sententiam Agapitus ad Iustinianum Imperatorem ita loquitur: *Honore quolibet sublimiorem cùm habeas dignitatem, ô Imperator; honora super omnes, qui hac te dignatus est, Deum: quoniã iuxta similitudinẽ cœlestis regni tradidit tibi sceptrum terrenæ potestatis, vt homines edoceres iusti custodiã, & co-*

Agapitus Diacon.

& eorum, qui quasi canes aduersus ipsam rabiunt insectareris latratum, tum ipsius obtemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro iure. Et ante Agapitum Aristoteles scribit, nihil Principi prius esse debere Deorum cultu, vt subditi eundem reuereantur, illique fidant; vtq; sapientiâ cæteris omnibus anteire debet, ita & pietate præcedere. Præterea, si absque regno nemo Rex dici potest, nec regnum vllum aut Resp. sine iustitia consistere, vt probat D. Augustinus, & nos libro secundo huius operis, Deo adiuuante, ostendemus: quis Regis & non potiùs tyranni nomine dignum eum cēseat, qui, quæ sunt æquitatis & iustitiæ, non seruat? Quod si iustitia virtus est, quæ cuique quod suum est, tribuit, Cæsari quod Cæsaris, Deo quæ Dei sunt reddens: quomodo iustitiæ amantem eum dicemus Principem, qui Deo debitam reuerentiam & cultum negat? *An* (vt rectè D. Augustinus argumentatur) *qui fundum aufert eius à quo emptus est, & tradit ei qui nihil habet in eo iuris, iniustus est; & qui seipsum aufert dominanti Deo, à quo factus est, & malignis seruit spiritibus, iustus est?* Aliud argumentum, idem probans, ex damno & iactura in quæ Resp. incurrit, cum Rex diuini timoris & cultus negligens est, ducitur. Est enim Rex in Repub. quod gubernator ad clauum sedens in puppi. Sicut ergo otioso vel errante nauta aliquo, parum detrimenti nauis accipit; (vt cum Iustiniano Imperatore Agapi-

Polit. lib. 1. cap. 11.

August. de ciuit. Dei, lib. 19. ca 21.

tus Diaconus differit) sin verò nauarchus à gubernaculo recesserit, vel malè rexerit, maximum ab vniuerso naufragio periculum est: ita in Republ. si quis ex subditis peccet, non tam ciuilem communitatem quàm seipsum lædit; sin verò ipse Princeps, maximum Reip. adfert detrimentum, & totum quodámodo nauigium euertit. Si pastor non excubet, quis oues ab lupis, vndique præ fame infestis, defendet? Si medicus à curatione aberret, quis ægrum sanitati restituet? si sal insulsum corruptumque fuerit, quo pacto cibos condiet? si Dux timidus & vecors fuerit, quo animo vniuersus erit exercitus? Si Sol obscuretur, quid circumfusum hunc aërem illustrabit? Si anima non det vitam corpori, vnde illi vel vita, vel salus? Cum igitur similitudine quadam hæc omnia nomina & officia in Principem conueniant; maiori sanè, quàm subditi, cura & solicitudine ad Deum recurrat oportet, & eorum causa seipsum suaq; omnia in Religionem impendat. Abs nouella & parua arbore tempore suo paucos fructus expectamus; neque miramur si immaturi sint, & gustatui præacerbi: ab vetusta verò & procera, ligna in focum, ex via aut labore fessi quiescentesque vmbram, ad multorum alimentum fructuum copiam, in vim & furiam ventorum perfringendam robur & firmitatem quærimus. Quæ eadem est inter virum Principem & priuatum differentia.
Quod

Quod pulchrè his verbis Seneca: *Cæsari, cui omnia licent, propter hoc multa non licent. Omniũ domos, illius vigilia defendit; omnium otium, illius labor; omnium delicias, illius industria; omnium vacationem, illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi dedicauit, sibi eripuit: & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, numquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere.* *In consol. ad Polyp. c. 26.* Hæc à grauissimo Philosopho dicta sunt, vt Principem pluribus, quam populum subiectum, obligari demonstret. Quod si in cæteris obstringitur magis, cur non & in amore ac timore Dei, & ardenti Religionis æmulatione, cùm hæc maxima sint, & reliquis omnibus antecellant? Ac eâ etiam vel causâ, quòd (vt antè diximus) nemo sit Rex plenissimi iuris, & non ab alio pendentis potestatis, sed Vicarius tantùm, & DEI, per quem Reges regnant, ac stat firma potestas omnis, administer. Atque hoc ipsum Diuus Ambrosius, Valentinianum Imperatorem alloquẽs, his verbis testatur: *Cũ omnes homines, qui sub ditione Romana sunt, vobis militẽt Imperatoribus terrarum, atque Principibus; tum ipsi vos omnipotenti Deo & sacræ fidei militatis.* *Epistol. 30.* Quod & Reges ipse agnoscunt, & palam profitentur, cum litteris & libellis publicis hos titulos præfigunt: *N. Dei gratiâ Hispaniæ, Franciæ Rex, &c.* quibus testatum volunt, Deum omnium regnorum iustum esse Dominum, qui pro suo arbitratu his aut illis

eorum

eorum administrationem committat: idque cum per summam insolentiam non agnosceret Nabuchodonosor Rex, in bestiæ formam mutatus, septem annis quadrupedis more vagus per agros errauit, donec sibi redditus, & de se humiliter sentiens, errorem his

Daniel. 4. verbis recognouit: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui & glorificaui; quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generatione & generatione. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ; & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, Quare fecisti?* Quamobrem, cùm ratione duce ac magistra intelligamus, Viceregem non pro suo arbitratu, sed Regis voluntate, regnũ procurare debere; & ministrum non suo, sed imperantis arbitrio & nutu, curæ commissa administrare debere; voluntasque supremi Regis & Domini nostri adeò sit in diuinis Scripturis expressa, qua Principibus in primis commendatum voluit vt Religionis & pietatis curam gerant, quemadmodum à nobis superiùs probatum est: consequens est, hanc vnam curam illis antiquissimam esse debere; si officio suo perfungi velint, quo tam arctè deuincti sunt, vt illud ipsum quasi vociferetur & proclamet perfidiosum & infidelem mini-

ministrum esse, qui aliter se habuerit, & ab eo malè administrati muneris pœnas exigẽdas. Atque hæc alia à superioribus ratio est, qua permouentur Reges vt muneri suo satisfaciant, Deo sedulo seruiant, serioque curent vt subditi syncera fide, recta conscientia puro & incorrupto animo Deum colant; eo quod certo sciãt, Deo, si ita fecerint, propitio & fauente se vsuros; sibique non caduca modo, & huius vitæ, sed æterna & cælestia bona rependenda; regna etiam non conseruanda tantùm, sed nouis indies accessionibus & incrementis amplificanda, si gloriæ Regis maximi primum consulant, eiusque honorem honori proprio (si alter negligendus sit) priuatisque commodis anteponant: sin secus faxint, extremum exitium rebus suis impendere, quemadmodum sequens caput declarabit.

CAPVT. XIV.

Exemplis probatur, Principes, qui falsam status rationem sequuntur, imperiis ac principatibus exitium adferre.

SAPIENTER & grauissimè à D. Thoma dictum est, sapientiam & potentiam germanas & comites esse veræ Religionis, & tanta societate iunctas, vt hac ruẽte, illas pariter ruere necesse sit. Quod verissimum esse *Opusc. 20. libro 2. cap. vltimo.*

non

non ex hoc solùm cognoscimus, quòd in quibus prouinciis & regnis floret Religio, in eisdem sapientia potentiaque vigeat: sed quòd etiam quicumque Principes à Religionis regula deflexerint, fallacemque potiùs mortalium prudentiam, quàm Dei Legem, in consilium adhibuerint, cum principatu simul prudentiam ac potentiam perdãt. Cuius rei probandæ gratiâ proferamus aliquorum Principum exempla, qui cum regni administrandi modum ad humanas & ciuiles rationes, non ad diuinas leges & præcepta, reuocarent, sibi perniciem pepererũt; & quibus artibus regna sua maximè conseruata cupiebant, iisdem prostrauerunt ac funditus euerterunt. Ieroboam, Salomonis famulus, factus est Rex decem tribuum, quas Deus ob maleficia parentis à Roboamo resciderat, vt fuerat antè minitatus: ad quem Ahiam Silonitem Prophetam misit, qui moneret, si sibi & suis perpetuum regnum vellet, Dei leges præceptaq; vigili cura seruaret, & ambularet in via iustitiæ & veritatis. Quæ cum exequi deberet, simulque meminisse ex humillima serui conditione se in summum regiæ potestatis gradum diuinitꝰ assumptum; vtque in peccati vltionem dominum suum à regno deturbatum viderat, ita & se, si Deum grauiùs offenderet, de statu deiiciendum: horum tamen omnium oblitus fastuque ob tantam dignitatem inflatus & tumens, regni nihilominùs

3. Reg. 12. & 13.

minùs in familia perpetuandi cupidus, consilium aliud iniit, ab humana & falsa politici status ratione & prudentia ductum; quod illi extremæ calamitati & exitio fuit. Nam cum sciret Roboamum legitimam Salomonis sobolem, ac proinde ad eũ tanquam iustum & naturalem hęredem, regnum pertinere; credidit vix fieri posse, quin in illum potiùs quã in se, populi voluntas animusque propenderet; fierique posse, si in Templum tam magnificè à Salomone ædificatum cõstructumque precationis & sacrificij gratiâ (iuxta Dei præscriptum) conueniret, inclinatis in Roboamum sententiis se tamquam regno incubantem traderent neci, atque ita cum vita regnum ipsum perderet. Animaduertebat nihilominus graue populo, periculosum sibi futurum, si aditu Templi sacrisque, facto interdicto, prohiberet. Quid igitur anceps & dubius faceret? Ad fana politici status remedia recurrit. Censuit à Templo Ierosolymitano, variaque profectione & reuersione, arcendos subditos. cumque sciret sine Religione, cæremoniis, & sacrificationibus regnum stare diu non posse, sacra aliò transtulit, vt, interclusa huiusmodi astu omni Ierosolymam itione, & Roboami & DEI sensim populus obliuisceretur. Quam in rem vitulos duos aureos conflari iussit, quos in Deos populo dedit; leuandique laboris ac commoditatis maioris causa, vnum in

Be-

Bethel, alterum in Dan exſtructis altaribus collocauit, delectis præterea contra legem non ex tribu Leui Sacerdotibus. Dies feſtos, ſolemnes ritus, & ſtata ſacrificia, inſtar eorũ quæ Deus ordinauerat, inſtituit: tandemque hoc Religionis fuco, inanique & ſimulata pietatis oſtentatione, populum corrupit, regnum euertit, veram & à Deo inſtitutam Religionem obliuione exſtinxit. Hoc fuit conſilium, hoc Ieroboami inuentum, hæc vana ab politia humana ad conſeruandum & perpetuandum in familia regnum petita ratio. Sed videamus quis fuerit conſilij euentus, quis tam ſubdolæ machinationis exitus. Poſt Prophetæ Deo imperante monitionẽ, poſt exareſcentem manum quam violenter in ſeuerè ſed iuſtè verbis caſtigantem iniecerat, poſt altare ſacrilegum in partes ſciſſum, aliaque diuinæ iræ & minarum ſigna, cùm impietate amens, ambitioneque obcęcatus, nec pœnitentiâ admiſſi ſceleris tactus, nec meliora conſilia ſecutus, facta ad Deum conuerſione ſeipſum recognouiſſet, ſed in peccato obdureſceret, cum tota familia exciſus eſt, quemadmodum his verbis ſcriptura teſta-
3. Reg. 13. tur. *Propter hanc cauſam peccauit domus Ierobo-*
3. Reg. 15. *am & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.* Nã & filium Nadabum, qui biennium poſt patrem regnauerat, interfecit Baaſa; &, iuxta vaticinium Ahiæ Prophetæ, genus ſtirpemque omnem gladio vltore exſtinxit. Atque

hic

hic fuit finis consilij ab politia humana petiti dum regnum diuinitus nulloque suo merito traditum, sine Deo, vel (vt verius dicam) contra Deum, conseruare conatus est. Consideremus nunc alterius Regis alterum exemplum, qui principio quidem bonus visus est, Deoque eam ob rem acceptus, sed tandem de Deo rebusque suis diffidens, diffidentiæ pœnas luit. In paralipomenon libris legitur, Asam, Regem Iudæ, in Deum, cui mente integra adhærebat, magna fuisse pietate; quam summam Religionem Dominus multorum annorum pace, constrictis veluti hostium manibus, compensauerit: cumque Æthiopum Rex Zara, coacto decies centum millium hominum exercitu, regni illius fines esset ingressus. Asam ad Deum conuersum tantæ multitudini preces opposuisse, nec frustra; nam Deo precationem exaudiente propitioque, territos & fugientes Æthiopes parua militum manu ad internecionem deleuisse, detractis opimis spoliis, euersisque eorum vrbibus. *Quia* (vt ait Scriptura) *Domino cædente cortriti sunt, & exercitu illius præliante.* Ac cessit tunc feliciter hæc Asæ Regis expeditio, quia Deo fretus, in quem spem reposuerat, cum aduersario acie cõflixit. Sed non fuit idem alterius euẽtus, quando, posthabito Deo, ad humana remedia confugit. Mouerat bellũ Basaa Rex Israël, percusso cũ Benadad Rege Syriæ strenuo & potẽtissimo

1. Paral. 14. & 16.

fœdere,eoq; in belli ſocietatem adſcito. Extimuit Aſa, veritusque ne, coniunctis duorum Regum copiis, ſolus exiguo exercitu reſiſtere non poſſet, oblitus quàm parua manu Regem Æthiopiæ debellaſſet, de explorata diuini Numinis in ſe benignitate ad euanidas politici ſtatus rationes confugit, cepitq; id conſilij, vt dirempta per aſtum Regis Syriæ Benadad cum Baaſa Iſraëlis Rege ſocietate, illum in ſuas partes icto fœdere transferret. Quod vt faciliùs cõſequeretur, (quoniam ad permouendos Principum animos vtilitas & quæſtus valet plurimùm) vim mãgnam auri & argenti mittendam cenſuit. cũque in tot ſumptus eius facultates ſatis non eſſent, in Templi theſauros manus iniecit. quibus donis allectus & captus Rex Syriæ, fracto cum Rege Iſraëlis ante pacto fœdere, reſciſſiſque amicitiis, in illum arma conuertit, Aſæ Regi ſuccurrit, exultanti quod, propulſato quod exhorruerat periculo, tam feliciter ab humana prudentia tractum conſilium ceſſiſſet, abalienatione quadam diſtractis confœderatorum hoſtium animis. partaque noua ſocietate meliori quiete. Verum Dominus, qui corda intuetur, & in ſe
2.Par.16. ſpes noſtras vult reponi, Hanani Prophetam ad Regem Aſa miſit, qui renunciaret, eò quod non in Deo, ſed Rege Syriæ infideli, ſpem collocaſſet, ereptam è manibus ſummam victoriam, quam Domino concedente

de Syriæ Rege reportasset: futurum enim, nisi fœdus cum eo iniisset, vt Regi Isaëlis ferens opem in Regem Asa exercitum duceret, & fusus profligatusque non minus vinceretur Rege Æthiopum, cuius exercitum nec robore nec numero adęquabat: subiunxitq; Propheta: *Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent.* Quæ verba Spiritus sancti afflatu protulit, vt discamus, consilium quod ex Deo capitur, firmius vtiliusque esse omnibus iis cõsultationibus, quæ ab humana politici status ratione ducuntur. Neque ea fuit Regis Asæ culpa, quod aduersus hostem externa auxilia euocarit; (cum, adhibitâ tamen Christianâ prudentiâ, & possint & debeant eiusmodi præsidia aliunde peti (sed quod ab idololatra & DEI hoste subsidium postulauerit, illius viribus plus quàm Dei potentiæ fiderit, cum eo fœdus icerit, & ad eum in suas partes pertrahendum thesauris, quos profano Principi offerret, Templum Dei sanctum spoliauerit. Insolens magis, sed ex eodem tamen fonte fuit Pharisæorum & Principum Iudæorum facinus. Cum enim animaduertissent ob Lazarum quarto à morte die excitatum & vitæ redditum, & alia naturam excedentia miracula quæ CHRISTVS indies patrabat populum *Ioan. 11.*

illi adhærere, & in eum tamquam seruatorem spem reponere; initio concilio dicebant Quid facimus? quid in mediis periculis dormitamus? An non videtis quot quantaque signa hic homo faciat? Si dimittimus, nec manus in eum iniicimus, omnes credēt in eum, & venient Romani, tollentque ac euertent locum nostrum & gentem; neque id difficulter, quia non erit qui tueatur, cùm ipse & illi adhærentes omnes nobis nostroque Tēplo aduersentur. Quid ergo in tantis malis remedij? Expedit vt vn⁹ homo moriatur pro populo, & tota gens non pereat; vnius interitu nostra, vxorum, liberorumque nostrorum vita redimenda. Qua status politici iniquissima deliberatione conclusum tādem, vitā eripere vitæ auctori. Verùm quî cessit illis hæc damnatio? quid inde emolumenti reportarunt? Christus affixus est cruci, morteq; & perpessione sua promeritus est, vt vniuersus orbis in eum crederet; ac in tāti sceleris vindictā excitauit Deus Romanos, vt vrbem obsiderent, oppugnatam vehementissime expugnarēt, expugnatam solo æquarent, ita vt nec lapis lapidi inhæreret, & inaudita calamitate (quemadmodū ex belli Iudaici scriptoribus constat) Iudęos obruerent. Quo modo factum, vt, quam ad salutem sibi muniuisse viam credebāt, eam ad extremum exitium aperuerint; & ab humana prudentia (errore veriùs) ductum consilium perniciem sum-

Matth. 24.

ſummamque vaſtitatem inuexerit. Quod ſi apertis mentis oculis Chriſti Domini ſanctitatem, vitæ innocentiam, inſignia miracula, quibus mortalium animos ab erroribus abductos ad veri Dei notitiam fidemque pertrahebat, contemplati fuiſſent: intellexiſſent profectò tantorum operum Deum auctorem eſſe, eundemque, quo protegente viuebant, etiamſi vniuerſus orbis Chriſtum ſequeretur, auxilio illis futurum; ac diſcuſſis tenebris, Chriſto pro Rege & Meſſia cognito & admiſſo, ſe ſuamque Rempublicam cõſeruaſſent.

CAPVT XV.

Continuatur ſuperius caput,

OMISSIS ab ſacris Litteris petitis exemplis, nonnulla alia, quæ poſtea acciderunt, proferamus. Nefarius & ſceleribus infamis Rex Hiſpaniæ Vitiza, laxatis libidinum frenis, clementiâ, quam initio mentiebatur, in ſummam crudelitatem verſâ, conuulſis affractiſque in toto regno iuris, pudoris, officiique repagulis, populo ad omnem turpitudinem factis, verbis, edictis incitato, negatâ per vim ſummo Chriſti Vicario obedientiâ, detractâ Deo reuerentiâ, omni flagitiorum genere demerſus & obrutus, carnificina tandem conſcientiæ ſtimulatus, vereri cœpit ne regnum in ſe inſurgeret, vrbes & munitiora quæq; loca, defectione facta, cor-

Rodericus Arch. Tolet. lib. 3. cap. 15. Marian. de rebus Hiſp. lib. 6. ca. 19.

reptiſque armis, diademate, cuius erat appetentiſſimus, tametſi indigniſſimus, priuarét. Vt ergo imminenti damno occurreret, periculumque omne declinaret; hominis conſilium ſecutus, vrbium opidorumque muros euerti, munitiones regni proſterni diruique mandauit: &, ne facto tam inſolenti deeſſet velum aliquod, pacem opponebat, qua ſtante, nihil eſſe quod timeretur; re autem vera vt periculo tutus coronam conſeruaret. ſed cum ea indigniſſimus eſſet, conſilium à ciuili humanaque ratione profectum, Deoque inuiſum, ac rationi aduerſum, malè illi ceſſit; nam regno & oculis orbatus, miſerè mortuus eſt, regnumque adeo debile, armis præſidiiſque nudum, Roderico ſucceſſori reliquit, vt Mauris Hiſpaniam oppugnantibus perfacilè fuerit expugnare, & ſub iugum mittere; Deo etiam Regis & regni peccatis pœnas debitas acerbiſſimo hoc imperio miſeraque & diuturna multorum annorum ſeruitute repoſcente.

Philip. Comin. in hiſt. Iac. Meyer. libro 17. Annal.

Carolus Burgundionum Dux, cognométo Audax, ſumptis armis in Renatum Lotharingiæ Ducem & magna ditionis eius parte in ſuam poteſtatem redacta, Nanceium opidum munitum, eiuſque Prouinciæ caput, obſederat; cum ad illum perlatum eſt, Ludouicum vndecimum Galliarum Regem, cum quo magna ei ſimultas, exercitum cogere, quem auxilio mitteret obſeſſæ vrbi,

ex

ex qua ſpes victoriȩ felicioriſq; progreſſus omnino pendebat.cumq; videret nec amicitiam,quæ Regi cũ Renato interceſſerat, reſcindi, nec ab ope ferẽda alia ratione deduci poſſe,quam ſi Ludouicus Luxemburgenſis quẽ in ſuam fidem receperat, illi traderetur; hũc tradendum,quo rebus ſuis cõſuleret,politica quadã prudẽtia & ratione inductus exiſtimauit. Erat hic Ludouicus Fani Sãcti Pauli Comes, & in Gallia Magiſter Equitum, (Comitem ſtabilem vocant)ex regni primoribus,opibus,ſanguine,clientelis potens,cuius operâ & conſilio ad res multas magnaſq; Rex vſus fuerat.ſed cum à gratia ac beneuolentia excidiſſet, vt illius furori ſe ſubduceret,ad Carolum Ducem transfugerat, qui pro ſalute eius tuẽda fidem obligarat. In quẽ ſic Rex irâ æſtuabat.& tãta pœnæ ab eo in vltionẽ exigendæ cupiditate tenebatur, vt nulla alia re, quãm tradito Comite, ab ferenda obſeſſis ope propter fœdus affinitatem quæ illi cum Lotharingo intercedebat, abduci ſe pateretur.quæ tamen ſanctiſſima iura, politica ratione ductus, non magni pendebat, modò iram ſuam ſupplicio & ſanguine Comitis ſatiaret. Carolus igitur Dux, vt impetraret quod optabat, Regi Ludouicum Comitem rradidit, cui Lutetiæ Pariſiorum anno 1475.caput ceruicibus abſciſſum eſt. Quo ex tẽpore (vt ab hiſtoriis eſt animaduerſum nihil Carolo proſperè ſucceſſit, ſed calami-

tati accessit calamitas, atque anno in sequẽti victus ab Heluetiis, ac ad Nanceium mimiserrimè trucidatus est. Nam vt prodendi Comitis consilium nõ ab lege diuina, sed ab humana calliditate traxerat: ita iusta Dei ira tam funesto & lamẽtando exitu eũ coërcuit.

*Franc. Guich. lib. 3. & 4. hist. Ital. Paul. Iou. lib. 4. Elog. milit.

*Ludouicus Sfortia (quem Maurum nominbant) Mediolani Dux, cùm cuperet principatum firmare, quem malis artibus ac per summum scelus Ioanni Galeacio, fratris filio, abstulerat, optaretque Alphonsum Neapolitanum Regem, à quo diffidebat, vlcisci; fallax prudentiæ humanæ iudicium secutus, telam exorsus est, quàm non ante pertexuit, quàm imperio, libertate, vitaque ipsa priuaretur. Carolum enim octauum Franciæ Regem in Italiam cum valido exercitu euocauit, vt, suscepta Neapolitana expeditione, Alphonsum regno exueret; quam in rem operam suã prolixè pollicitus est. Accitus Rex Italiam ingressus est: facili negotio regnum Neapolitanum cepit: quod tamen eadem facilitate paulo post amisit. Ludouicus facti pœnitẽs, & à Gallis alienatus, facta cũ aliis Italiæ Principibus coniuratione, redeuntem Regem aditu Galliæ, opposita forti militum manu, prohibere conatus est: qui tamen viã sibi ferro aperuit, inito ad Tarum fluuium prœlio atroci, & immorabili victoria, de qua Galli atque Itali scriptores inter se dissentiunt, dum suæ quisque patriæ gloriam,

non

non veritatem, propositam habet. Atque hic tandem fuit consilij non sani euentus, vt, amisso imperio, Ludouicus à suis militibus venditus, & habitu gregarij Heluetij captus, ac tandem caueæ ferreæ inclusus, miserrimè interierit, relicto raro admodum documento Principibus iis, qui in suis consiliis priuatum commodum diuinis legibus antefeunt. Quandoquidem ita sibi blandiebatur, vt, elatus & inflatus rebus prosperis, per summam insolentiam filium fortunæ (verius ludibrium) se vocaret. quæ quàm sit vaga, volubilis, & inconstans, &, cùm arridet, fallit maximè, tum demũ intellexit, cùm de summa rota excussus, in imam partem abiectum se animaduertit.

Superioribus duorum Ducum exemplis accedat tertium, idq; recentius, Ioannis Frederici, Saxoniæ Ducis. Hic (vt à fide dignis accepi) miro desiderio tenebatur familiam Austriacam Imperatoria dignitate spoliandi, quòd sensim videretur quasi hæreditario iure possideri: quod suum desiderium cùm vocato ad se Martino Luthero communicasset; auctor fuit Duci, Religionem vt mutaret, si imperium mutatum vellet, accepto & approbato hoc consilio, Lutherum sibi adiunxit conceptæ nequitię aptissimum instrumentum, eiusque impiam sectam aluit, errores fouit, fidem Catholicam in sua ditione euertit; neque his contentus, iure huma-

no posthabito, in Carolum quintum Imperatorem, ac Dominum suum, arma sumpsit, &, vt Germaniâ exturbaret, omnes machinas admouit. Sed insanum hoc consilium, stultamque prudentiæ humanæ rationem, elusit euentus: nam, profligatis copiis victus captusque, & dominatu & Electoris potestate priuatus est: quam in Mauritium Ducem, Ioannis Frederici patruelem, eiusque familiam, Imperator transtulit; in qua in præsens vsque tempus perseuerat.

Franciscus primus, & Henricus secundus, eius filius, Galliæ Reges, quamuis Christiani & Catholici Principes, cùm atrox ac funestum bellum aduersus Carolum Quintum Hispaniarum Regem gererent, humanâ potius, quàm diuinâ prudētiâ in consilium vocatâ; ille, Turca fœdere sibi adiuncto, instructissima perfidi hostis classe maritimas oras Carolo parentes excursionibus infestauit; hic admissos in belli societatem Germanos Principes, quos Protestantes vocant, in eundem conatu & animis armauit, vt etiā Galli Historici scriptis prodiderunt. Verùm quis ex eius generis fœderibus fructus? Nullus præter dedecus & publicam offensionem. Nam Turcica classis, exiguo admodum detrimento rebus Caroli illato, tractum Galliæ circa Tolonis Martij portum, in quo in hybernis egit, indignis modis igni ferroque populata est, viresque & portus Gallorum explora-

Genebr. in Chron. c. 4. anno 1548.

plora-

explorauit, vt incidente occaſione Gallias ſecurius aggrediatur. Principes verò Germaniæ hęreſi infecti, qui per ſummum nefas defecerant, bonis multati, & pluribus incommodis affecti, manus Imperatoris ſui victrices vindiceſque ſenſerunt. Atque ob eiuſmodi pactiones, & iniuſta cum Eccleſiæ hoſtibus fœdera, aliaque noſtra maleficia, quibus Numinis iram prouocauimus, permiſit Deus, nobiliſſimum, potentiſſimum, ac Chriſtianiſſimum regnum adeò miſerè affligi, & veluti infernis ignibus conflagrare, vt nec piorum precibus nec lachrymis comprimi, nec in tot tamque crudelibus bellis effuſi ſanguinis riuis in hanc diem reſtingui potuerit: quin potiùs noua ceperit incrementa, ex quo perniciosum humanæ prudentiæ conſilium, & nefaria Politicorum calliditas anno poſt Virginis partũ 1588. in Bleſenſibus Comitiis Henricum Guiſiæ Ducem, & Ludouicum Cardinalem, eius fratrem, fortiſſimos & clariſſimos Principes, crudeliter ſuſtulit. Sed quoniam hoc conſilium, quod ab Politicorum & Machiauelli ſchola prodierat, cum diuinis legibus pugnabat; factum eſt; vt, anno necdum decurſo, æquiſſimus ſceleris vindex Deus à cædis auctore meritiſſimas pœnas exigeret. Non minus admirandum exemplum hîc adſcribam totidem propè verbis, quot ab auctore quodam Gallo refertur; *Remonſt. p.173.* qui miſerabilem regni ſtatum depingens,

atque

atque Henrico tertio Regi repræsentans, eumq́ue ad Religionis curam ante omnia suscipiendā hortatus ita alloquitur: *Sed quod præcipuè memoriâ tenere debes, Reginæ Scotiæ, sororis tuæ optimæ, est exemplum: quæ cùm ob Dei honorem, & Catholicæ Religionis professionem, ab Isabella Regina Angliæ, & consanguinea, perfidè, insidiosè, ac immaniter mactata est, iure à me inter martyres reponitur. Est tamen quod in eius vita consideremus non exigui momenti & ponderis, quod fortasse calamitatis, & summorum malorum causa fuit. Nam cùm esset in Scotiæ regno, ibidem contra bonorum & Catholicorum sensum hæreticos tolerauit, neque passa est Stuartum, spurium fratrem, hæreticorum caput occidi, Politicorum consilium secuta. Quare etiam illi prædictum fuit, aliquando vita & sanguine datam spurio vitam persoluturam: quod paucos post annos rerum euentus demonstrauit. Quod exemplum & memorabile est. & formidabile; siquidem idem semper est, nec vnquam sibi dissimilis, Deus, gloriæ suæ percupidus, cuius manus semper omnipotens.* Huc vsque scriptor. Quo quidem exemplo perspicuum euadit, quantum inter Dei & hominum iudicia intersit. Nam Regina Scotiæ cùm rationem ciuilem secuta, dissimulatione quadam hæreticis frena laxauit; eorum numerum maximum potentiamq́ue intuita: cum fragili suo sexu, ætate, & viribus infirmissimis contulit, adhibitis etiam in consultationem, qui à prudentia commendati latus

tus eius cingebant; quorum ea fuit sententia, seruiendum tempori, vtiliusque esse, conniuentia quadam & lenitate seruare, quàm seuera animaduersione totum regnum euertere. Quam si iudicio nostro examinemus, facto Reginæ excusando satis fuisse censebimus. Verùm Deus, qui gloriæ suę studiosissimus est, nec ferre potest, vt Reges, (quos singulari quodam super cæteros honore dignatus est) in ea tuenda remissi sint, & negligentes, pœnam misericordiâ temperauit. Iustitiæ enim & seueritatis fuit, regno illã & libertate priuare, diuturnâ carceris custodiâ & regiâ personâ indignis modis affligere; clementiæ verò & benignitatis, fine adeò glorioso labores & cruciatus remunerare, vt, ceruicibus securi subiectis, pro ea fide tuenda vitam fortiter poneret, in qua cõseruanda visa fuerat antè remissior. Quòd si hæc in ligno viridi facta sunt, in arido quid fiet? Si mulierem ætate iuuenem, sexu fragilem, si Reginam armis obsessam, calliditate hæreticorum irretitam, Politicorum consiliis circumuentam, nec tam impietati consentientem, quàm non repugnantem; Deus grauissimis pœnis affecit: quid illis Principibus fiet, qui, cùm pręire cæteris pietate deberent; faces præferunt ad impietatem? qui externas commoditates & humana consilia Dei loco habent, atque ita regnis suis extremam inuehunt perniciem, dum proprio

quæstu

quæstu & sensu magis ducuntur, quàm honore & cultu supremi Numinis; cuius tamen nutu & imperio Reges stant & imperant, & sine quo nec regnum vllum, nec consilium. Nam quando Princeps terga obuertit Deo, politia quadam demens; fit eius permissu, vt vel consiliarij in vero cernendo & diiudicando cæcutiant, vel Princeps salutaribus consiliis non acquiescat. Ita Absalom Achitophelis vtilissimo consilio non paruit:
2.Reg.17. *Domini enim nutu* (vt ait Scriptura) *dissipatum est consilium Achitophelis vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum.* Eam ob rem Do-
Isaiæ 19. minus per Isaiam Ægypto minitatur, quòd consilium eius præcipitabit, prosternet, & perdet, quia non est consilium aduersus Dominum. Credo ego, nullum esse Regem, nullum Principem Christianum, Rempubl. nullam, quibus diuino consilio humana & fallax politiæ ratio potior visa est, qui non stultitiæ & temeritatis grauissimas pœnas dederint; tametsi id vel dissimulent, vel non aduertant: homines enim & cæci cùm simus, animaduersiones & flagella diuina in casum fatalemque necessitatem, aut alias non veras causas referimus, cùm hæc peccatis sceleribusque nostris, quibus immittuntur, essent adscribenda.

CAP.

CAPVT XVI.

Deum Principibus iis fauere, qui diuinam, non politicam Legem sequuntur.

LONGE alia ratio eorum Principum, qui Deum ob mentis oculos propositum semper habentes, non seipsos, suaque quærunt, sed vera Religione, & sacris Dei Legibus omnia definiunt: quorum insignem pietatem, rerum successu, maximisque beneficiis Deus compensat. Eiusmodi fuisse, quos Lex vetus recenset, legimus pios admodum illos Reges, Dauidem, Ezechiam, Iosaphat, Asam, & Iosiam; & qui Euãgelij luce perfusi in Christum crediderunt, Legemque diuinam, ac Religionis sacræ propugnationem ac defensionem, pro regula gubernationis conseruationisque dominationis & status sui proposuerunt. Quis Imperator Magno Constantino aut religiosior fuit, aut in bellis victoriis illustrior? Fuitne in Theodosio maior pietas, an felicitas? Quid eiusdem filios memorem; Arcadium & Honorium? quoties diuino præsidio defensi sunt, quòd consilia sua Religionis legibus, non politica prudentia & ambitione, definiuerint! Arcadius Gaynæ Ariano & barbaro, sed valenti & victoriis insolenti exercitus duci, Templum Arianis factionis suæ, in quod Constantinopoli conuenirent, verbis

Aug libro 5. de ciui. Dei, c. 24 & 25.

Sozom. libr. 8. c. 4.

verbis & minis postulanti negauit; periculum regni Religioni & cultui diuino posthabens: quem cœlesti præsidio Deus protexit. Cùm enim reiectum se Gaynas grauiter & molestè ferret, milites suos submisit, qui palatio Imperatoris faces iniicerent: qui noctis silentio rem aggressi, visis Angelis, qui quasi statarij pro palatio excubabât, formidine perculsi, nullo successu profugerunt. Alaricus Gothorum Rex, Romanis mœnibus imminens, Attalum designârat, proclamarique fecerat Imperatorem. Honorius legitimus Imperator, conatibus huiusmodi perculsus, veritusque ne Gentiles, qui magno numero Romæ erant, & Donatistæ, qui non pauciores Africam incolebant, Attali partes secuti defectionem molirentur; vt vtrosque in officio & fide contineret, legem humani consilij plenam promulgauit, qua cuique sectæ libertatem permisit: sed vix in publicũ emanârat Edictum, cùm hostis Romam cepit atque diripuit. Honorius, fraudem & errorem recognoscens, legem abrogauit, continuoque adfuit cœlestis manus, quæ Alaricum, cæterosque tyrannos, qui aduersus eum arma sumpserant, profligauit, vt hinc nobis persuasum sit, quemadmodum scribit Paulus Orosius, & in suis Annalibus notat Cæsar Baronius, imperia cum Religione stare, cum Religione cadere. Neque minorem diuini Numinis fauorem expertus est Theodo-

Oros. lib. 7. cap 42. Baro. tom 5. an. 411.

Theodosius iunior, Theodosij magni nepos, eiusque germana soror Pulcheria, admirabili pudicitia virgo; qui Orientis imperium multos annos tenuerunt tanta felicitate, vt cum illorum pietate Dei liberalitas certare videretur. Frequenter enim à copioso hostium exercitu vndique circumsessis, & tanta contentione oppressis, vt ad resistendum neque consilio locus esset, neque totius imperij vires satis esse viderentur, Deus, (cuius omnia sunt imperia, & quo defendente nitebantur) supra fidem adfuit, & ad miraculum infestas hostium acies confusas perturbatasque profligauit. Iouinianus & Valentinianus sub Iuliano Apostata, & fidei desertore stipendia merebant: qui si priuata commoda vel humana ratione vel ambitione ponderassent, simulatione quadam Domini sui voluntati se accommodassent. Verùm contemptis honorum gradibus, & neglectâ Imperatoris gratiâ, tanquam veri & fortissimi Christi milites, perfidiam suadenti acerrimè restiterunt. Quare exauctorati, & pœnis aliis multati, solum vertere iussi sunt. Sed Deus, qui (vt scribit Theodoretus) iustus est iudex, & largè ac liberaliter deseruientes remunerat, confessionem hanc imperio compensauit: Iuliano enim, sedibus paternis exturbatori; inuicem in Romano Magistratu succedunt. Quid de Carolo verè Magno Imperatore dicam? quanta pie-

Sozom lib. 9. cap. 3.
Bar. tom. 5. anno 400.
Anton. 2. p. hist. tit. 9. c. 5. §. 9.
Trip. lib. 6. cap. 35.
Paul. Diac. lib. 1. c. 1.
Theod. lib. 3. cap. 13.

tate in Deum fuit! quanta in Sedem Apostolicam obseruantia! quanta in Sacerdotes liberalitate, in Ecclesias magnificentia! mirum vt nemini videri debeat, si tam raras & insignes victorias consecutus sit, & adeò felicem imperij sui vitæque cursum tenuerit. Quid de Hugone Capeto? qui, ob reuerentiam & honorem sacris ossibus Diuorum Welerici & Richerij impensum, sceptrum Galliæ adeptus est. Quid de Roberto Capeti filio? qui summa sua in Deum pietate, & in egenos beneficentia, regnum Franciæ ad suos posteros transmisit, & totos iam sexcentos annos stabiliuit: cuius etiã precibus & votis fracti deiectiq; sunt muri, quos nullæ bellicæ machinæ, vel moles perfringere atque disturbare poterant. Quid de Rodolpho Habsburgensi Regulo, propter eximiam in DEVM pietatem Austriacæ familiæ primo parente, & tot tantorumque Principum perenni fonte? Hic cùm aliquando venandi causa rus concessisset, & à famulorum comitatu diuulsus erraret, Sacerdoti augustissimum Christi corpus ad ægrotum inopemque deferenti fortè occurrit: quo viso, ex equo reuerenter desiliit, iussumque adscendere Sacerdotem penula sua, (quoniam pluebat) obuoluit, & pedibus comitatus, ad agrestis hominis tugurium vsque prosecutus est. Quod humile pij Comitis obsequium acceptum Deo gratumque fuit,

Robert. Gaguin. l. 5. in Hug. Cap.

fuit, vt Auſtriaci generis caput eſſe voluerit: ex quo, tamquam ex generoſa & fœcundiſſima ſtirpe, infiniti propemodum & clariſſimi Principes, Reges, Imperatores orti ſunt, qui victoriis, triumphis, rerum geſtarum gloria vniuerſum propè terrarum orbem peruagati illuſtrârunt. Si Ramirus Hiſpaniarum Rex, neglecta Religione, politicam tantùm & humanam rationem ſecutus fuiſſet, profectò Mauris virtute & numero ſuperioribus, centum Chriſtianas virgines ex pacto cum Mauregato peſſimo Rege ſancito depoſcentibus, numquam denegaſſet. Iudicabat enim rem Chriſtiano Rege indignam, innocentes agnas tetris orci lupis ſubmittere, & diſcerpendas tradere; fretuſque Deo, cuius cauſa agebatur, atque adeò ipſa æquitate, commiſit exercitus, pugnam iniit, in qua, fauente Numine, & D. Iacobo Hiſpaniarum Tutore præeunte, innumerabiles barbarorum copias fudit, & memorabilem ac miraculo inſignem ad Clauigium victoriam conſecutus eſt. Quàm proſperè; quam feliciter cum Hiſpaniæ regnis iis temporibus actum eſt, quibus regni gubernacula tenuerunt pij, & Religionis acerrimi propugnatores Reges! Ferdinandum Magnum intelligo, Alfonſum item Magnum, Alfonſum cognomẽto Caſtum, plures alios eiuſdem nominis, ac Ferdinandum illum, qui propter virtutum excellentiam

3 par. chron. Hiſp. fo. 232.

In chron. gen. Hispan. cap. Vlt. Sanctus dictus est: quo regnāte totos triginta quinque annos, nulla Hispaniam annonæ caritas, fames nulla, nulla pestilentia, nulla denique bella, præter ea, quæ in Mauros fidei hostes prospero semper euentu & victoria gesta sunt, vel exercuerunt, vel vexârunt. Hunc in numerum non iniuriâ referri possunt, cùm alij Lusitaniæ Reges, tum maximè Alfonsus Henriquez, primus omnium regnum illud adeptus, in Ecclesiam summè pius, pulcherrimis togæ bellique dotibus Iustitia & Fortitudine clarissimus, in Deū, cultumque eius amplificandum propensissimus: cuius etiam manu & patrocinio semper defensus est. Henricus tertius Hispa-*Garib. libro 16. chronic. Hisp. c. 1.* niensis Rex è vita excedens, Ioannem II. vix bimum, & adhuc in cunis vagientem reliquit. Bellum à Mauris impendebat, ac Lusitanorum motus timebantur. Hic rerum status Regem exigebat magno animo, atque consilio, qui prudentiâ arma compримeret, seditiones perturbationesque sedaret. Multi è regni Proceribus oculos coniecerant in Ferdinandum Principem, Henrici demortui fratrem, & Ioannis pueri patruum ac tutorem; quem virtutibus eo tempore necessariis instructissimum iudicabant. Acto gitur Magnatum conuentu, Ruicius Lopezius Aualus, Magister Equitum, percunctatus est ipsum, quem vellet Regem renuntiari. At Ferdinādus etsi poterat regnum

acceptare, tum quòd præſens occaſio id poſtulabat, & Proceres magno conſenſu coronam deferrent; tum quòd non deeſſent ſimili in caſu Maiorum exempla, quæ ſequi poſſet; magno animo hæc in verba Comitiſtabili reſpondit: *Et quem, niſi Regem Ioannem, Dominum meum, & nepotem, cui hæreditatis iure regnum obtigit?* oblato ſcilicet regno fidelitatem anteferens. Cæterùm homini tam fideli & modeſto dignam virtutibus mercedem rependit Deus. Ferdinandum enim ipſum ad Aragoniæ & Siciliæ regna euexit; eiuſdem liberos Neapolitana atque Nauarrea corona donauit; nepotes verò eo ipſo, quod conſtanter recuſauerat, Caſtellæ imperio dignatus eſt; quodque omnes omninò dignitatis ſtatus excedit, Iuſtiſſimi & excellentiſſimi Principis titulo cohoneſtauit. Quid loquar de Ferdinando quinto, huius ipſius ex Ioanne filio nepote? quid de Iſabella eius vxore, Ioannis II. filia? Regibus verè Catholicis, & æterna memoria digniſſimis: qui Mauros & Iudæos propè innumerabiles Hiſpania tota exegerunt, Religionis integritate impuris humanæ ſapientiæ rationibus, & quibuſuis vectigalibus prælata. Maluerunt enim ſuas opes accidi, quam pollui Religionem; ærarium minui, quàm populos ſuperſtitionibus imbui Dei voluntati, quàm hominum iudiciis, ſeruire. Sed hoc inſigne tantorum Principum erga Chriſtianam fi-

dem studium, & de victa auaritia triumphum, benignissimus DEVS amplissimè compensauit, fœdissimis quibusque sectis ex omnibus Hispaniæ finibus exterminatis, eaque ad hunc vsque diem stabilita fidei synceritate, iustitiæ æquitate, pacisque tranquillitate, concessis etiam aliis regnis, detectis præterea eorum operâ latissimis noui Orbis regionibus, prouinciis, ac regnis, auro, argento, gemmis ad miraculum abundantibus, quæ mirum in modum Hispaniam locupletârunt. Ipse sanè Ferdinandus Rex felicissimos suos successus & victorias insignes acceptas tulit ardẽtissimo (Deo mentem afflante) desiderio, fidem Catholicam non retinendi modò, conseruandique, sed & augendi, eiectis ex Hispania Religionis nostræ hostibus, &, ne clàm aliquando irreperent, constituto sanctissimo & grauissimo Quæsitorum tribunali, quemadmodum in gestis eiusdem Catholici Regis Hieronymus Zurita scriptis consignauit. Quo etiam auctore scimus, cùm viuus adhuc & valens esset Henricus IV. nec vllus vel per somnium quidem cogitaret Isabellam eius sororem in regnum euehendam, Thomam Torquemadam, ex Dominicana familia Monachum, qui Isabellæ erat è sacris confessionibus, eam conuenisse, & iureiurando interposito deuinxisse, vt, vbi regni possessionem adiisset, Religionis patrocinium

Ann. lib. 8. c. 34. & lib. 20. c. 49.

cinium ſuſciperet, armis atque iudiciis hæreticos apoſtatasque perſequeretur, & fide Catholica nihil ſanctius, nihil antiquius haberet. Neque prætereibo Carolum V. Ferdinandi atque Iſabellæ ex Ioanna filia tantis auis digniſſimum nepotem, Principemque gloria & fortitudine præſtantiſſimum: qui cùm Principes quoſdam ac ciuitates Germaniæ, quòd ab eius imperio alienationem diſiunctionemque feciſſent, armis ad officium cogere ſtatuiſſet, plurimæque & maximæ ſeſe offerrent difficultates: (nam hinc animo obuerſabatur, aduerſarios ſuos multos eſſe, milite omnique bellico apparatu inſtructos, ad vim inferendam paratiſſimos; ſe verò copias habere fortes quidem illas, ſed multis, iiſque diſiunctiſſimis prouinciis diſperſas, vt vnum in locum tempeſtiuè difficulter cogi poſſent: illinc mentis oculis occurrebat Religio iacens & mœrens, quam aduerſarij per ſummam impietatem abiecerant, & ſanctiſſimo DEI nomine contempto, ſpretaque Imperatoria maieſtate, polluerant) tandem, etiamſi Cæſarem primarius quidam eius Conſiliarius, (vt ab auctore graui accepi) multis, & à prudentia humana tractis firmis rationibus ab illa difficillima, & periculis pleniſſima expeditione deducere conatus ſit; in pectore Imperatoris verè Chriſtiano plus valuit pietas, valuit Religio, valuit in Deũ fides, vt

arma in rebelles ſumeret, quàm obiectus à vanis politici ſtatus argumentis timor vt arma deponeret. Itaque ſicut ille ad Deum conſilia ſua omnia retulit, & ſpe in eundem repoſita bellum ſuſcepit: ſic Dei beneficio tam pios conatus feliciſſimus exitus eſt conſecutus, & de hoſtibus hæreticis victoriam earum omnium, quas adeptus eſt, clariſſimam (adeptus eſt autem plurimas) reportauit. Quam etiam tam felicem & glòrioſam diuinitus ſibi collatam eſſe in hoc ancipiti bello humillimè recognoſcens, victo & capto Duce Saxoniæ, illa Iulij Cæſaris verba vſurpauit, *Veni, vidi*, & non (vt ille) *vici*; ſed, *Deus vicit*. Quapropter Paulus III. Pontifex Maximus in ſalutatione eius epiſtolę, qua Carolo de tam eximia victoria gratulatur, illum Imperatorum maximum ac fortiſſimum appellat. Sed vt totum hoc caput noto ac recenti exemplo concludam, & definiam; Stephanus Battorius ex priuato & nouo propè homine in Principem Tranſſyluaniæ (Vayuodam vocant) aſſumptus eſt: vixque inito illo Magiſtratu, perſæpè ab hæreticis (qui ea in Prouincia multi ſunt) tentatus eſt, vt partibus eorum faueret, & liberam in ſua ſecta viuendi poteſtatem concederet. Qui, ſi politicam & inanem Remp. regendi conſuluiſſet rationem, poſtulatis annuiſſet, vt eos hoc beneficio ſibi deuinciret, & delatam dignitatem in tuto locaret.

Genebr. in chron. lib.4. Sleid. lib.19. Sur. anno 1547.

locaret. Sed, cum esset Princeps Catholicus, Religionis conseruationem cuilibet vtilitati anteposuit. Quam piam fidelitatem regno Poloniæ Deus pensauit, prælato eo multis ac potentissimis eius regni competitoribus, plurimisque ac præclarissimis victoriis, quibus toto propemodum orbe terrarum fama nominis & gloriæ innotuit, nobilitato. Hæc vt essent veluti monumenta quædam hæresis oppugnatæ, & summæ curæ adhibitæ in sanãdis vulneribus & plagis ab eadẽ inflictis, additisque purioris doctrinæ sectatoribus animis, conseruatæ & propagatæ veræ & Apostolicæ doctrinæ, eademque opera amoris & timoris Domini. Quo modo fecit quod est apud Samuelem: *Quicumque honorificauerit* 1. Reg. 2.
me, glorificabo eum; qui autem contemnunt me, erũt ignobiles. Plenæ sunt eiusdem generis exemplis historiæ, possentque plurima huc adferri, si, quæ produximus, non sufficerent probandæ, quam intendimus, veritati.

CAPVT. XVII.

Princi curæ esse debere subditorum Religionem.

EX iis, quæ hactenus diximus, liquidò cõstat, primam ac præcipuam Principum curam esse debere erga Religionem: & commentum illud polliti am; Eatenus duntaxat Religionis causam suscipiendam, quoad necessaria est ad imperij statum retinendum,

vel augēdum; doctrinam esse impiam, à malo dæmone profectam, diuinæ & naturæ Legi repugnantem, à more apud omnes nationes, etiam barbaras, iam dudum recepto abhorrentem, ab sapientissimorum Philosophorum sententia consensuque dissidētem, prudentium & laudabilium Principum consuetudini aduersam, euersionem & veram perniciem earum rerumpubl. quæ tanquam custodem & conseruatricem adhibent. Neque verò hîc quiescit vel consistit nefaria ministrorum Satanæ impietas, sed vlterius progressa docet, Regum & Principum partes non esse, vt solicitè videant quam fidem vel Religionem populares sectentur, verùm vt eos tantùm in pace & iustitia retineant, & vnicuiq; potestatem faciant quam malit probetque Religionem sequendi, modò Magistratuum legibus obsecundet, neq; Reipub. otium aut pacem turbet. Ita olim varias & opinionibus dissidentes Philosophorum sectas in eandem ciuitatem admissas, & suam cuique auctoritatem tributam. Ita in vna vrbe Roma superstitionibus omnibus (iuxta D. Augustinum & Leonem) sedem tributam; vt quæ pæne omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiret erroribus; & magnam sibi videretur assumpsisse Religionem quia nullam respuebat falsitatem. Quare etiam Themistius Philosophus Gētilis, auctore Socrate, conatus est Valenti Imperatori Ariano

Aug. de ciu. Dei lib 18. cap. 57.
Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo.
Socr lib 4. cap. 24.

Ariano persuadere sectarum & Religionum multitudinem & varietatem, tamquam Deo gratissimam; quòd hac diuisione multis variisque modis coleretur; & homines cognoscant quàm obscura sit & difficilis summi Numinis notitia. Hęc illa est conscientiæ libertas, & Religionum confusio, quam nostri temporis politici in orbem inuexerunt: hæc, quam Germani Lutheranæ factionis asseclæ sunt amplexati; quam quidem in Belgio perduelles & Deo regique suo aduersi concedi sibi postulabant, arbitrantes fidem liberam esse debere, tum quod donum sit Dei, tum ꝙ experientia doceat vi conseruari non posse; ac proinde quemadmodum multis in locis permittitur Iudæis vt admisti Christianis viuant, sic concedendum hæreticis vt inter Catholicos commorentur; ea tamen lege, ne per eos pax ciuium tranquillitasque turbetur: qui scopus est, in quem Principes collimare & omnem Reipub. administrationē dirigere debent; non maiore, quam finis hic postulat, Religionis procuratione suscepta. Quam etiam in rem vsurpabant & mirificè laudabant dictum illud Donatistarum, *Quid Imperatori cum Ecclesia?* quod tantopere reprehendit D. Augustinus. Quæ causa est, cur deliberauerim per partes hanc rem latiùs explicare, demonstrareque, Principem Christianum, si nomini suo respondere velit, officioq; perfungi, nec hæreses indulgētia quadā

Bar. tom 4. anno 375. Ant. 2. p. hist. tit 9. cap 6. §. 4.

Inter. Spir. anno 1526.

Lib. 2. c. 92. contra lit. Petil.

per-

permittere debere, nec in suo regno aut Principatu diuersarum & inter se pugnantium sectarum homines pati. Deinde, fieri nō posse, vt in eadem repub. Catholici cùm hæreticis talem societatem coëant, quam perturbatio ac tumultus, quæ sunt pernicies & ruina extrema regnorum, non consequatur. Et quamuis ex iis, quæ hactenus à nobis explicata sunt perspicuum sit, regij muneris esse, vt potissimum in eam curam incumbat, quæ Dei cultum integrum purumque conseruet; cùm tamen hæc res tanti sit momenti, suo quodammodo iure postulat, vti paulo expliciatiùs eam declaremus. Quoniam verò ante omnia inuestigandum est nobis diligenter quid sanctissima fides (quæ mentium nostrarum lux est quędam clarissima) de re proposita doceat, sacras Litteras, &, qui Spiritu ac sapientia diuina afflati eas exposuere, sanctissimos Ecclesiæ Doctores consulamus. Legimus in sacris veteris Testamenti libris, diuino iussu statutum, vt in solio regni collocati Reges Legis volumen descriptum secum haberent, vt hoc ritu commonerentur primas cogitationes & studia ad Legis custodiam referri debere, nec permittendum vt cōcessa Religionis libertate, quam quisq; vellet, impune sequeretur. Quin etiam comminatus est Deus, vltorem se futurum eius, qui Sacerdotis mandata vel non audierit, vel neglexerit; præcepitque interfici, qui, supersti-

Deut. 17.

Deut. 18.

tiosè

tiosè Diis alienis adhęrens, falſa vaticinatione à vera pietate vulgus abduceret. Legimus præterea, Reges omnes pios & Deo caros ſemper ſtudiosè & diligẽter curaſſe, vt quidquid Religioni cultuique diuino videretur officere & obſtare, id omne à ſuis regnis ditionibuſque propulſarent. Quod magno animo præſtiterunt, Ezechias, Ioſaphat & Ioſias, quos eo nomine laudatos ſumma felicitate proſecutus eſt Deus. In Apocalypſi D. *Apoc. 2.* Ioannes Angelum vel Epiſcopum Pergami reprehendit, quòd aliquos ſecum haberet pateretur q;, qui Nicolai errores tenerẽt; Angelum etiam Thyatiræ, quod permitteret mulierem Iezabel, quæ ſe dicebat Propheten, docere & ſeducere Dei ſeruos. Et, vt ad ſanctiſſimos Eccleſiæ doctores tranſeamus, D. Auguinus ſic hæreticos alloquitur; *Quamdiu ergo vos non tenetis Eccleſiam, quam prænuntiauerunt piſcatores. Apoſtoli plantauerunt; tamdiu Reges, qui eam tenent, rectiſſimè ad ſuam curam iudicant pertinere, ne vos aduerſus eam rebelletis impunè.* *Aug lib. 2. contr epiſt. Gaud. c. 27.* Et alio loco: *Mirantur autem quia commouentur poteſtates Chriſtianæ aduerſus deteſtandos diſſipatores Eccleſiæ. Non ergo mouerentur? & quomodo redderent rationem de imperio ſuo Deo? Intendat caritas veſtra quid dicam, quia pertinet ad Reges ſeculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam velint matrem ſuam Eccleſiam, vnde ſpiritaliter nati ſunt.* *Tract. 11. in Ioann.* Atque alibi: *Quis* (ait) *mente ſobrius Regibus dicat, Nolite curare in re-* *Idem epiſt. 50. & tom.*

gno

7 lib. 2. contra lit. Petil. cap. 92.

gno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse siue religiosus, siue sacrilegus: quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim, cùm datum sit diuinitus homini liberũ arbitrium, adulteria legibus puniantur, sacrilegia permittantur? Eodemque loco sic habet: *Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges qui populo Dei non prohibuerunt nec euerterunt quæ contra Dei præcepta fuerãt instituta, culpantur; & qui prohibuerunt & euerterunt, super aliorum merita laudantur.* Et inibi verba illa Psalmi Dauidici explicãs, *Seruite Domino in timore,* affirmat, Reges & quâ sũt homines, & quâ sunt Reges, posse spectari, his verbis: *Quomodo ergo Reges seruiunt in timore, nisi ea, quæ cõtra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectẽdo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei seruit viuẽdo fideliter; quia vero etiã Rex est, seruit Leges iusta præcipientes, & cõtraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo.* Quod exemplis in medium adductis confirmat: qui etiam Epistola quã ad Bonifacium dedit, *Bene,* inquit, *agere, & illicita non prohibere, consensus erroris est.* Cælestinus Pontifex Max. ad Imperatorẽ Theodosium Iuniorem scribens, & multis mirisq; rationibus cum eo agens, ita tandẽ alloquitur: *Maior vobis fidei causa debet esse quam regni ampliusque pro pace Ecclesiarum Clementia vestra*

Psalm. 2.

Tom. 2. epistol. 7. in append. ex edit. Cant.

Vide Baron. tom. 5. anno 431.

debet

debet esse solicita, quàm pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quæ Deo sunt cariora seruentur. Abrahã fide floruit, omnemq; orbem gloriæ suæ prosperitate impleuit. Moyses populi liberator Zelum Domini cõtra eos, si quos à Dei cultu discessisse probarat, armauit. Dauid Regem sua præcepta seruantem in regno, vt ille inimicos suos subderet, Dominus custodiuit. His ergo exemplorum vallati præsidio, fide, obseruatione, virtute, vniuersalis Ecclesiæ in Deum nostrũ piissimũ cultum, ne sibi aliquid dissensio vindicet, custodite. Pro vestri omni salute imperij geritur, quidquid pro quiete Ecclesiæ, vel sanctæ Religionis reuerentia laboratur. Hæc ille: qui etiam de erroribus Nestorij scribens ad Cyrillum Alexandrinũ, *Indifficulter,* inquit; *est Ecclesiarũ & Catholicæ fidei speranda tranquillitas, quando pro has elaborare Christianos Principes sic videmus. Non est inefficax in diuinis maximè causis cura regalis, quæ pertinet ad Deum, qui fideliter tenet corda regentium.* Nicolaus I. summus Pontifex in responsis ad consulta Bulgarorum, *Quippe,* ait, *cùm pertineat hoc ad Reges sæculi Christianos, vt temporibus suis pacatam & sine diminutione velint seruari matrem suam Ecclesiam, vnde spiritaliter nati sunt.* Eandẽ in sententiam sanctus Leo ad Leonem Imperatorẽ. *Sic debes incunctanter aduertere regiam potestatem tibi non solũ ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidiũ esse collatã, vt ausus nefarios cõprimendo, & quæ bene sũt statuta defẽdas, &*

Bar. ibid.

Epist. 75.

Isid lib. 3. Sent. c. 53.

veram pacē his quæ sunt turbata restituas. His accedat Isidorus, cuius hæc sunt verba: *Cognoscant Principes seculi, debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per Principes fideles, siue soluatur; illa ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Et Anastasius Pontifex, qui hanc in sententiam ad Anastasium Imperatorem scribit: *Hoc tamen præcipuè insinuo Serenitati tuæ, generosissime & clementissimè fili, Auguste, vt, cum causæ Alexandrinorum patuerint piissimis auribus vestris, ad Catholicam & syncceram fidem eos auctoritate, sapientia, diuinisque vestris monitis redire faciatis.*

Bar. tom. 6. anno. 497.

Capvt XVIII.

Idem probatur aliquorum Imperatorum exemplis.

Qvæ Scripturæ & sanctorum Patrum auctoritate confirmata sunt, eadem pij Principes ac Imperatores exemplo suo comprobarunt. Constantinus Magnus fana & inanium simulacrorum delubra præcepit obstrui, solamque Religionem Christianam toto suo imperio voluit coli, vt refert Optat' Mileuitanus; legesque contra Arianos condidit, vt auctor est Sozomenus. Constans & Constantinus eiusdē filij, Augustino & Ruffino auctoribus, patris vestigiis institerunt.

Cod. Theod. lib. 16. tit. 10. l. 4. de Pag.
Opt. lib. 2. contra Par.
Sozom. lib. 2. cap. 30.
August. epistola 166.

Con

Constantius eorum frater etiamsi Arianus esset legem tulit, quæ idem iuberet; & in alia quadam lege hæc habet: *Gaudere & gloriari ex fide semper volumus; scientes magis Religionibus, quàm officiis & labore corporis; vel sudore, nostram Rempub. contineri.* De Gratiano Imperatore in hæc verba scribit D. Ambrosius: *Sic ipse nostri arbiter, quem fateris, & in quem piè credis, refici viscera mea tua fide, tua salute, tua gloria; meq; non solùm officio publico debitas pendere preces, sed etiam amore priuato. Reddidisti enim mihi quietem Ecclesiæ, perfidorum ora, atq; (quod vtinam) & corda clausisti; & hoc non minore fidei quàm potestatis auctoritate fecisti.* In hoc etiam boni Principis officio plurimum excelluit Theodosius, curauitque diligenter idolorum cultũ toto Imperio radicitus exstirpari; quod sciret non aliter cõseruari posse, quã Deorum supestitione sublata. Valẽtinianum Iuniorem laudat[a] D. Ambrosius, quod viriliter animoque magno Romanis restiterit, petentibus vt Deorum vanus cultus restitueretur, fieretque libera potestas quàm quisq; vellet Religionem complectendi. Sanctus Ioannes Chrysostomus mira eloquentia Arcadio Imperatori persuasit, mallet vt imperij iacturam facere, quàm Gaynæ Duci, precibus & minis Constantinopoli pro Arianis Templum petenti, assentire. Neque defuit tantæ constantiæ diuina approbatio. Cum enim æquissima pernegatione efferatus Gay-

Ruff. lib. 10, cap 5.

Libro 16. Cod. tit. 2. de Episc. & Cler. l. 16.

Amb. epist. 26 c. 5. ad Grat. Imp.

C. Theod. l. 16. tit. 1. li. 2. de fide Cathol.

Carol. Sig. lib. 9. de Occid. Imp.

a In Orat. funeb.

Sozom. lib. 8. cap. 4.

nas milites submisisset, qui subiectis flammis Imperatoris palatium deformarent, deterriti illi Angelorum præsidiariorum forma ab incendio abstinuerunt, vti * superius commemorauimus. Aptissima vero ad Imperatori persuadēdum, & ab Regio diademate tracta eiusmodi vsus est Chrysostomus similitudine: *Quemadmodum, ô Imperator, si quis coronæ tuæ pretiosis & fulgētibus gemmis micanti vitri partes aut viles lapillos admisceat, pratium & splendorem minuet: ita si in eadem Ecclesia Catholicis hæreticos coniunxerit, quos vel errorem recognoscere, vel ciuitate exturbari oporteat, fulgētem eiusdē coronam vitiauerit.* Qua etiam effecit, vt ab aula & familia sua non paucos seueriùs castigatos eiiceret, qui, hæretici cū essēt, ad Imperatoris gratiam aucupādam Catholicos se simulationis specie ostentabant. Inductus familiarium consilio Theodosius Imperator, Arcadij filius, ereptas Iudæis Synagogas quasdam restitui curauerat. Hoc cum ad aures Simeonis Stilitæ, viri ea ætate ad miraculum sanctissimi & omnibus venerandi, peruenisset, ad Imperatorem litteras dedit graues & acerbas, quibus comminabatur futurum vt pœnas Deo pendat grauissimas, si ab locis & conuenticulis eiusmodi exclusos Iudæos rursus admitteret. Tantumq; valuit seueritati permista monitio, vt priorem voluntatē concessionemq; rescinderet, & tam infausti consilij auctores magistratibus abdicaret.

* Cap. 16.

Bar. tom. 5. anno 400. Metaph. in Vita Chrysostomi. Marc. Diacon. in act. S. Porphyr. Gaz. Episc. Theod. Vit. SS. Patrū, cap. 26. Euag. lib. 1. c. 15 hist.

caret. Qui idem ad Concilium Ephesinum *Act. Ephe.*
scribens, sequentibus verbis vtitur: *Cum ma-* *edit. Pelt.*
gnam rerũ omnium, quæ è repub. sunt, curam ha- *tom. 1. c. 32.*
beamus; tũ verò maximã illarum, quæ ad pietatẽ *Bar. tom. 5.*
Religionemq́; conseruandã pertinere arbitramur. *anno 431.*
Per ea namque cætera quoq́; bona hominibus sup- *C. de sum. Trin. & fide Cathol.*
peditantur. Marcianus Imperator seuerè ad- *l. Nemo.*
modùm vetuit ne in quæstionem vocaretur, *Cassiodor.*
quod in Conciliis Patrum definitione de- *lib. 11. Var.*
cretum esset, sed statutis quilibet integrè pa- *ad Ioannem*
reret. Theodoricus Rex Italiæ, Arianus licet, *Papam.*
ad Ioannem Papam scribens, hæc habet; *Sum*
quidem Iudex Palatinus, sed vester non desinam *In Præfat.*
esse discipulus: nam tunc ista rectè gerimus, si à ve- *capit.*
stris regulis minimè discedamus. Carolus Ma-
gnus cum Episcopis loquens, ita eos affatur:
Placuit nobis vestram rogare solertiam, vt vigili
cura & admonitione populum Dei per pascua vi-
tæ æternæ ducere studeatis: vt, quomodo regno
tantos contulit honores, sua protectione nos nostrũ-
que regnum in æternum conseruare dignetur. Qui
etiam in suo testamento hoc vnum maxi-
mè voluit filiis commẽdatum, vt præcipuum
suum studium in Ecclesia tuenda ac defen-
denda ponerent; quod & ipse, ac Pipinus pa- *Naucler.*
ter, auusq; Carolus Martellus fecissent. San- *Gen. 28.*
ctus Ludouicus Galliæ Rex (vt in vita habe-
tur) morti proximus, inter cætera quę Philip-
po filio & regni successori mãdauit, hoc vnũ
quàm maximè præcepit, vt hæreticos & schi-
smaticos è Gallia exstirparet. Hoc idem pro-
positum fuit Catholicis Hispaniæ Regi-

bus Ferdinando & Isabellæ, cum, Religionis salute & integritate propriis commodis antepoſita, Iudæos & Mauros, (vt ante commemorauimus) ſuis è finibus expulerunt. His exemplis plura alia Imperatorum, Regum, Principum potentiſſimorum addi poſſent, qui perſpectum habuerunt, munere & officio ſuo ſe minimè perfunctos, ſi non puram putamque Religionem conſeruaſſent. Poteſtas enim Eccleſiaſtica & Ciuilis germanæ ſunt ſorores, & veluti corporis vnius mēbra, vel (vt verius dicam) illa animæ, hæc corporis vicem obtinet. Itaque ſicut anima ſuprema eſt & præſtantior pars hominis, quæ corpori tribuit vt ſit ac viuat: ita ſpiritalis & velut cæleſtis poteſtas multis partibus terreſtrem, tamquam huius vita, excedit. Quam ob cauſam (vt præclarè ſcripſit D. Gregorius Pontifex) terrenum regnum cæleſti deſeruire debet; & Reges, qui Dei ſunt miniſtri & vicarij, nihil ferre debent, quod cum Domini ſui legibus ac decretis pugnet: ea præſertim de cauſa, quod, cùm fides vinculū quoddam ſit & nexus quo Eccleſiæ membra inuicem copulātur, neceſſe ſit, vt, fide diuiſa, findatur & diuidatur atque ita pereat ipſa Eccleſia. Huc accedit, quòd permiſſa quid quiſque velit credendi libertas damni & periculi ſit pleniſſima, cùm ſit errandi libertas in iis rebus, in quibus periculoſiſſima eſt erratio. Nam cùm vna tantùm eſſe poſſit vera fides;

Greg. lib. 2. epiſtol. 61.

quid-

quidquid ab ea diſcrepat, & tamquam à recta linea deflectit, illuſio eſt, cæcitas, atque error: vnde mens hominis quæ vera fide destituitur, naui gubernaculo deſtitutæ ſimillima eſt, quæ quaſi ventorum ac vndarum ludibrium huc atque illuc impellitur. Præclarè ſanè D. Auguſtinus; *Quæ eſt* (inquit) *peior mors animæ, quam libertas erroris?* Atque hæc fuit cauſa, cur in Concilio Lateranenſi, quod ſub Innocentio tertio habitum eſt, & præſtantiſſimorum hominum, qui tũc in Græca & Latina Eccleſia florebant, ampliſſimo conſeſſu celeberrimum fuit, ſeuerè, propoſita etiam graui pœna, Principibus & Magiſtratibus præceptum fuerit, vt finibus ſuis hæreticos exturbarent, idq; ſe facturos iureiurãdo promitterent. Et in Conuentu Concilioq; Toletano octauo (quemadmodum ſuprà retuli) ſancitur, vt bellum gerant aduerſus hæreticos Eccleſiæ infeſtos. Ex quibus perſpectũ exploratumque relinquitur, quod nobis ꝓpoſitum fuit, Regum Chriſtianorum præcipuum, & quo arctiſſimè obſtringuntur, officium id eſſe, quod iam declaratum eſt: quodque Eccleſiæ Catholicæ conſeruatores ſint, & vindices; Dei inſuper miniſtri: vt nihil prætermittant eorum quæ ad ſalutem eiuſdem tuendã neceſſaria iudicauerint; & reprimãt, ac (cũ opus eſt) acerrimè caſtigẽt, quotquot vel veneno doctrinæ fidei veritatẽ adſpergere, vel miſcere & turbare omnia conantur.

Auguſt. epiſtola 66.

Cap 3. habetur C. *Excom. de hæreticis.*

Conc. Tolet. 8. cap. 10.

Caput XIX.

Principes ita tueri debere quæ ad Religionem pertinent, vt tamen iudices se non constituant.

Verum, antequam longiùs progrediamur, intelligant attentèque perpendāt oportet Reges & Principes, ita defendēdam sibi Christianam Religionem, vt re circa eam dubia, vel noua & perplexa sese offerente aliqua difficultate, Iudicum partes non assumant, nec temerè definiant quod eos non concernit. Custodes enim sunt diuinę Legis, non interpretes: ministri sunt Ecclesiæ, non Iudices: gladium portant, vt hæreticos, perduelles, sacrilegos, & quotquot persequuntur aut Ecclesiæ pacem turbant, suppliciis coërceant: sed in rebus Ecclesiasticis nec legumlatores sunt, nec diuinæ voluntatis explanatores aut internuntij. Exponamus ista vberius, & vera esse testimoniis, exēplis, adeoque ipsa ratione ostendamus, quæ ne Gētiles quidem Principes ignorarunt, sed obseruarunt studiosè. Narrant enim historiæ, *Lamp. in Alex.* Alexandrum Seuerum Imperatorem tantū Auguribus Pontificibusque detulisse, vt liberè permitteret, quæ Religionis essent, eos administrare; & quasdam sacrorum causas à se finitas iterari & aliter distingui pateretur. Sed omissis profanis, ad sacra veniamus, & quid

quid Spiritus sanctus in sacris Scripturis doceat inspiciamus. In Deuteronomio præcipit Deus, vt, si quid occurrat ambiguum ac difficile, Sacerdos consulatur; cuius iudicio qui stare noluerit, decreto Iudicis moriatur. Prophetæ Aggæi ista sunt verba: *Hæc dicit Dominus exercituũ, Interroga Sacerdotes Legẽ*: & Prophetæ Malachiæ propè eadem: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũ est.* Quo mandato docet Iosephus Dominum nihil aliud significare voluisse, nisi Regi ac Principi magis Lege diuina quàm scientia sua vel prudentia, nec tam suo quam Pontificum & Presbyterorum iudicio stãdum esse. Propterea olim Christus Redemptor noster his verbis Iudæorum populum instruebat: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate & facite.* Quod inter Reges & Sacerdotes discrimen nouerat Rex Iosaphat, cùm popularibus suis edixit, vt in iis quæ ad Legem, mandata, cæremonias, & iustificationes pertinerent, adirent summũ Sacerdotem, qui, si quid ambiguum esset, aut obscurum, tamquam diuinæ Legis interpres id explicaret. Ob quam etiam causam cum Rex Ozias tura & odores accendere, & sacris suffimentis more Sacerdotum Deum placare conaretur, his vocibus à Pontifice commonitus est: *Non est tui offi. ij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed*

Deut. 17.
Aggæi. 2.
Malach. 2.
Ioseph. l. 5. Ant. c. 8.
Matth. 23.
2. Par. 20.
2. Par. 26.

Sacerdotum. Cumque contumax, ſpreta admonitione & ſentẽtia, perſiſteret; lepra à Deo percuſſus deformatuſque, Templi liminibus eiectus eſt. Saul, temerario auſu holocauſto immolato, Sacerdotis muneribus ſe implicuit; quem propterea reprobauit Deus, & poſteros eius regia dignitate ſpoliauit. Chriſtus Dominus ac liberator omnes ſuas oues Petro, vnicò ſuo Vicario ac ſummo Paſtori, commiſſas commendauit, vt eas ſaluberrimis veræ Catholicæque doctrinæ paſcuis aleret. Quare ſummorum Pontificum, qui Petro ſucceſſêre, præcipuè, deinde etiam cæterorum Epiſcoporum ac Præſulum munus eſt, vt tamquam legitimi paſtores ſalutaribus monitis ac doctrina erudiant: Principũ verò, (quos ſæculares vocamus) vt tamquam Chriſtiani gregis oues docentes audiant, iiſque obtemperent. Chriſtus enim Petro dixit, rogaſſe ſe Patrem vt eius fides non deficeret. Veriſſimum hoc & conſtans noſtrum dogma præter ſacram Scripturam vſus & omnium ætatum decurſu recepta conſuetudo comprobat, ſummorum Pontificum decreta ſtabiliunt, corroborat grauiſſimorum Patrum & Eccleſiæ Doctorum auctoritas, piorum Regum & Principum exempla teſtantur, ipſaque adeò ratio confirmat. Nam quod ad vſum moremque Eccleſiæ attinet, ex quo cœpit Eccleſia habere Reges Chriſtianos, in difficultatibus & cõtrouerſiis Eccleſiaſti-

1. Reg. 13.

Ioann. 21.

Luc. 22.

siasticis, quæ exortæ sunt, diiudicandis definiendisque nunquam adhibiti sunt Imperatores, Reges, aut Principes profani vt Iudices, aut quæstionum arbitri; sed penes Pontificem summum, Concilia, Episcoporumque conuentus, vt veros & à Deo constitutos Iudices, rerum controuersarum moderatio, examen, definitioque semper fuit. Quod facilè intelliget, qui sæculorum omnium à primo nostræ Religionis exordio ad hæc vsque tempora memorias omnes Annalesque Ecclesiasticos percurrerit. Quæ ergo, ne in re non necessaria Lectori sim tædio, prætermittam, cùm ex primo tomo Controuersiarum P. Roberti Bellarmini, è Societate nostra Theologi, quas eruditissimas scripsit, peti possint. *Bellar. to. 1. de Verbi Dei interpr. li 3. c. 6 7. & 8.* Ac disputare faciendumne sit, vel an bene fiat, quod tota per orbem frequentauit Ecclesia, insolentissimæ est (vt ait D. Augustinus) insaniæ. *Aug. epistola 118.* Neque mihi deliberatum est, varia Pontificum decreta, quæ propositam veritatem confirmant, huc congerere: cuiusmodi sunt sancti Damasi in Epistola quam ad Stephanum dedit; Innocentij primi ad Concilia Carthaginense & Mileuitanum scribentis; sancti Leonis Magni epistola 84. ad Anastasium, & 89. ad Episcopos Prouinciæ Viennensis; Gelasij in litteris ad Episcopos Dardaniæ missis; Gregorij Magni quarti libri epistola 52. ad Episcopos Galliæ: quibus decernitur & sancitur, graues &

maioris momenti causas, eas verò maximè, quæ ad fidem spectant, Apostolicæ Sedis iudicio reseruari. His igitur omnibus prætcritis, referam solùm quòd Gelasius ad Anastasium Imperatorem scribit his verbis: *Nosti, clementissime fili, quòd licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum: tamen Præsulibus diuinarum colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis exspectas; in sumendis cœlestibus Sacramentis, eisq; vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis Religionis ordine potiùs, quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.*

Gelas. epist. ad Anast.

Sub Aurelio Imperatore fuit Christianis cũ Paulo Samosateno hęresiarcha controuersia de domo quadam, quam pars vtraque Templo exædificando designauerat. Consultus Cæsar vt litem dirimeret, ad Romanũ Pontificem (Gentilis licet) causam disceptandam remisit; iussitque domum illis tribui, quibus Romanus Episcopus & alij Italiæ Sacerdotes adiudicassent. Nouerat enim (vt ait Eusebius) Romanum Pontificem supremum esse apud Christianos Iudicem, ad quem pertineret de rebus Ecclesiasticis sententiam ferre. Hoc ipsum Ecclesiæ ius clarissimè perspectum habuit Constantinus Imperator: nam cùm Melchiades Papa in consessu decem & nouem Episcoporum, damnato Donato hæretico, Cæcilianum Carthaginensem Episcopum absoluisset, atq; ab hoc iudicio Do-

Eusebi. l. 7, c. 24. hist.

Euseb. l. 10. cap. 5. hist.

natistæ

natistæ schismatici ad Imperatorem appellassent; indignatus tam iniquæ & impiæ aduocationi, epistolam in hæc verba ad Episcopos dedit: *Meum iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi exspecto. Dico enim, vt se veritas habet: Sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt maligni homines, officia diaboli? perquirant sæcularia, relinquentes cœlestia* Adfert hanc epistolam doctissimus æquè ac diligentissimus Annalium Ecclesiasticorum Scriptor Cæsar Baronius. De hac appellatione loquens Optatus Mileuitanus, sic exclamat: *O rabida furoris audacia! Sicut in caussis Gentium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Atque Imperatorem causam hanc (quæ tamen facti erat, non fidei) ad Episcopos remittentem Donatistis longè fuisse modestiorem affirmat D. Augustinus. Quòd si ea de re iudicium tulit, victus molesta ac importuna Donatistarum solicitatione id fecit, erroris que ab Episcopis veniam petiit, Augustino teste, cuius hæc sunt verba: *Nec enim ausus est Christianissimus Imperator sic eorum tumultuosas & fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret; sed alios (vt dixi) Episcopos dedit: à quibus tamen illi ad ipsum rursum Imperatorem prouocare maluerunt; qua in re illos quemadmodum detestetur, audistis. Atque*

Baron tom. 3 an. 313.

Lib. 1. contra Parm.

August. epistola 48.

Epist. 162. & 166.

vtinam saltem ipsius iudicio insanissimis animositatibus suis finem posuissent, atque vt eis ipse cessit, vt de illa causa post Episcopos iudicaret, à sanctis Antistitibus postea veniam petiturus. Hęc Augustinus. Neque id mirum; fuit enim Constantinus adeò pius & religiosus Princeps, vt iusserit morem geri Sacerdotibus, non in iis solùm quæ propria sunt Ecclesiæ, sed etiam in externis & secularibus, ita, vt, si quid de iis definiuissent, noluerit retractari. Quod vsu receptum olim fuisse, ex historiis Ecclesiasticis, & exemplis quorundam sanctorum Antistitum licet intelligere: qui non solùm excommunicationnis mucrone contumaces feriebant, & limine tectoque sacrarum ædium, adeoque primo aditu & vestibulo prohibebant; sed interdum etiam ipsos Iudices sæculares pœnis coërcebant. Id quod Cæsar Baronius parte quinta suorum Annalium apertissimis exemplis Synesij Episcopi Ptolemaidæ & Augustini probat. Neque id difficulter ex Augustino colligitur: nam in Epistola quam ad Marcellinum Tribunum scripsit, sic eum affatur: *Si non audis amicum petentem, audi Episcopum consulentem. Quamuis, quoniam Christiano loquor maximè in tali causa, non arroganter dixerim, audire te Episcopum conuenit iubentem.* Sed, vt ad Constantinum reuertamur, ex eadem pietate & religione natum est, vt, ad finem feliciter perducto Niceno Concilio, ad omnes Ecclesias,

Exstat in Append. ad Opt. Mileu. Paris. impr. C. Theod. de Episc. iud. l. 16 tit. II.

Aug. epistol. ad Marcell.

sias,

ſias, (ſicut refert Euſebius) Epiſtolam miſe- *Euſeb. de Vita Conſt. l. 4. cap. 27. Sozom. l. 1. cap. 9. Baron. tomo 3. ann. 325.*
rit, cuius extrema parte hæc habentur: *Quæ cùm ita ſe habeant, lubentes hoc decretum tamquam donum Dei, & mandatum reuera cœlitus demiſſum, amplexamini. Nam quidquid in ſanctis Epiſcoporum Concilijs decernitur, id vniuerſum diuinæ voluntati debet attribui.* Narrat idē Eu- *Euſeb. ibid.*
ſebius, Conſtantinum Conciliorum decreta ſubſignare ſolitum, vt prouinciarum Præfectis vexationum cauſas amputaret, cùm probè intelligeret, quam Sacerdotes Domini ferrent ſententiam, eam firmiſſimam eſſe, atque certiſſimam. His maximè congruit, *Ambroſ. epiſtola 32.*
quod Ambroſius his verbis ſcribit: *Si conferendum eſt de fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio: ſicut factum eſt ſub Conſtantino, Auguſtæ memoriæ Principe; qui nullas leges antè præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Quin & ipſe Conſtantinus in Epiſtola, quam in *Athanaſius apol. 2.*
gratiam Athanaſij ad Alexandrinam Eccleſiam dedit, hunc in modum loquitur: *Ego enim Epiſcopum veſtrum Athanaſium libenter recepi, eumq; vt virum Dei allocutus ſum. Veſtri autem eſt, non mei, iudicij, ea de re cognoſcere.* Itaque quamquam mirificè lætatus eſt, cùm accepit, Arium ſtare velle Concilij decretis; (quod vafer hæreſiarcha ſimulatè promittebat) tamen, vt auctor eſt Sozomenus, noluit *Sozom. l. 2. cap. 26.*
eum antè in Catholicorum ſocietatem & communionem admitti, quàm id Epiſcopi comprobaſſent. Denique idem Conſtantinus,

Euseb. de vita Constan. lib. 4. c. 24.

nus (quemadmodum in eius vita refert Eusebius) hæc dicere solebat Ecclesiæ Præsulibus: *Vos intra Ecclesiam Episcopi, ego extra Ecclesiam Episcopus sum constitutus à Deo.* Quibus verbis prudens admodum Imperator significabat, etsi Rex nec re sit nec nomine Episcopus, neque alios sacrare possit, vel in definiendis disponendisque rebus Ecclesiasticis Iudicis legitimique Superioris partes assumere; eum tamen (quantum fas est) sic Episcopi quasi personam gerere, vt sacrorum Præsulibus faueat, animos addat, perfici iubeat, quod illi sanciuerint, præsidio externo, atque ope eorum auctoritatem muniat, contumaces illisq; repugnantes suppliciis comprimat, eaque omnia præstet, per quæ sanctissima Christi Ecclesia pacis otiique tranquillitate perfruatur.

CAPVT XX.

Continuatur superius caput.

ATQVE hæc à Constantino Imperatore designata: nunc quid alij Catholici ac sapientes Imperatores egerint, explicandum. Inter quos maximè laudatur Valentinianus senior, quòd se rebus Ecclesiasticis implicari nunquam permiserit: iudicabat enim potestatis suæ fines excedere. Quãobrem cùm importunè rogaretur, permitteret haberi Concilium, in quo de nonnullis

Niceph. lib. 11. cap. 30. Sozom. l. 6. cap. 7. Ruffin. l. 1. cap. 2. hist. Bar. tom. 4. anno 364.

rebus

rebus fidei decerneretur, in hęc verba respõdit: *Mihi, qui vnus è numero laicorum sum, non licet, me eiusmodi negotijs interponere. Ideo Sacerdotes & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, vbicumque ipsis liberum fuerit, conueniant.* Idem Imperator, cum iis quos socios & consortes imperij habebat, Chronopiũ Episcopum multam pecuniariam in mendicos erogandam pendere iussit, conuenienter legis cuiusdam præscripto, in quod commiserat; quo vetatur, pœnâ additâ, ne Ecclesiastico liceret à iudicibus Ecclesiasticis ad sæculares appellare. Cuius legis mentionem facit D. Ambrosius, &, cum Valentiniano iuniore loquens, hanc eius refert fuisse sententiam: *In causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure.* Cuius sanctionis alius non est sensus, vt idem Ambrosius notat, quàm Iudices Sacerdotum Sacerdotes esse debere. Neque diuersa sunt, quæ idem Imperator ad Clerum Mediolanensem scribit: *Est*, inquit, *vobis, vtpote sacris & diuinis Litteris institutis, exploratè cognitum, qualis debet esse is, qui sit ad Episcopatum gerendum delectus. Quare hominem ita instructum in fide, in gradu Episcopali iam collocate; vt & nos, à quibus gubernatur imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus; & eius reprehensionem (nam, cùm homines simus, labi necessè est errore) velut medicinam animarũ cupidè amplexemur.* Cuius filius Gratianus præclarum patris

C. Theod. l. 11 titul. 36. quor. appell. l. 19.

Ambr. epist. 32.

Baron. tom. 4. ann. 386. Paul. Diac. in Add. ad Eutrop. l. 1. cap. 12.

patris exemplum æmulatus eſt, vt conſtat ex epiſtola ad Epiſcopum Aquileienſem, quæ lecta eſt in eodem Aquileienſi Concilio, cui D. Ambroſius interfuit, in qua hæc habentur: *Neque controuerſiæ dubiæ ſententiæ rectiùs poterant expediri, quàm ſi obortæ altercationis iudicium interpretes ipſos conſtituiſſemus Antiſtites; vt videlicet à quibus proficiſcuntur inſtituta doctrinæ, ab eiſdem diſcordiæ eruditionis repugnantia ſolueretur.* Ob quæ in eodem Concilio adeò illum laudauit Ambroſius dicens: *Ecce quod Chriſtianus conſtituit Imperator: noluit iniuriam facere Sacerdotibus: ipſos qui erant Dei interpretes, voluit etiam eſſe Iudices.* Qui etiam oblatum ſibi ſummi Pontificis titulum, quo ante eum alij Imperatores inſigniti fuerant, magno animo recuſauit, aut (vt veriùs dicam) admiſſum poſtea reliquit; quòd diceret (teſte Sozimo) ad ciuilem Magiſtratum rerum ſacrarum vſurpationem non pertinere. Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius legem tulerunt, controuerſias Eccleſiaſticas Antiſtitum ſententiis dirimi decidique mandantem. Legis hæc ſunt concepta verba: *Idcirco continua lege ſancimus, nomen Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt, ne ad iudicia ſiue ordinariorum, ſiue extraordinariorum iudicum protrahatur: habent Iudices ſuos, nec quidquam his publicis commune cum legibus; quantum ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopali auctoritate*

Tom. 1. in Conc. Aquil.

Theod. l. 5. cap. 2.

Sozim. l. 4.

C. Theod. li. 3. de Epiſc. iud.

decidi.

decidi. Consonant his, quæ idem Theodosius & Honorius Philippo Illyrici Præfecto responderunt: vt, si quæ dubitatio circa sacros Canones se offerret, id non absq; scientia viri Reuerēdissimi sacrosanctæ Legis Antistitis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiuâ lætabatur, conuentui Sacerdotali sanctoque iudicio reseruaretur. Quin & ipse Honorius Imperatorem Arcadium, fratrem suum, reprehendit, quòd contentionibus ac controuersiæ Constantinopoli inter Episcopos, qui factionem Theophili, & eos, qui Chrysostomi partes sequebantur, exortis, auctoritatem suam interposuisset; ac inter alia hæc ait: *Si quid de causa Religionis inter Antistites ageretur, Episcopale oportuerit esse iudicium. Ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium.* Idem Imperator misit in Africam Marcellinum Tribunum ac Notarium, (qui erat ei quasi à secretis) vt ibi curaret haberi congressum & colloquium inter Catholicos & Donatistas, si qua ratione controuersiæ de Religione conciliari possent. Voluit autem religiosissimus Princeps ita communicationi Marcellinum adesse, vt in illa non Iudicis simpliciter, (laicis enim interdictum erat, in causis Ecclesiæ Iudicem agere) sed cognitoris honorariique arbitri nomen ferret, cuius partes essent, suum cuique locum ac sedem assignare, pacificato-

Lib 6. Cod. de Sacrosan. Eccles. & l. 45 de Episc. & Clericis. C. Theod. pag. 209.

Bar. tomo 5. anno 404. Exstat hæc epist in Cod. Vatic. Cassiodorus Var. lib. 6. fam. 16.

rem agere, curare ne quid inter Episcopos inordinatè vel tumultuariè fieret, & seposita vi omni ac dolo tranquillè ac sine clamore & strepitu transigerentur; quemadmodum ex actis eiusdem conuentus & collationis colligitur, & in suis Annalibus notat Cæsar Baronius.

Bar. tomo 5. anno 411.

Turbis ac periculoso schismate inter Clerum & populum Romanum exorto, cùm in Sozimi Papæ mortui locum electione iusta suffectus esset Bonifacius, & Eulalius populi fauore in Sedem Petri se intruderet; Honorius Imperator iudicare noluit, vter illorum legitimè ac iuxta canones electus esset, sed, qui de nata controuersia disceptarent, Antistites & Clericos conuocari fecit. Nouerat enim Ecclesiasticam esse causam, non sui iuris aut tribunalis.

Bar. tomo 5. anno 419.

Theodosius minor, Honorij ex fratre nepos, in epistola, quam per domesticum & familiarem suum ad Concilium Ephesinum dedit, hæc habet: *Igitur Candidianum, præclarissimum religiosissimorum domesticorum Comitem, ad hanc sacram vestram Synodum abire iussimus; sed ea lege & condicione, vt cum quæstionibus & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidūt, nihil quidquam commune habeat. Nefas enim est, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, eum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus se immiscere.*

Cyrill. to. 4. epistol. 17. Act. Ephes. edit. Pelt. c. 32. tom. 1.

Similia sunt, quæ Marcianus in Concilio Chalcedonēsi his verbis dixit: *Quid obseruari in Religione debeat, Sacerdotes perspicua*

Bar. tomo 5. anno 431.

cua

cua definitione docuerunt. Et in oratione quam habuit ad ipsum Concilium: *Nos* (ait) *ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo Constantini Imperatoris, adesse Synodo excogitauimus*. Eodem propè modo loquitur Basilius Imperator in octaua Synodo, verbis sequentibus: *De vobis autem laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè versamini, quid amplius dicam, non habeo, quàm quòd nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem mouere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari. Hæc enim inuestigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, ligandi, & soluendi potestatem habent, qui Ecclesiasticas adepti sunt claues; non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à ligamentis solui egemus.* In eodem loco idem Imperator dicit, Constantinum, Theodosium, Marcianũ, & alios Catholicos Imperatores numquam in Conciliis, nisi post omnes sacrorũ Præsules, subscripsisse. Theodoricus Rex Gothorum, etsi Arianus, in quarta Synodo Romana, sub Symmacho Papa, noluit se illi causæ ac controuersiæ, quòd Ecclesiastica esset, immiscere; sed respondit, Synodalis esse arbitrij, in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se, præter reuerentiam, de Ecclesiasticis negotiis pertinere. Ex quibus exploratum habetur, quo nam modo in negotiis

Orat. ad Conc. hab. act. 5.

Sigon. l. 16. de Occid. Imp habetur dist. 17. conc. §. ad hac.

ac controuersiis ad solam Ecclesiam pertinentibus gesserint se Christiani ac prudentes Reges & Imperatores. Quæ exempla si rariora vel minùs valida viderentur ad probandum quod assumpsimus, plura & recentiora possemus in medium proferre. Sed, prætermissis iis, consideremus, quid eadem de re sancti Patres dixerint.

CAPVT XXI.

Confirmatur idem Sanctorum testimoniis, & ratione.

ADEO verò certa est eorum, quæ diximus, veritas, vt, si quis Principũ Christianorum ab hac via errans deflexisset, subitò sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores (vt ex illorum scriptis constat) habuerit reprehensores. Ita D. Athanasius Constantinum Imperatorem Antichristum vocat, quòd ius Ecclesiasticæ potestatis vsurpasset; asseritque eum esse abominationẽ desolationis, quam Daniel Propheta prædixit: simulque probat, Ecclesiam numquam ab Imperatoribus iudicandi auctoritatem accepisse, nec quenquam exstitisse, qui rem tam indignam Principibus persuaderet. Verba eius hîc adscribam: *Quando* (inquit) *à condito æuo auditum est, quòd iudicium Ecclesiæ auctoritatẽ suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antea Synodi*

Athan. epistola ad Sol.

Daniel 9.

fuêre;

fuêre; multa iudicia Ecclesiæ habita sunt: sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit. Neque idem Athanasius ob hoc scelus solummodo Antichristum Constantium vocat, sed & Apostatā, ac fidei desertorem, canem, carnificem, filiū perditionis, pestem, belluam, quæ ex membris humanis & animo ferino conflata est. Eundem cum Achabo, Antiocho, & Herode comparat, dicitque malorum omnium voraginem & gurgitem, omnis impietatis caput, hæreticorum seminarium & incitamentum, acerbitatis radicem, blasphemiæ propugnatorem, Religionis euersorem, dæmonum templum, Iuda proditore peiorem; denique tam perditum & profligatū, vt cum solo dæmone iure conferri posset. Hosius Cordubensis Antistes, in epistola; quam ad eundem Imperatorem dedit, sic eum admonet: *Ne te immisceas Ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipe; sed potius ea à nobis disce. Tibi Deus imperiū commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit.* Idē prorsus respondit eidem Imperatori Leontius Episcopus Tripolitanus, & postea martyr, vt auctor est Suidas, *Miror*, inquit, *quomodo ad alia vocatus, aliis rebus te immisceas. Militaribus enim & politicis rebus præfectus, in his, quæ ad solos Episcopos pertinent, præesse vis.* Valētis Imperatoris Ariani Præfectus cùm esset in vrbe Edessa, Eulogiū Sacerdotē, audiente

Ibidem.

Suidas in Verb. Leont.

Theod. li. 4. cap. 16.

populo, hortabatur vti cũ Imperatore communicaret; ad quem in hæc verba Eulogius: *Numquid Imperator cum imperio est etiam Sacerdotij dignitatem cõsecutus? habemus pastorem, cuius nutum sequamur.* D. Ambrosius in epistola ad Imperatorem Valentinianum iuniorem, qui ab Arianis deprauatus volebat de rebus Ecclesiasticis iudicare, his illum verbis perstringit: *Quid est honorificentius, quàm vt Imperator dicatur filius Ecclesiæ? Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Qui etiam vocatus ab eodem Imperatore, vt eo præsente disputaret cũ Auxentio hæretico, sic ait: *Si cõferendum est de fide, Sacerdotũ debet esse ista collatio: sicut factum est sub Constantino, Augustæ memoriæ Principe; qui nullas leges antè præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Et in epist. ad Marcellinam sororem ita loquitur: *Mandatur denique, Trade Ecclesiam. Respondeo: Nec mihi fas est tradere; nec tibi accipere, Imperator, expedit. Domũ priuati nullo potes iure temerare: domũ Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere, noli te extollere; sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptũ est: Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorẽ palatia pertinẽt, ad Sacerdotẽ Ecclesiæ: publicorũ tibi mœnium ius concessum est, non sacrorũ.* Idem non procul ab eiusdem epistolæ principio, *Conuenior,* ait, *à Comitibus & Tri-*

Ambr. epist. 32. ad Valentin.

Ambr. epist. 33. ad sororẽ.

& Tribunis vt Basilicæ fieret maturata traditio, dicentibus Imperatorẽ iure suo vti, eò quòd in potestate eius essẽt omnia. Respõdi, si à me peteret quod meũ est, id est, fundum meum, argentũ meum, ius huiusmodi meũ, me nõ refragaturum; quanquam quæ mea sunt, essent pauperũ: verùm ea quæ diuina sunt, Imperatoriæ non esse subiecta potestati. Qui etiã Theodosium Imperatorẽ iubentem denuò exstrui Iudæorum Synagogam, quam Christiani incenderant, sic alloquitur: *Certè si mihi parũ fidei defertur, iube adesse quos putaueris Episcopos: tractetur, Imperator, quid salua fide agi debeat. Si de causis pecuniarijs Comites tuos consulis, quãto magis in causa Religionis Sacerdotes Domini æquum est consulas!* Cuius etiam hęc est ad eundem Imperatorẽ sententia, *Purpuram Imperatores, non Sacerdotes efficere.* Qua discernit Sacerdotũ munus ab Imperatorũ officio. Quã differentiã optimè edoctus Theodosius, in quodam suo edicto hæc habet: *Atque adeò ita vtrumque moderamur, vt petitionem, quæ est oblata, veneremur, fidei autem nihil ex nostro arbitrio optemus vel iubeamus disiungi. Nemo vmquam tam profanæ mentis fuit, qui, cùm sequi Catholicos Doctores deberet, quid sequendum sit, Doctoribus ipse constituat.* His consonant quæ Seuerus Sulpicius in sua historia refert D. Martinum Maximo Imperatori aliquando dixisse, *Nouum esse & inauditum nefas, quòd causam Ecclesiæ Iudex sæculi iudicaret.* Cùm enim Priscillianus & eius complices à

Ambr. epist. 29.

Bar. tom. 4. anno 388.

Habetur in lib. Faustin. & Marcell. schismat.

Lib 2. in fi. Car. Sigon. lib 9. de Occident. Imper.

Bar. tom. 4. anno 385.

Synodo Burdegalensi ad Maximum Imperatorem prouocasset, ille, rebus Ecclesiasticis se immiscens, Priscillianum & alios, quos idem crimen inuoluerat, capitis damnârat. Quæ res Imperatori vitio versa est; & Ithacius, qui sontes illos accusauerat, de Episcopi dignitate deiectus. Non quòd Priscillianus & adhærentes hæretici pœnam illam nō promeruissent, sed quòd præter ius in causis Ecclesiasticis Imperator cognoscendi iudicandique potestatem vsurpasset. Sanctus Hilarius ad Cōstantium Imperatorem scribens, *Prouideat*, inquit, *& decernat clementia tua, vt omnes vbique Iudices, quibus prouinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura & solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosis se negotijs abstineant.* Lucifer Calaritanus Episcopus ad eundem Imperatorem scribens, *Quomodo*, ait, *dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis; quibus nisi obedieris, iam, quantum apud Deum, mortis pœna fueris multatus?* Similia sunt quæ habet Gregorius Nazianzenus in quadam oratione, in qua inter cætera hæc leguntur: *Vos oues nolite pascere pastores, neque super terminos eorū eleuamini. Satis enim est vobis, si rectè pascamini. Nolite iudicare Iudices, nec legē feratis Legislatoribus.* Et Principes alloquens, *Num vocem*, inquit, *suscipitis liberam, quòd Lex Christi vos meæ potestati meoque subiecit tribunali? Imperamus enim & ipsi, addo & imperio maiori & perfectiori.*

Hil. lib. ad eundem.

In tracta. de non conuen. cum hæret.

Orat. 17. ad ciues timore perculsos.

Distin. 10. Suscip.

Audite

Audite igitur vocem liberiorem, & vos oues eße gregis mei citote. Eadē prope habet Chrysost. cū ait: *Sed maneto intra tuos terminos, ò Rex: alij enim sũt termini regni, alij termini Sacerdotij. Hoc regnum illo maius est. Ille quidem ea, quæ sunt in terris, sortitus est administranda: cæterum Sacerdotij ius è supernis descendit. Regi ea, quæ hic sunt, commissa sunt; mihi cælestia. Regi corpora commissa sunt; Sacerdoti animæ. Maior hic principatus; ꝑpterea Rex caput submittit manui Sacerdotis.* Quæ causa cur in veteri Testamento sacerdotes Reges vngebant: in nouo. *Imperia à Sacerdotibus dantur, non vsurpantur*; vt ait Ambrosius. Sanctus Gregorius Pontifex Maximus scribens ad Episcopum Salonensem simonia infamem, & de grauissimis quibusque vitiis accusatum, iubet illum Romam venire, vt causa eius accuratiùs examinata iudicetur. Cùm verò excusationis & itineris loco obtenderet Imperatores qui in Illyrico, vbi agebat, causam examinari iusserant, his verbis respōdit: *Quod verò indicas Serenißimos Dominos, vt illic debeat eße cognitio, præcepiße: nos quidem nullas eorum alias de hac re, nisi vt ad nos venire debeas, iußiones accepimus. Sed etsi forsitan pro reipublicæ suæ vtilitate, quæ diuina sibi largitate concessa est. multa cogitantibus, & in diuersis solicitudinibus occupatis suggestum est, & eorum iußio per obreptionem elicita: postquam & nobis & omnibus notum est piißimos Dominos disciplinam diligere, & ordinem seruare, canones vereri;*

Chysost. d Verb. Isaiæ hom. 4.

Greg. lib. 5. epist. 25.

vereri, & in caussis sacerdotalibus se non miscere; instanter exsequimur, quod & illorum iuuat animam atque rempublicam, & ad quod nos terribilis tremendiq́ue Iudicis respectus impellit. Quibus mirificè consentit, quod sapienter à Ioanne Damasceno animaduersum est: Apostolum Paulum, dũ varios gradus in republica Ecclesiastica diuinitus cõstitutos enumerat, quorũ primum tenent Apostoli, reliquos Prophetæ, Euangelistæ, & alij deinceps, in nullo siue primo siue postremo, Reges ac Principes collocasse. non quod existimaret nullã Principibus obseruãtiam deberi, cùm alibi apertè doceat debitâ reuerentiâ & obedientiâ illis parendum esse; sed vt ostenderet Regum non esse, res diuinas administrare, sed humana maximè p ocurare.

Orat. 2. pro Imagin.

1. Cor 12. & Ephes. 4.

Hebr. 13.

Quod hactenus testimonis, auctoritatibus, & exemplis comprobauimus, argumentis & rationibus adstruamus. Certum est optimis philosophiæ Magistris, nulli rei plus virium aut potestatis ad agẽdum inesse, quã à suis caussis acceperit: cum verò administrationis quæ sæcularibus, quos dicimus, Principibus demandata est, caussæ sint humanæ & naturales: (efficiens enim gubernationis caussa vox est & liberum populi suffragium, finis autem pax & reipub. tranquillitas) necessariò consequitur, Principes potestatem suam extendere non posse ad res spiritales & diuinas, quod hæ Regum potestatem, quæ

ex

ex causis inferioribus pendent, plurimum excedant. Eam ob rem Princeps Apostolorum Petrus hanc potestatem creaturam aut creationē appellat, cū ait: *Subditi estote omni humanæ creaturæ*, vel (vt alii legunt) *creationi*, hoc est, hominum consensu & consuetudine institutæ. Quare quāplures videmus Reges, qui tametsi Gentiles sint, & à fide Christiana alieni, nihilominùs tamen veri sunt & legitimi Reges. nam Rex, quâ Rex est, non ita pēdet ab Ecclesia, vt ab ea diuulsus Rex omnino esse non possit: etiamsi Christianus Rex à Christo, cui nomen dedit, dependeat. Deinde cognitio & mentis lumen ad res infimas & huius æui rectè administrandas, multum differt ab eo quod ad cælestes & spiritales aptè procurandas requiritur. Rerum enim tēpori subiectarum procuratio, humanæ prudentiæ lucisq; præsidio nititur; sempiternarum ac diuinarū administratio, præstantioris cuiusdā & è cælo ductæ lucis subsidia postulat. & quamquam hæc vtraque lux à luminum Patre descendat, vna tamen ab altera longè diuersa est & seiuncta. Deus enim tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus Principibus lucem eam communicat, quam cuique traditum munus officiumque deposcit; profanis & huius sæculi Principibus lux & prudētia humana, vt regna commissa tranquillè ac quietè administrent, (quem ad scopū regnorū gubernatio dirigitur) datur; Ecclesiæ Pastoribus

1. Pet 2.

ribus diuersa & multis gradibus superior infunditur, vt ea collustrati sacras Scripturas intelligant, retrusa & abdita penitus Christianæ fidei mysteria penetrent, reconditas & difficiles de rebus diuinis quæstiones expediant, ouium suarum mentes cælestibus radiis illustrent, illisque à criminibus absolutis ducentem ad cœlum viam commonstrent, & ad diuinæ gratiæ iustitiæque dona rite suscipienda (qui salutis nostræ sunt fructus) diponant. Qua si destituantur, oues curæ suæ cõmissas, nec bene pascẽt; neq; Ecclesia certa erit, sibi semper diuinum adesse præsidium: quod tamen vsque ad sæculi consummationem suis promisit Deus. Cùm verò absque hoc lumine publica & ciuilis res administrari possit, Deus in Principum sæcularium animos id nõ infundit. Nam vt in humano corpore varia diuersaque sunt membra, neque eundem actum & officium habent, sic in Ecclesia plurimę sunt officiorum graduumque dissimilitudines, vt testatur Apostolus; & vnicuique conuenienter muneri, quod exercet, sua dona largiatur Deus. De hoc argumento inter cæteros grauiter & eruditè disputat Thomas Stapletonus, Theologus Anglus, libro quinto controuersiarum, cõtrou. 11: de principiis fidei.

Rom. 12.
1. Cor. 12.

(:)

Ca.

CAPVT. XXII.

Cur Principes seculares, cùm Ecclesiæ iudices non sint, leges tamen ferant quæ ad eam pertinent.

QVOD si quis ex me quærat cum Imperatores, Reges, & Principes quos seculares dicimus, cum rebus simpliciter Ecclesiasticis se implicare non possint, vt hactenus ostendimus, leges tamen ferant, & decreta fecerint, quæ ad Sacerdotes, Religiosos homines, Ecclesias, & Monasteria pertinerent; vt in Theodosij & Iustiniani Codice, multorum Principum Nouellis & Constitutionibus, Gallorũ sanctionibus, Hispanorum partitis, vt vocant, licet animaduertere: (hæc enim in specie inter se pugnare videntur, non esse Principibus potestatem in sacra, & eosdem de rebus Ecclesiasticis leges concedere) huic respondebo quod Magnus Constantinus olim Episcopis dixit: *Vos Episcopi intra Ecclesiam, ergo extra Ecclesiam Episcopus constitutus sum.* Quibus verbis significasse atque annuisse visus est, Præpositorum Ecclesiæ proprium esse, iudicium ferre, definire ac decernere quid credendum sit, quidve faciendum in iis quæ fidem quæque personas ac res Ecclesiasticas attingunt; quibus in rebus Princeps sæcularis nec suffragium habet,

Eusebius de Vita Const. lib 2.c.26.

nec

nec diiudicandi potestatem, vt abunde antea declaratum est posse tamē, ac debere iis, quæ sacri Antistites decreuerint & statuerint, adiumentum adferre, auctoritate fulcire, & summa seueritate propositis etiam pœnis cauere ne à quoquam vlla ratione violentur; repugnantes verò etiam exquisitis suppliciis afficere: qua ratione suo quodam modo Episcopus extra Ecclesiam dici possit, cū prouideat & curet vt Ecclesiæ leges ac decreta diligentissimè seruentur. Atq; vt meliùs intelligatur prædictos Principes nullas leges & decreta aduersus Ecclesiam, sed pro Ecclesia statuere, neq; vmquam propositum sibi habuisse vt in edictis ferendis modum rationemque iudicandi ac discernendi Episcopis præscriberent, sed vt à Pontificibus decreta, ne quis ab eis discederet, protegerent, prudenter admodum in eisdem constitutionibus & decretis, quò tendant. designant. Nam aliquando (vt optimè annotauit Anastasius Germonius) dicunt, ea, quæ præcipiunt, cōformia esse sacris canonibus, & sanctorum Patrum sanctionibus; subinde, esse secūdùm præceptum Apostoli; nonnumquam, esse iuxta sacras vel Ecclesiasticas regulas, formam canonicam, vel sanctorum canonum instituta Neque sanè Principes ad eas leges ferendas cogitationes suas adiecissent, quemadmodum ex Carthaginensi quinto & Africano Conciliis intelligimus, nisi illos ad hanc pro-

Anast. Ger. de sacr. immun lib 2. c. 1. & 11.
L. 1. Cod. de sum. Trinit. & fide Cathol.
Lib. 9. Cod. de Episcopis & Clericis.
Nouel 123. §. omnibus.
L. 3 tit.

prouinciam suscipiendam Pontifices ipsi & eorum conuentus solicitando impulissent. Quamobrem Valentinianus & Marcianus Imperatores ad Palladium Præfectum scripsêre, omnes principales constitutiones, omnes pragmaticas sanctiones, quæ contra Ecclesiasticos canones elicitæ sunt, suo robore ac firmitate penitus carere. Nec modo eiusmodi decreta, sed etiã quæcumq; statuta & consuetudines quæ cum Ecclesiæ libertate pugnarent, iussit Fredericus Imperator ipso iure nullas esse. Ex quibus satis superque probatum est, Regum Christianorum de quibus nobis est sermo partes esse, vt Ecclesiæ Catholicæ salutem tueantur & defendãt, à sacris inspiciendis abstineant, de cõtrouersiis Ecclesiasticis decernendi nequaquam sibi auctoritatem sumant: quos enim Deus Ecclesiæ suæ Pastores ac Magistros præfecit, eisdem Ecclesiasticas res credidit, & integrum iudicium reseruauit. Verùm priusquã propositæ rei finem imponam, commone faciendos putaui Principes Christianos & pios de re permagni momenti & ponderis: nimirum si quando, vt suo ergo DEVM ac Religionem officio satisfaciant, ad res Ecclesiasticas non decernendas vel iudicandas, sed iuuandas promouendasque, manum applicent, solicitè videant quibus illa Ecclesiæ negotia exsequenda committant. Contingit enim plerumque vt sancta & pura sit

4. cap. 18. leg Visigot. Conc Carthag. 5. c 8 Afric c. 28. L. 12. Cod de sac. Eccl.

Auth Cass. Cod eodem. Sigon. l 12. de Occident. Imper.

Principis intentio, quam tamen ministri deprauent, & in alium finem referant, & ita se gerant, vt, qui eorum facta consideret, putet aquam in suo fonte cænosam ac minimè puram esse, quod videat eam infectam quasi colore terrarum per quas decurrit, turbidam fluere ac lutulentam. Quod quidem exemplo, quod mox subiiciam, fiet manifestum. Theodosius Minor mira fuit religione ac pietate Princeps, ac diuino cultui tantopere deditus, vt propitio ac fauente Deo supra fidem ingentes aduersariorum copias fuderit ac profligârit, insignesque victorias reportarit. Itaque Christiani illius precationibus ac meritis potissimùm acceptas retulerunt res nonnullas, quæ sub eo memoria dignæ, Numinis indulgentia ac benignitate nobiles, contigerunt. Hoc Imperatore Nestorij Patriarchæ Constantinopolitani hæresis exorta est, qui pertinaciter negabat virginem Mariam Θεοτόκον, hoc est, Deiparam, dicendam esse: ex qua magnæ confestim per omnes Ecclesias concitatę sunt tragœdię & turbæ, quibus sedandis atque tollendis curauit Theodosius Imperator œcumeniam ac generalem Synodum Ephesi congregari, in qua sanctus Cyrillus Alexandrinus, cui summus Pontifex Cælestinus suas partes demandarat, aliique Sedis Apostolicæ Legati præsidebant. Huic sanctissimo ac generali Concilio (quod vnum est è quatuor illis, quæ sicut quatuor Euan-

Bar. tom. 5 anno 431.

Euangelia ſanctus Gregorius venerabatur) qui ſuo nomine intereſſet, Candidianum, nobilitate præcipua virum, adeſſe voluit; dato præcepto ne ſe rebus Eccleſiaſticis implicaret, ſed, facta Epiſcopis libera poteſtate ſtatuendi quæ vellent, eos omni fauore ac obſequio proſequeretur; vt liberè pacatèque decernerent quidquid afflante Spiritu ſancto Chriſtianæ reipub. commodius eſſe iudicaſſent. In hac ſanctiſſima Synodo damnatus ac anathemate percuſſus Neſtorius, ab officio ac dignitate Antiſtitis depulſus fuit. Sed is cum paucis Epiſcopis, qui illi in eadem impietate adhærebant, nullas non admouerunt machinas, doloſque & fraudes attentarunt. (qui hæreticorum mos eſt) quibus Candidianum ad ſe pertraherent, & factionis ſuæ defenſorem ac patronum haberent; cuius ope & maleuolentia Theodoſium de rebus in Concilio geſtis doloſè ac malitioſè, aliter quàm res erat, edocuerunt, &, quò viſum fuit, facilè pertraxerunt, egeruntque ne Catholicorum Antiſtitum epiſtolas Imperator à quoquam acciperet, nec de re tota certior redderetur. Pius Imperator cùm mendaces ac fraudulentos nuntios accepiſſet, indoluit grauiter; cupiduſque rei veriùs & pleniùs cognoſcendæ, alium quendam, qui de rebus Epheſini Concilij exploratè cognitis ad eum perſcriberet ſumma cum auctoritate legauit. Peior fuit priore poſterior Orator: nam,

vbi Ephesum attigit, in Candidiani partes abreptus Nestorio fauit; litteras ad Imperatorem datas sexcentis mendaciis refersit; Cyrillum Alexandrinum Antistitem, Apostolicæ Sedis Legatum, in vincula coniecit; Episcopis, qui finito Concilio regressum in suas Sedes parabant, ne è ciuitate pedem efferrēt edixit. Denique vt omnia contraham, etsi Theodosius pius admodum erat Princeps, & Religionis perstudiosus; ea tamen fuit hęreticorum calliditas, & ministrorum ab Imperatore legatorum perfidia, vt sacrosancta Synodus quasi custodiæ mancipata tamdiu Ephesi detineretur, quoad Imperator, retota accuratiùs explorata, potestatem fecit Episcopis ex vrbe decedendi, iussitque decreta Synodi diligenter seruari. Nestorium aliosque complices & erroris fautores castigari; administros, quibus in fraudem inductus fuerat, dignitatis honoribus abdicatos, & in ordinem redactos, supplicio puniri plectiq; mandauit, vt ex temporis illius historiis Ecclesiasticis, & Apologia B. Cyrilli, atque ex actis Ephesini Concilij à Baronio in suos Annales adscriptis manifestum est. Quę in hunc idcirco locum inserui, vt patefierent artes & fraudes hæreticis admodum notæ ac familiares, crimina, quibus ipsi tenentur, in Iudices suos conferētibus; & vt intelligatur quāta Principi cautio sit adhibenda in rerum sacrarum procuratione, quanta prouisio, ne quibus

Bar. tom. 5. anno Theod. 24. Christi verò 432.

quibus non oportet illas commendet. Sed vt ad id, vnde sumus digressi, reuertamur, quæ sunt inchoata persequamur; & probemus fieri non posse, vt firmo societatis fœdere cum hæreticis Catholici coëant, & in vnius reipublicæ corpus tranquillum pacatumque conueniant.

CAPVT. XXIII.

Fieri non posse, vt in eadem republica firma societate Catholici cum hæreticis coniungantur.

SANCTA & augusta, quam colimus, Religio persimilis est Reginæ singularis pulchritudinis, eximiæque maiestatis, è cælo delapsa, quæ nihil fœditate deforme, nihil opinione disiunctum, nihil nisi cæleste prorsusque diuinum admittit, vt ante declaratum atque confirmatum est. Itaque quemadmodum inter corporis membra vnicum caput est, inter planetas & inerrantes septem stellas Sol vnus, vnica singulis corporibus mouendis ac regendis anima data est, Rex vnus in regno, in exercitu militariter instructo vnus est Imperator, vnus denique Deus qui hanc rerum vniuersitatē administrat: ita fieri non potest, vt in hoc spirituali mundo, quæ est Ecclesia, sit alia atque alia fides, sed vna est Religio, qua tamquam necessitudine quadam consuetudinis & amoris, vt Rebecca, cum suo Isaac, Rachel cum Iacobo, Regina

cum Rege, Ecclesia cum Christo coniungi-
tur. Quis ergo cum hac Regina virgineque
castissima turpissimum ac infame scortum
(cuiusmodi est hæresis) copulet? Quis in ea-
dem acerra sacrum ac profanum ignem offe-
Leuit.10. rat? Quis in eadem ara & ædicula arcam Dei
1.Reg.5. & idolum Dagon collocet? Christum & An-
3.Reg.18. tichristum societ? Si Christus Deus est, cur
Baalem sequimur? Si Baal Deus, cur Christũ
Tertul.de amplectimur ac confitemur? *Non bene conue-*
cor.mil. *uit*, vt cum Tertulliano loquar, *signo Christi &*
signo diaboli, castris lucis & castris tenebrarum;
nõ potest vna anima duobus deberi: & (vt dicit D.
Cyprian. de Cyprianus) *cohærere non potest amaritudo cum*
Vnit. Eccles. *dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum sereni-*
tate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas,
cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempe-
Genes.4. *stas*. Qui iustitiam & sanctitatem Abelis factis
vult exprimere, oportet illum à Caini, etsi
frater est, consortio diuelli. Qui saluti suæ
Genes.19. cupit consultum, cum Lot à Sodomitis rece-
Genes.21. dat; vt Isaac cum Ismaële non ludat; sicut Ia-
Genes.27. cob Esau fugiat; &, vt tyrannidem Pharaonis
Exod. 13. durumque iugum seruitutis Ægyptiacæ po-
& 14. pulum opprimentis euadat, Ægyptium cum
Israële deserat. In eos enim qui hæc caue-
rint, verè conueniet benedictio quam tribui
Leuitarum Moyses largitus est, & his verbis
Deu.33. in Deuteronomio refertur: *Qui dixit patri*
& matri suæ, Nescio vos; & fratribus suis, Igno-
ro illos; & nescierunt filios suos; hi custodierunt
elo-

eloquium tuum ; & pactum tuum seruauerunt.
Verissimè proinde dictum est ab Ambro-
sio in epistola ad Valentinianum, Impera- *Epist.* 31.
torem. *Præsentior est qui se animis inserit, quàm*
qui oculis protestatur : plus enim est menti conne-
cti, quam corpore copulari. Simul atque Israëlis *Deuter.* 7.
populus ex Ægypto pedem extulit, præceptũ & 31.
est illi à Deo ne cum Chananæis, Iebusæis, &
Amorrhæis esset vllius contubernij aut ma-
trimonij communio; ne cum hominibus à
fide alienis pacem iniret, sed perpetuo bello
lacesseret, eorũ oppida euerteret, vrbes solo
æquaret, falsos Prophetas morte de medio
tolleret : vt his nos doceret Deus quantum
odisse Christi hostes, quantum à Religionis
nostræ aduersariis abhorrere debeamus. Ni-
hil enim (vt diximus) commercij est Deo
cum Satana, nihil Christo cum Belial, fideli 2.*Cor.*6.
cum infideli. Nemo potest bibere calicem *Matth.* 12.
Christi & dęmoniorum: nam, vt dixit Chri-
stus, *Qui non est mecum, contra me est; & qui non*
congregat mecum, spargit. Propterea Iehu dice- 2.*Par.*19.
bat Regi Iosaphat: *Impio præbes auxilium, &*
his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: id-
circo iram Dei merebaris. quam senserũt Ama- 2.*Par.*16.
sias & Asa ob eiusmodi sacrilegas coniuncti- & 25.
ones. Vt enim ait Cyrillus Patriarcha Ieroso-
lymitanus *Amicitia cum serpente, cum Deo ini-*
micitia est. Ad hanc rem maximè facit, quod
à Nicephro de S. Glyceriæ martyris sacris os- *Libro* 18.
sibus proditũ est. Narrat enim auctor, ex eius *cap.*32.

corpore pretioſiſſimum vnguentum tamquam ex iugi& perenni fonte manare ſolitū; Antiſtitem verò eius loci Perinthium peluim argenteam Byzantij comparaſſe, quam, ob reuerentiam ſacri liquoris, ſublato vaſe æreo, repoſuerit cultui diuinitus manantis vnguēti maximè conuenire arbitratus: ignorabat enim in eo deteſtandum cruorem exceptum, quem incantator & magus in vſus incantationum ac veneficiorum adhibuiſſet: quo facto, riuum vnguenti conſtitiſſe. (Deus enim tantum piaculum deteſtatus gratiam & donum cohibuit, haudquaquam fas eſſe iudicans vt immundo mundum coniungeretur) latentem cauſam grauiter tuliſſe Epiſcopum, & ad lacrymas ac preces conuerſum, ea diuinitus patefacta, ſubduxiſſe argenteum vaſculum, & prius illud æreum quaſi virginē & immaculatum miniſtrum reſtituiſſe; & ecce tibi denuo vnguentum curſum ſuum tenens ſcaturiſſe & exundaſſe. Grauiter & eruditè dixit Marſilius Ficinus ſuis in Platonem argumentis: *Ad impietatem etiam pertinet familiaritas & communicatio omnis ſeu in cibis ſeu verbis cū iis inita, qui ob nefaria ſcelera arcentur à ſacris; qui & contaminati, cæteros quoque vel ipſa propinquitate contaminant.* Tanta enim (vt D. Cypriani, ſolerter hanc rem obſeruantis verbis vtar) *indignatio Domini exſtitit aduerſus illos qui ſchiſma fecerant, vt etiam cum homo Dei ad Ieroboam miſſus eſſet, qui ei peccata ſua exprobraret,*

Marsil. in argumento Dial. 10. de legibus

Cyprianus epiſt. 76.

braret, atque vltionem futuram prædiceret, panē quoque apud illos edere & aquam bibere vetaretur: quod cùm non custodisset, & contra preceptū Dei prādisset, statim diuinæ censuræ vltione percussus est; vt inde digrediēs, à leone in itinere necaretur. D. Ambrosius in Epistola ad Vigilium Tridentinum Antistitē & gloriosum martyrē, in qua docet quæ probi pastoris sint partes, admonet in primis vitandum diligenter ne fiat veluti cōmune corpus Ecclesiæ Gentiliū admistione. Gregorius Nazianz. Nectarium, suum in Sede Constantinopolitana successorem culpauit, quòd hæreticos ea in ciuitate permitteret. D. Chrysostomum è Pōtificia dignitate deturbandi inde ansam occasionemque sumpserunt eius aduersarij, quod dicerent eum in Origene damnando remissiorem, & in libris eius prohibēdis tardiorē fuisse. Poteftne, qui in sinu serpentem gestat, ab eius morsibus non vlcerari? aut qui picem tangit, vt cum sacra Scriptura loquar, non inquinari? aut qui hominem noxia peste laborantem ad eandem mensam, ad idem cubiculum admittit, à morbi contagione se eximere? An forte maiores inimicitiæ innatæ sunt lupis cum agnis, quàm quæ inter Catholicos & hæreticos intercedāt oportet? Prȩclare proinde Petrus Venerabilis: *Quo vultu* (inquit) *qua conscientia ad altare Saluatoris accedere, qua frōte ad colloquia piæ Matris ipsius venire tentabo, cū blasphemis hostibus eius blāditus fuero?*

Amb epist. 24. lib. 3. edit Rom. lib. 9. ep. 70. edit. com.

Nazianz. Orat. 46.

Eccli. 13.

Petrus Vener lib. 2. de miracul. cap. 15.

Ioseph. Antiquit.

fuero? Iudæi principio amicitias cum Assyriis iunxerunt; sensimque consuetudine & decursu temporis factum est, vt eorum mores doctrinamque sequerentur, atq; in eius sceleris vltionem, Deo permittente, ab illis ipsis, quos sibi familiares & amicos fecerant, ea Iudæis inferretur pernicies, quam sanctissimi Vates, futuri supplicij timore permoti, multo antè tempore prædixerant. Arius in vrbe Alexandrina necessitudine contubernij & ficta pietatis simulatione septingentas virgines voto castitatis Deo obstrictas circumuenit, & hæreticæ impietatis veneno infecit: quæ, ne puellas alias societate sua contaminarent, cum Ario (vt testis est Epiphanius) è ciuitate sunt eiectæ. Quin & omnia sacra Concilia seueris legibus cauent ne cum hæreticis oremus ac psallamus, ne cibum cũ eis capiamus, ne affinitatem ineamns, nec aliarum rerum cum illis nobis vlla prorsus communitas intercedat. Fabianus Papa in epistola ad omnes Orientales Episcopos. *Manifestum est*, inquit, *quod hi extra nos sunt, & à nobis discreti esse debent, cum quibus nos nec edere, nec cibũ sumere licèt.* Legibus ciuilibus prohibetur ne hæreticus ad testimonium admittatur, nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionem accedat, nec publicis muneribus fungi possit, vt liquet ex codice Theodosij & Iustiniano. Cõstantinus etiã Imperator legem tulit, quæ sic

Epiphanius hæresi. 69.

Fab. in epistol. ad Episcop. Orient.

Videatur Simanc. in Cath. inst tit. 23. 31. 46.

C. Theod. tit. de hær.

sic habet: *Priuilegia quæ contemplatione Reli-* *libro 16. &*
gionis indulta sunt, Catholicæ tantùm legis obser- *Iustin. ti. eo.*
uatoribus prodesse oportet: hæreticos autem, atque schismaticos, non tantùm ab his priuilegijs alienos esse volumus, sed etiam diuersis oneribus constrin-
gi & subijci. Et in quodam aduersus hæreti- *Euseb. l. 3. c.*
cos edicto sic ipsos alloquitur. *O veritatis ini-* *61 & 62. de*
mici, hostes vitæ, internecionis auctores & consi- *vita Const.*
liarij, omnia apud vos veritati contraria, turpibus consentientia, maleficijs, ineptijs, & commenticijs fabulis exsultantia, quibus certè mendacia struitis, premitis insontes, fidelibus veritatis lucem denegatis. Nam falsa visione & specie pietatis semper delinquentes, omnia contagione vestra contaminatis, conscientias integras & labe vacuas lethalibus plagis vulneratis, ipsum diem pæne dixerim hominum oculis adimitis. Quo etiam in loco cùm plura in eos scripsisset Imperator, tandem sic edicit: *Sit igitur hoc ratum statutumq́;, vt post hunc diem nullo in loco, vel publico, vel priuato, nefarij vestri conuentus in vnum coire au-*
deant. Gratianus, Valentinianus, & Theodo- *C. Theod. l.*
sius Augusti, adictũ ad populum vrbis Con- *16. tit. 1. de*
stantinopolitanæ in hæc verba promulgâ- *fid. Cathol.*
runt: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus Religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio vsque nunc ab ipso insinuata declarat, quamq́; Pontificem Damasum sequi claret; & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis.* ac paulò pòst: *Hanc legem*

ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti; reliquos verò dementes veſanosq́; iudicantes, hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere: nec concionabula eorum nomen accipere, diuinâ primùm vindictâ, pòſt etiam motus noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, vltione plectendos. Iuſtinianus etiam lege edita omnes hæreticos ac paganos de finibus totius Imperij iuſſit expelli, niſi intra tres mēſes Chriſtianam fidem complecterentur. Honorius & Arcadius Imperatores legem tulerunt in Manichæos & Donatiſtas hæreticos, in qua hæc habentur: *Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus ſit commune cum cæteris. Ac primùm quidem volumus eſſe publicum crimen; quia quod in Religione diuina committitur, in omnium fertur iniuriam. quos bonorum etiam publicatione perſequimur: quæ tamen cedere iubemus proximis quibuſcumque perſonis; ita vt adſcendentium, vel deſcendentium, vel venientium ex latere cognatorum vſque ad ſecundum gradum velut in ſucceſſionibus ordo ſeruetur. Ipſos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate & ſucceſſione quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, nō emendi, nō vendēdi, non poſtremò contrahendi cuiq; cōuicto relinquimus facultatem. In mortē quoque inquiſitio tendit. Nam ſi in criminibus Maieſtatis licet memoriā accuſare defuncti, non immeritò & hic debet ſubire iudicium. Ergo & ſuprema illius ſcriptura irrita ſit voluntatis, qui aut Manichæus, aut Phryga, aut Priſcillia-*

C. Theod. l. 16. tit 5 de hæret l. 40.

ſcillia-

ſcillianiſta fuiſſe conuincitur. Hoc quoque caſu eadem illa circa gradus ſuperiùs comprehenſos conditione ſeruatur: alioquin nec filios exſiſtere aut adire permittimus, niſi à paterna prauitate diſceſſerint. & in lege ſexageſima quarta Theodoſius & Valentinianus ſic habent: *Manichæos hæreticos, ſiue ſchiſmaticos, omnemq́; ſectam Catholicis inimicam, ab ipſo adſpectu vrbium diuerſarum exterminari præcipimus, vt nec præſentia criminoſorum contagione fœdentur.* & lege ſexageſima quinta, de hæreticis loquentes, ſtatuunt, vt nuſquam in Romano ſolo cõueniendi orandiq́; habeant facultatem: *Quoniam*, inquiunt, *nihil his relinquendum loci eſt, in quo etiam ipſis elementis fiat iniuria.* & lege quadrageſima ſecunda, eodẽ Codice, ſic Honorius & Theodoſius loquuntur: *Qui Catholicæ ſectæ ſunt inimici, intra patriam militare prohibemus. Nullus nobis ſit aliqua ratione coniunctus, qui à nobis fide & Religione diſcordat.* Ex Conciliis Toletanis, (quemadmodum ſuprà cõmemorauimus) certum eſt, decretum fuiſſe, vt, quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortiretur apicem, non antè conſcenderet regiam ſedem, quàm inter reliqua ſacramento polliceretur nullum ſe non Catholicum permiſſurum in ſuo regno degere; ſed armis hæreticos perſequeretur, qui pacem Eccleſiæ perturbarent. Quæ cùm ita ſint; quî fieri poterit, vt in eadem Republica cum Catholicis quietam & tranquillam vitam degant, quos leges omnes

Bar. tomo 5. anno. 408.

Conc. Tolet. 6. ca 3. & 8. cap. 20.

omnes

omnes diuinæ pariter atq; humanæ damnãt, & procul exterminandos volunt?

CAPVT XXIV.
Idem probatur testimonijs & exemplis sanctorum Patrum.

EXplicari facilè non potest, quantopere sancti Patres commendent odium, quo veri Catholici in hæreticos ferri debent; curam verò & diligentiam, quæ in eisdem declinandis fugiendisque adhibenda est, deposcant; & quæ ipsimet egerint, vt exemplo suo, quid hac in re faciendum esset, posteros docerent. Sanctissimi martyres Alexander & Caius, cùm ob fidem capite damnati ad supplicium raperentur, summi beneficij loco duxerunt, si à carnificibus impetrassent, ne cum Marcionistis hæreticis, quos eadẽ mortis sententia implicârat, sed separatim plecterentur; vt sanguis fidus & innocens cum

Canon. 45. Apostol. infido & impio non misceretur. Quadragesimusquintus Apostolorum Canon præcipit vt Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui cum hæreticis vel solùm comprecatus fuerit, segregetur; sin autẽ eis tanquã Clericis aliquid operari permiserit, deponatur.

Clem. Rom. lib. 6. cap 13. 18 & 26. S. Clemens Romanus, Petri Apostolorum Principis auditor & discipulus, à communione & commercio cum hæreticis Catholicos absterret. D. Cyprianus epistola ad Cornelium Papam in hanc scribit sententiam:

Cypr in epistol. ad Cornel. Pap.

Decli-

Declinent autem de cætero fortiter, & euitent dilectissimi fratres nostri verba & colloquia eorum, quorum sermo vt cancer serpit: ac paucis interiectis, *Nulla*, ait, *cum talibus commercia copulentur, nulla cum malis conuiuia vel colloquia misceantur; simusq; ab eis tam separati, quàm sunt illi de Ecclesia profugi*: & libro de vnitate Ecclesiæ: *Vos autem* (inquit) *cauete* (*Ecce prædixi vobis*) *omnia: vitate, quæso, eiusmodi homines, & à latere atq; auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete.* Quin & Lucifer Episcopus Calaritanus libro quem ad Constantium Imperatorem de hac materia scripsit, probans Catholicos cum hæreticis non debere conuenire, *Quomodo*, ait, *potueramus nos, cùm simus serui Dei, vos verò serui diaboli, in vnum conuenire? quando sic inter nos & vos separatum esse voluit Deus, quomodo inter lumen & tenebras, inter vitam & mortem, inter dulce & amarum; quomodo inter sanctos Angelos Dei, qui sunt semper clementiam eius magnificantes, & inter illos apostatas, quos in æternum tecum visurus eris, torqueri, nisi temet eripueris ab eis.* Diuus etiam Hilarius in Arianos scribens, à quibus monebatur, vt cum Auxentio Episcopo hæretico communicaret, *Mihi certè*, ait, *ille nunquam aliud quàm diabolus erit, quia Arianus est.* Consonant his eiusmodi S. Augustini verba: *Omnis Catholicus illam partem detestatur, cui Ecclesiam vniuersalem, Apostolicis Sedibus roboratam, non communicare cognoscit: ij ergo repellendi sunt,*

Cypr. lib. de Vnit. Eccles.

Lucifer Calar. in lib de non conuen. cum hæret.

Hilar Orat. cont. Arian.

C. Schisma 24. q. 1.

sunt, quia se ab vniuersali Ecclesia diuiserunt: non habemus partem cum ijs, qui faciunt partem. Et sanè tantum fuit Catholicorum in hæreticos odium, vt ne nomen quidē Christiani cum iis vellent habere commune. Itaque cùm nouis semper accessionibus hæreses olim in Ecclesia cœpissent augeri, seque hæretici Christianos insolenter appellarent; puri & integri Christiani, vt ne in nominis quidem societate cum hæreticis conuenirent, Catholicos se nominarunt. cumque quidam ex hæreticis, vt incautos meliùs deciperent, in hoc etiam nomen fraudulenter inuasissent, Orthodoxos se nuncupârunt. Nec mirum: nam, vt ait D. Cyprianus, *hæreticus sic se Christianum profitetur, quomodo & Christum diabolus persæpe mentitur. Sicut verò ille Christus non est, quamuis fallat in nomine illius: ita nec Christianus videri potest, qui non permanet in Euangelij eius & fidei veritate.* Quo ex capite verba illa Chrysostomi: *Arianus es, ergo diabolus es.* Vbi etiam probat, hæreticos Gentilibus esse peiores: quoniam Gentiles per ignorantiam Christum blasphemant, hæretici verò scientes veritatem insectantur. Hoc etiam ex genere procedit, quod S. Ambrosius hæreticos detestabiliores Iudæis, qui carnem Christi crucifixerunt, arbitretur. Et Tertullianus inter hæreticos & Paganos magnum vult esse discrimen, quòd pagani non credendo credant, hæretici autem credendo non credant.

Pacian. epistola ad Symphr.

De Vnitate Eccles.

Chrysost. in Matth. c. 12. homil. 30.

Ambr. de fide. lib. 3. c. 3.

Tert. lib. de patient.

Quo

Quo dicto significat, Gentiles, etiamsi non adhibeant fidem iis, quæ docet Ecclesia, credere tamen nonnulla, quæ lux & ratio à natura mentibus insita illis patefacit; hæreticos verò auctoritatem nullam tribuere iis mysteriis, quæ sancta mater Ecclesia proponit, sed fideles se inani nominis iactatione mentiri. Quod ipsum docet D. Augustinus in libris de ciuitate Dei his verbis: *Peior vtique desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille, qui non deseruit, quam nunquam tenuit.* Quorum auctoritate nixus D. Thomas, definiuit infidelitatem Christiani, qui per hæresim ab Ecclesia se præscidit, deteriorem esse Iudæi, vel Pagani. S. Ignatius, B. Ioannis discipulus, plurimum Ephesios laudat, quòd hæreticis quibusdam peregrinantibus ac transitum per vrbem petentibus denegassent. Cùm Paphnutius Maximum Episcopum, simplicitate quadam animi ignarum quid ageret, inter hæreticos versari & considere vidisset, ad eum accessit, & manu apprehensum his verbis castigauit: *Non patiar Episcopum adeò venerandum in cathedra pestilentiæ sedere, & cum impuris hæreticis ne verbo quidem communicare.* Alexander Episcopus Alexandrinus Arium de hæresi damnauit; scripsitque epistolam, qua Catholicos omnes monet, vt ab eo tanquam à peste sibi cauerent, in qua hæc verba habentur: *Nam par est, vt nos, qui sumus Christiani,*

Lib. 1. c. 25.

S. Thomas 2. 2 q 10. artic. 6.

Ignat. ep 14.

Sozom l. 2. cap. 24.

Socrat. lib. 1. cap 3.

Baron to. 3. anno 318.

stiani, omnes qui contra Christum loquantur, animoq; sint ab eo alienato, tamquam Dei hostes, & corruptores animorum. deuitemus; neque id genus hominibus (sicut præcipit B. Ionnes) vel Aue dicamus, ne quando illorum peccatis communicemus. Athanasius Ecclesiæ Doctor sanctissimus, & dux inuictissimus, grauissima ab Arianis incommoda passus est, multisque persecutionum procellis & tempestatibus agitatus, quòd nunquam induci potuerit, vt cũ illis societatem iniret: idemque scribit, Alexandrinos ciues maluisse acerbiorem vitam inter pericula traducere, & à peccatis nõ absolutos è viuis exire, quàm in obeundis sacris mysteriis ministerio Arianorum Sacerdotum vti: quorum etiam nõnullos, cùm ea de causa verberibus cæderentur, hæc dixisse: *Vos certè potestis nos pro vestro arbitratu flagris cædere, at immortalis Deus Iudex erit.* Refert etiam, Antonium Abbatem, cùm proximus esset morti, hoc salutare præceptum discipulis suis dedisse: *Hæreticorum & schismaticorum venena vetate, meumq; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quòd nullus mihi nec pacificus sermo cum eis vmquam fuerit.* Cum hoc Athanasio Marcellus Ancyræ Episcopus grauissima quæque ab Arianis perpessus est, quòd neque eorum decretis consentiret, neque de Ario in Ecclesiam admittendo cõcederet, neque consecrationi Templi Hierosolymis à Constantino sumptuosè ædificati interesse vellet:

Ioan. epist. 2.

Epistola ad solit.

In Vita S. Antonij.

vellet: ne hac occaſione cum eis communicaſſe videretur; vt ſcribit Sozomenus. Certum eſt., olim in Africa deſertam ciuitatem, ne hæreticum ſibi præpoſitum admitteret Epiſcopum. Samoſateni, eiecto in exilium Principum auctoritate Euſebio Catholico & legitimo Epiſcopo, nunquam induci potuerunt vt Eunomio hæretico in Sedem intruſo adhærerent: tantumque & tam vniuerſum fuit populi odium, vt nemo ex vrbis incolis vel preſſus egeſtate, vel diuitiis affluens, nobilis vel ignobilis, agricola vel ciuis, vir vel mulier, iuuenis vel ſenex, ſermonem cum illo conferre voluerit, aut Templum ingredi, in quo ille diuerſaretur. Sanctus Euſebius Vercellenſis Antiſtes duriſſima quæque ab Conſtantio hæretico Imperatore pertulit, tandemque exilio multatus eſt. Is ſtatuit apud ſe fame potiùs perire, quàm ab Ariano Epiſcopo cibum accipere; qui hac occaſione cupiebat in vulgus ſpargere, ſanctiſſimum illum ac Catholicum Epiſcopum eius fidei conſenſiſſe, vt hoc mendacio multos in fraudem errorémque impelleret. Hinc Gregorij Nazianzeni Nonnæ matris commendatio, quòd ab ea nullus vmquam impetrare potuerit, vt ſacrilegas Gentilium domos vel pertranſiret, vel intueretur; vtque Gentilis fœminæ, quamquam alioquin honeſtiſſimæ & propinquiſſimæ, manibus manum, aut labra labris miſceret. Qui etiam

Sozom. l. 2. cap 31.

Theod. l. 4. cap. 24.

In actis Euseb. Vercell. Bar. tomo 3. anno 356.

Greg. Naz. Orat. 19. in fun patris.

Oratione 27. Catholicos hortatur, vt hæreticos tanquam Ecclesiæ labem & perniciem ac veritatis venenum exsecrentur; non eos inuisos habentes, sed potiùs eorum casum miserantes. Narrat Seuerus Sulpicius, D. Martinum Treuiros, vbi Maximus tyrannus agebat, profectum, cum aliquot Episcopis, qui Ithacio Episcopo excommunicato adhærebant, vno tantùm die communionem iniisse; vt hoc officio tyrannum deliniret, & duos Gratiani Imperatoris Duces periculo capitis eximeret, Hispaniamque ab imminenti clade liberaret: postero verò die inde se proripuisse, mœstoque & ingemiscenti, quòd vel ad horam noxię communioni fuisset permistus, Angelum derepentè adstitisse, probasse animi dolorem & lachrymas, monuisseque, vt facti iam pœnitens animum resumeret, neque de salute desponderet. Rectè proinde D. Hieronymus: *Nobis (inquit) in monasterio hospitalitas cordi est, omnesq; ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus: veremur enim, ne Maria cum Ioseph locum non inueniat in diuersorio, ne nobis* IESVS *dicat exclusus, Hospes eram, & non suscepistis me. solos hæreticos non recipimus, quos vos solos recipitis.* Quo tempore Galliam Albigensium hæresis perturbabat, & perfidiæ venenum spargere nitebatur, Abbas S. Ægidij, augustissimo Christi Domini, & liberatoris nostri corpore à templo sublato, consortia hæreticorum fugiens,

Seuer. Sulp. lib. 3. Dial. Car. Sig. de Occid. Imp. lib. 9.

Hier. aduer. Ruff. libr. 3. cap 5.

In histo. Albigens.

giens, ex ciuitate excessit. His & aliis id genus exemplis pleni sunt Annales Ecclesiastici: *Lib. 2. c. 8.* quæ cùm retulerim in iis libris, quos de tribulatione seu afflictione inscripsi, & in secunda parte Anglicanæ historiæ, hîc non inseram, *Lib. 3. c. 15.* sed id tantùm, cuius superiùs mentionem feci, repetam, hæreticum immaniorem magisque perniciosam feram, quàm Ethnicum, semper à Catholicis æstimatum. Quod mihi innuisse videtur Tertullianus, dũ Gentiles hunc iñ modum alloquitur: *Nauigamus & nos vobiscum, & militamus, & rusticamur, & mercamur: proinde miscemus artes, opera nostra publicamus vsui vestro.* *Tertull. in Apol. ad Gẽtes, cap. 42.* & de excommunicatis, quales sunt hæretici, loquens ait: *Summum futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.* *Ibid. c. 39.* Neque sanè mirum: nam etsi matrimonij vinculum tam est arctum & indissolubile, vt sola morte dissolui disiungique possit; tamen si coniugum alter in hæresim prolapsus, alterum à fide Catholica abducere, & in errorem trahere vellet, iure posset, immo etiam deberet, Catholicus coniux ab hæretico discedere, ne in periculum diuortij discessionisque à Deo incurreret. *Alphons. de Cast. de iusta hæretic. pun. lib. 2. c. 7.* Quin etiam Alphonsus de Castro libro de iusta hæreticorum punitione, & Simancas Episcopus in Catholicis Institutionibus asseuerãter affirmant, Catholicam vxorem à fide debiti hæretico *Simanc. in Cath. Instit.*

titul. 40. de pœn. nu. 73. marito reddendi liberam ac solutam esse. Cuius rei ea causa & ratio est, quòd hæresis halitus sit & quidam satanæ afflatus, puteus inferni ignis, corruptus ac pestilens spiritus, cancer sine vllo remedio per mébra serpens, morbus adeò exitialis, vt intimas abditasque partes inuadat, animas inquinet & corrumpat; nec solo tactu vt viperæ, aut adspectu vt basilisci, aut afflatu vt dracones, enecet; sed his & pluribus aliis modis omnia perdat, conficiat, absumat: cui proinde malo non aliud certius sit remedium, quam declinatio, vel fuga; nec fortius præsidium, quàm si te subducas; nec tutius refugium, quàm si quàm longissimè à tam pestifero, venenato, & calamitoso morbo te proripias. Nam obtento quodam fuco CHRISTI nomine, Christum in cordibus nostris occidit, & fidei prætextu fidem euertit, vt auctor est D. Ambrosius. Nec vi ac potestate sua, sed astu technisque, simplicium, & minùs cautorum (teste S. Basilio) mentes illaqueat. Cuius non ignara Placilla Imperatrix, magni Theodosij vxor, cùm audisset Eunomium conuenire Imperatorem velle, & eo familiariter vti, metueretque, ne sagax & vafer hæreticus argutiis & acumine dicendi maritum circumuentum, aut in suam sententiam pelliceret, aut certè dubium redderet, prudenti consilio à tam pestifero congressu illum reuocauit, vt narrat Sozomenus, solerterque effe-

Ambr lib. 1. de fide. ca. 1.

Basil. epist. 70. & 71.

Sozo. l. 7. c. 6

effecit ne venenatæ serpentis fallentibus sibilis aures daret. Quæ cautio & prouisio adhiberi non potest in ea ciuitate, in qua cum Catholicis permisti hęretici communiter viuunt: neque pacem & concordiam retinere poterunt illi, qui nec eam amant, nec in omnium maximo Religionis negotio illam conseruare possunt. Nam, vt præclarè Cælestinus Papa ad Nestoriũ hæreticum scribens ait: *Quid tecum faciunt, qui sunt hæc negando damnati? nunquam sine suspicione ea quæ sibi sunt aduersa cõueniunt: eijcerentur denique, si tibi quoque similiter displicerent.* & Gelasius Pontifex in epistola ad Anastasium Imperatorem: *Sicut* (inquit) *non potest, peruersitatis communicatore suscepto, non pariter peruersitas approbari: sic non potest refutari peruersitas, complice sectatore peruersitatis admisso. Legibus certè vestris criminum conscij, susceptoresq; latrocinantium, pari iudiciorum pœna constringuntur: nec expers facinoris æstimatur, qui licet ipse non fecerit, facientis tamen familiaritatem fœdusq; receperit.* Consentit his S. Gregorius Nazianzenus in ea oratione vel epistola, quam ad Nectarium scripsit.

In act. Cōc. Ephes. edit. Pelt. tom. 1. c. 2.

Bar. tom. 5. anno 430.

CAPVT XXV.

Nihil eorum, quæ ad fidem spectant, exiguum aut leue censeri debere: & quot quantaq; sint, quæ nostri temporis hæretici impugnant.

NEQVE dici probarive poteſt, quod quidam ex Politicis affirmant, exigua eſſe, & leuis ponderis, quæ hodie inter Catholicos & hæreticos ſunt controuerſa; & præter rationem videri, vt pro minutiſſimis tot & tam graues turbæ excitentur; magiſque è publica re fore, ſi quæque pars aliquid alteri concedat, tantiſperque de iure decedat, dum pax coëat. Quæ ſententia eſt Gallici militis, & Caluini ſectatoris, Domini de la Noüe, in militaribus ac politicis diſputationibus. Quo ſanè fuco Vlphilas Gothorum Antiſtes ſuos olim in fraudem & decipulam hæreſeos impulit, dum perſuaderet, inter Catholicos & Arianos non rei fideive, ſed vocis tantùm diſcrimen eſſe; & verbi, non ſignificationis, certamen. Verùm nihil eſt tam paruum minutumve in fidei rebus, pro quo tuendo millies ſanguinem & vitam non profundat ſyncerus veruſq; Catholicus. Ariani orbem terrarum turbârunt, & Catholicis infeſti, crudeliter eos inſectati ſunt, quòd nulla ratione adduci poſſent, paterentur vt vel ſyllabam, aut vocem vnam in fidei Symbolo immutari, & homouſij loco homiouſion ſubſtituerent; quod vnica tantùm litera, ſi vocem ſpectes, à priori differt, tametſi ſignificatione plurimùm differant: tantaque fuit Catholicorum in vera & pura fide tuenda conſtantia, vt ſuppliciorum & tormentorum genera omnia maluerint ſubire, quàm vel minimum

Anton. Poſſ. cont. Theod. de la Noüe.

Theod. hiſt. lib. 4. c. 32.

mum apicem vel iota vnũ cum periculo peruertendæ fidei inſeri permitterent. D. etiam Hieron. auctor eſt, Valentem & Vrſacium Arianos Epiſcopos in Concilio Ariminenſi vnius vocis homouſij peruerſione vniuerſam Chriſtianam Religionem iugulaſſe conclamatamque Nicenæ fidei damnationem, ac ingemiſcentem orbem terrarum ſe Arianum eſſe miratum. Putauerant enim fraude deluſi Patres vnius vocis ſubtractione pacem Eccleſię reddendam. Cùm Valentis Imperatoris Præfectus D. Baſilium hortaretur, ne ita reſtrictus eſſet, & opinionis tenax, ſed cedens tempori propter exilem & nimis curioſam dogmatum obſeruationem, tot tantaſque Eccleſias in diſcrimen non coniiceret, magnique faceret amicitiam Imperatoris; vir ſanctiſſimus hanc in ſententiam reſpondit: *Qui ſunt in ſacris Litteris educati, non vnam quidem ſyllabam diuinorum dogmatum prodi ſinunt; ſed pro iſtorum defenſione, ſi opus ſit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur. Quod autem ad Imperatoris amicitiam, eam cum pietate iunctam magnam æſtimo; ſed ſi ea careat, pernicioſam eſſe duco.* Cùm verò Præfectus grauiter commotus fatuum amentemque diceret; tum ille: *Ego verò hanc ſemper amentiam opto habere.* Minitãti porrò mortem, niſi conſentiret, *Vtinam*, inquit, *promerear, eaq; ſim dignus!* Tandẽ noctem vnã ad deliberandũ cõcedẽti reſpõdit: *Ego quidẽ idẽ, qui iam cras ad te*

Hieron. in Dial. contra Lucif.

Sozom. l.3. c.27.

Theod. l.2. c. 21. & 28.

In vita Baſilij.

Greg. Naz. Orat 20. in laud. Baſil.

Theod. li.4. c.17.

redibo, tu verò ne mutes sententiam. Ea fuit sanctissimi viri & Ecclesiæ Doctoris animi fortitudo & constantia, vt ne apicem quidem in Concilij Niceni decretis aut interponi, aut mutari pateretur. D. Chrysostomus tractans illud D. Pauli, *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Quæ tui,* inquit, *sunt officij præsta, nemini dans ansam seu belli, seu dißidij, siue Iudæo, siue Græco: si verò alicubi pietatem labefactari videas, ne præponas concordiam veritati, sed generosè persistas ad mortem.* D. Paulus ad Galatas scribens, affirmat se ne ad horam quidem falsis fratribus cessisse, qui peruersæ doctrinæ sementem in Ecclesiæ agro faciebant. Quo sanè modo se gerere deberent Christiani, etiamsi, quæ hodie ab hæreticis in dubium vocantur, perexigua essent: si tamen in Christianę Religionis mysteriis leue quidquam dici potest, in quibus nihil est non magnum & graue. Cæterùm ea, in quibus hæreses nostri temporis ab Ecclesia Catholica dissentiunt, tanta sunt, tamque infensa & aduersa, maiora vt excogitari nequeant. Hæc enim immanissima & ab inferis excitata monstra non satis habuerunt, si aliquos veterum hæreticorum errores complecterentur, sed iunctis omnium temporum hæresibus omnibus, alias nouas ex insanis & malè purgatis cerebris. quæ in ingeniosum & intelligentem hominem non caderent, addiderunt: vt tot machinis

Chrysost. in c 12. ad Roman.

Galat. 2.

Religio-

Religionis fundamenta euerterent, cæleſtia myſteria offunderent & obſcurarent, puriſſimos gratiæ fontes turbarent, & ſplendidiſſimum Euangelij lumen, ſi poſſent, ita exſtinguerent, vt ne minima veritatis luciſque ſcintilla relinqueretur. Nam in altiſſimo & abditiſſimo Trinitatis arcano, in recondito carnis à Verbo aſsũptæ ſecreto, in auguſtiſſimo & inexplicabili Altaris myſterio, in reliquis omnibus Sacramentis, in iis quæ ad diuinam gratiam hominiſque libertatem ſpectant, in peccatoris (quam vocamus) iuſtificatione, in hominis iuſti meritis, in venia & expiatione ac veluti quadam ſcelerum indulgentia, ſacrarum imaginum cultu, Sanctorum veneratione & interceſſione, in terra, cælo, purgatorio igne ac inferno, hominibus, Angelis, dæmonibus, in rebus creatis, earumque conditore ac effectore Deo, tam multos, tam deliros, tam pernicioſos errores commẽti ſunt, vt eorum numerus iniri nõ poſſit, nec digni ſint vt hîc recenſeantur; ne vel ſola commemoratio oculos vel aures eorum inficiat, qui hæc noſtra legerint vel audierint. Sed quid opus eſt pluribus rationibus & argumentis, vt oſtendamus hæreticos cum Catholicis in eadem repub. rectè coniungi non poſſe, cum ad hanc rem ſatis ſuperque corroborandam ſufficiat, ſi nomina quæ Spiritus ſanctus Catholicis, quæque hæreticis tribuit, diligentiùs expendamus? Chriſtus enim humanæ ſa-

a Ioan. 1. b Rom. 6. c Ioan 12 d Galat. 4. e 1. Petr. 2. f 1. Cor. 3 & 2. Cor. 6. g Rom. 8. Matt. 7. & 24. & 25. Matth. 13. a Philip. 3. b 1. Ioann. 2. Philipp. 3.

lutis assertor, eiusque Apostoli, veros ac fideles Christianos appellant [a] Dei filios, [b] Dei seruos, [c] filios lucis, [d] promissionis filios, [e] sãctos, sanctificatos. Dei Sacerdotes, [f] fidelia templa, [g] hæredes Dei, cohæretes autem Christi. Quî ergo fieri poterit, vt hi cum iis societatem ineant, quos idem Spiritus in sacris Litteris vocat falsos Prophetas, lupos rapaces, vestimentis ouium indutos, petulantes ac procaces hædos, seminatores ac satores zizaniorum, [a] canes, bestias, [b] Antichristos, veteratorios ac fallaces, callidos operarios, ministros ac filios diaboli, filios tenebrarum ac infidelitatis, inimicos crucis Christi, ventris mancipia & seruos, iræ ac ignominiæ vasa, homines corruptos mente, & reprobos, circa fidem nauffragantes, qui ad dæmoniorum doctrinam attendant, homines seipsos amantes, cupidos, elatos, superbos, blasphemos, ingratos, scelestos, incontinentes, proditores, tumidos, habentes speciem quidem pietatis, virtutẽ autem eius abnegantes, qui peiores fiũt indies, nec solum errant ipsi, sed alios etiam in errorem inducunt, qui legitimos suos dominos verosq; Principes aspernantur, fontes sine aqua, nebulas turbinibus agitatas, quibus caligo tenebrarum reseruatur, arbores autũnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feros maris, despumãtes suas confusiones, sidera errantia, quibus ꝓcella tenebrarũ seruata est in æternum.

2. Tim. 3. 1. Tim. 4. 2. Tim. 3. Iud. in epist. 2. Pet. 2. Iud. in epist.

Quî

Quî ergo fieri poterit, vt hi cum illis in eadẽ ciuitate viuant, &iisdẽ legibus gubernentur?

CAPVT XXVI.

Puniendos esse hæreticos; & quæ damna adferat conscientiæ, quam vocant, libertas.

DICAT fortasse quispiam: Licet Principi procurandũ sit, vt omnes quibus imperat, eandem fidem atq; Religionẽ profiteãtur, nec sectarũ varietate inter se discindantur, id tamẽ mitioribus ac leuioribus remediis vitaq; ipsa ac morum exẽplis potiùs, quã terroribus ac pœnis, agendũ. Huius sententiæ est Ioan. Bodinus in li. suæ Reip. 4. dũ putat debere Principes nõ coërcere suppliciis hæreticos, nec ad Religionem, quam ipse sequitur terroribus ac pœnis subditos cõpellere, sed exemplo suo & magna lenitate allicere, quemadmodũ (ait) Theod. Imper. Catholicus cum Arianis, Theodoricus Italiæ Rex Arianus cum Catholicis se gessere, & hodie Turca facit. Nostri etiã tẽporis hæretici docent neminẽ ob solã hæresim iure puniri posse: tametsi ex illis quidã contrariã sententiam scriptis factisq; approbarint. Caluinus enim Michaëlẽ Seruetũ, ꝙ hæreticus Trinitarius esset extremo supplicio affici iussit. Idem ille & eius discipulus Beza scriptis suis testati sũt, hæreticos pœnis coërcendos esse. Sed, vt res hæc explicatior euadat, illud in primis ponendum est, quod Christiana Religio & Do-

Bodin. l. 4. de Rep. c. 7.

S. Tom. 2. 2. q. 10. art. 8.

Doctorum consentiens opinio, atque adeo ipsa ratio nos docent: infideles qui nunquam Christianis sacris initiati sunt, cuiuscumque sint sectæ, cogendos non esse vt Christianã fidem amplectantur: fides enim libera est, & Dei donum; ac proinde, quando diuino munere conceditur, non nisi voluntatis concessu debet admitti. Hæreticos verò, cæterosque omnes qui fonte Baptismatis lustrati fidem susceperunt, ad eam seruandam obligari; iisque stare debere, quæ in sacro fonte sunt polliciti: posse etiam ac debere ad hæc præstanda suppliciis compelli, &, si contradicant, acerbis pœnis multari, cùm etiam Iurisconsulti dicant *compelli hæredem facere, id quod facturum se iurare visus est.* In sacris Litteris iubet Deus, vt, qui sacerdoti non obediuerit, morte moriatur: eædem hæreticos [a] lupos, [b] latrones, [c] cancrum vocant: ex quo consequẽs, (vt SS. Patres colligunt) hæreticos tamquam lupos mactantos esse, ne pereant oues; vt latrones & fures patibulo appendendos, ne fidelium animas rapiant; denique vt cancrum rescindendos, ne serpant, & sanas reipub. partes contagione inficiant. Ita D. Hieron. clarissimus & sapientissimus Ecclesiæ Doctor, in illud Apostoli, *Modicum fermentum totam massam corrumpit: Igitur*, ait, *scintilla statim vt apparuerit, exstinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semouendum: secandæ putridæ carnes, scabiosum animal à caulis ouium repellendũ,*

L. hæc scrip. de condit. & demonst.
Deut. 17.
a *Matt* 7. *Actor.* 20.
b *Ioan.* 10.
c 2. *Tim.* 2.
Hier in cæ. 5. *ad Galat.*
Habetur. 24 *q* 3. *ca* 16.
Resecanda.

ne

ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Arius vna scintilla fuit: sed quia non statim oppressa est, totũ orbem eius flamma populata est. D. etiam Augustinus *Melius est quidem* (inquit) *quis dubitauerit? ad Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœnæ timore vel dolore compelli: sed nõ quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt: multis enim profuit (quod experimentis probauimus & probamus) priùs timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri, aut, quod iam verbis didicerant, opere sectari.* Hæc Augustinus: quibus priorem suam sententiam reuocat ac retractat, (olim enim senserat neminem ad vnitatem Christi esse cogendum) & apertissimè docet etiam suppliciis in hæreticos animaduertendum esse; nec futurum aliquãdo vt pace fruatur Ecclesia, nisi radicitus illos exstirpauerit; sicut in Dauidis Regis domo nulla pax viguit, quousque morte sublatus est Absolom. quod ipsum multis testimoniis ex sacra Scriptura acceptis, variisque rationibus confirmat: quas legere poterit, qui volet in epistola 48. quam scripsit ad Vincentium; & in 50. ad Bonifacium, & in 129. ad Olympium. Eusebius Cæsariensis in vita Cõstantini refert seueras eiusdem Imperatoris leges multis perutiles fuisse, vt in gratiam cũ Ecclesia redirent. S. Leo Pontifex. *Meritò*, ait, *Patres nostri, sub quorum temporibus hæresis nefanda prorupit, per totum mundum instanter egē-*

Aug. ep. 50.

Au. lib 2. Retract. c. 5.

Aug epist. 48. 50 & 129.

Libro 3. in fine

S. Leo epist. 93. ad Turib.

re vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur; quando etiam Principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius, ac plerosque discipulos, legum publicarum ense prosternerent. Et profuit ista districtio Ecclesiasticæ lenitati; quæ etsi Sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamen Christianorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium. S. Gregorius Magnus laudat Gennadium Patricium & Exarchum Africæ, quod armis, omni viuacitate mentis & corporis, hæreticis obsisteret; & illum ad id faciendum hortatur. In Iure Canonico præcipitur vt è sedibus exturbentur Antistites qui diligentiam nõ adhibent in suis diœcesibus ab omni errore purgandis, & zizaniis hæresum exstirpãdis Iurisconsulti etiam aiũt, Magistratus, qui, cùm possent in hæreticos animaduertere, hos inultos ac impunitos relinquunt, in hereticorum fautoribus numerandos, & in excommunicatis habendos, hæresisque nomine suspectos esse. Quin & Ecclesia regnis & imperiis spoliat Principes qui permittunt in illis hæreticos vitã agere: quòd (vt scribitur in epistola quadam Orientaliũ Episcoporum ad summum Pontificem Agapitum) *Ipsos accipere potestatem congregandi, aut permittere ipsos talia audere, nihil aliud est, quam veriores putare quam dogma nostrum, ac violentiores facere contra nos.* Quæ etiam est Gregorij

Greg. lib. 1. epist. 72.

Extr. de hæret. cap. 23. § fin. c. qui potest. 23 q. 3. c. qui Vit. 23. qu 5. c. ita corpor. 11. q 3. c. negligere. 2. q 7. c. error. 83. dist. cap. facietes 86. distinct.

Habetur in 5 gen. Syn. act. 1.

rij Nazianzeni sententia. Hoc ipsum Christiani Principes ac Imperatores decretis & edictis in hæreticos latis iusserunt, & re ipsa factisque confirmarũt pœnis exilio, & morte tandem ipsa plectendo. Quod ab Constantino, (vt antea commemoraui) Theodosio, Valentiniano, Arcadio, Honorio, Iustiniano, pluribusque aliis sapientibus & piis Imperatoribus factitatum est; quibus id persuasum erat, fore vt hanc illorum in hæreticos animaduersionem Deus imperij conseruatione & perpetua quadam felicitate rependeret. Neque id tacet Theodosius minor in quodã aduersus Nestorium edicto, quod sic habet: *Hac enim ratione futurum est, vt & Religio sanctissimæ fidei intacta in mentibus hominum perseueret, & regni nostri felicitas Religioni munita quotidie magis magisque floreat.* Quantũ verò damni neglecta ea censura imperiis adferat, Theodosius & Valentinianus Imperatores in quadã lege asserũt, cuius hæc sunt verba: *Tutum non est negligere tam detestãdam diuinitatis iniuriam, & impunitum relinquere scelus, quo non solum corpora deceptorũ, sed et iã animæ inexpiabiliter polluũtur.* Quæ quidem iustè & magna cum ratione statuta sunt: nam (vt ait Augustinus) *Seruiunt Reges Christo etiã leges ferendo pro Christo. Terror enim* (vt idẽ subiicit) *temporalium potestatum, quando veritatẽ oppugnat, iustis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio: quando autẽ veritatẽ* præ-

In C. Theod. tit. de hær. C. Iust. lib. 4. de hæret. Vide tom. 4. & 5. Baron.

In act. Eph. edit. Pelt. tom. 5. c. 12.

Nouel. tit. 2. de Manich.

Aug. ep. 84.

prædicat errantibus & discordantibus, cordatis vtilis admonitio est, & insensatis vtilis afflictio. Si flammis traditur monetalis qui nummos falsos cuderit; cur igni cremandus non est, qui doctrinam Christi corrumpit, corruptámque disseminat? Si morte plectendus est, qui regias litteras adulterinis signis obsignat; quo supplicio dign⁹ cēsebitur, qui sacrā Scripturam adulterat? qui diuinas supremi Regis litteras deprauat? Iudicis sententia morte damnatur, mulier quæ turpi commistione fidē marito datam violauerit, & extremo supplicio non multabitur, qui fidem, qua Deo se obstrinxit, periurus fallit? Qui temporariam hanc vitam adimit alteri, vita legibus priuatur. & hæreticus, qui animas perdendo interficit tanti criminis pœnas non luet? Galenus affirmat criminosos triplici ex causa vita spoliandos esse. Vna, vt vitæ, facultatum, honorum ablatione, bonis iustisq; hominibus damnum non inferant. Altera, vt paucorum supplicium multos cautiores efficiat; & quorum vita perniciem attulit, eorum mors adferat salutem. Tertia, quòd iis ipsis, qui morti traduntur, mors vtilissima sit, ne scelerum accessione peiores fiant. Quæ tres & plures aliæ causæ in hæreticos conueniunt, mortalium omnium nequissimos. Quare iustissimum est, vt Christianus Princeps seueris legibus ac pœnis hæreticos coërceat; sicut cōstanti more receptum est, ex quo, suppressa infide-

S. Thom. 2. 2. q. 11 art. 3.

Gal. l. quòd mores animi sequuntur temper. corporis.

Alphons de Castro, de iusta hæret. punit. lib. 2. cap. 12.

infidelitate, satis virium & auctoritatis habuit Ecclesia: intelligatque, leuiora remedia, quæ in hoc hominum genere curando adhibentur, eis frequenter in venenum verti, & causam esse vt in suis erroribus contra veritatem obdurescant, obstinatioresque euadant. Quod nobis testatum reliquit D. Gregorius Nazianzenus, dum de se experientiaque propria in hæc verba loquitur; *Canities quoque nonnihil eruditur; nec senectus, vt video, talis omnino est, quæ prudentiæ opinionem fidemque mereatur. Ego cum omnium maximè Apollinaristarum cogitationem & impietatem perspectam haberem, nec ferendam eorum audaciã cernerem; existimabam tamen fore, vt lenitate mea mansuetos & placidos eos redderem, ac paulatim emollirem; atque hoc mihi spe fingebam: verùm, vt apparet, illud minimè animaduerti, me peiores eos effecisse, ac per intempestiuam hanc philosophiam Ecclesiæ detrimentum. Nec enim prauos homines lenitas inflectit.* Hæc Nazianzenus Olympio ad puniendos hæreticos suasor & hortator. Scribit [a] S. Cyprianus nõnullos, quos sua facilitate susceperat, peiores exstitisse quã priùs fuerant; nec fidem pœnitentiæ seruare potuisse, quia nec cum vera pœnitentia venerant. Expedit quidem Principem suo primùm exemplo, & præclara quadam rectè viuendi forma, aliisq; mitioribus adiumentis omnẽ peruersæ doctrinæ contagionem è regni sui finibus exterminare; & quos simplex credu-

Greg. Naz. epist. 1. ad Olymp.

a Cyp ep 3. lib. 1. ad Cornel. Pap.

litas in errorem impulit, ab illis discernere, qui, cùm sint corruptissimi, veteratoriè & callide alios à veritate abducunt: verùm si hæc minùs sufficiant, acrioribus pœnis & vehementiori animaduersione afficere. Quod vt absque strepitu & Catholicorum detrimento faciat, prudenter & circumspectè videat quo in statu sit regnum, & an paucos numero, an verò multos leprâ hæretica laborantes habeat. Nam cùm totum regnum, vel partem eius maximam, hæresis occupauit. nec possunt lolia zizaniarum exstirpari, nisi pariter triticum euellatur; aut si magna rerum conuersio vel armorum pericula timentur, Christiana prudentia docet tũ quidem dissimulatione vtendum, ne plus damni quàm commodi emergat. Vt enim monet D. Augustinus, *Non propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerãdi sunt*. Qua ex causa Iustinus Imperator (vt scribit [a] Paulus Diaconus) Arianis Tẽpla, quæ habebant Constantinopoli, non abstulit, ad id Ioannis primi Papę & martyris Legatorumq; cum eo à Rege Theodorico Ariano missorũ precib⁹ impulsus, ne tyranno præberet occasionem Catholicorũ Templa & Ecclesias vastandi & diripendi. tametsi hæc pugnare videantur cũ eo quod idem Pontifex, cùm à Rege Theodorico in vincula coniectus pessimè acciperetur, in epistola, quam è carcere ad Italiæ Episcopos dedit, affirmat, iubens eos Arianorum

D. Thom. 2. 2. qu. 10. art. 8. ad 1. & 11.

Aug. lib. 3. c. 2. cont. ep. Parm habetur 23. q 4. Cùm quisque, & c. Nõ potest & epist 48.

a Paul. Diac. de gest. Rom lib. 6. ca. 8.

rum Ecclesias ad Catholicorum ritũ consecrare, quantumlibet Theodoricus vniuersæ Italiæ ferrum, ignem, vastitatemq; minitetur. *Quia & nos* (inquit) *cùm fuimus Constantinopoli, tã pro Religione Catholica, quàm pro Regis Theodorici causa, quascunq; illis in partibus eorũ Ecclesias reperire potuimus, Catholicas eas consecrauimus.* Itaque cùm periculum iustis de causis timetur, leniter ac sensim procurandũ est Principi vt ignorãtes lumine doctrinæ collustret, errantes in viã veritatis reducat, & omnium animos atq; volũtates sibi adiungendo cõciliet. Vbi verò in toto regno viget Catholica Religio eamq; paucorum hæresis impietasq; perturbat; nihil non moliri debet, ne malum hoc longiùs progrediatur, nec cancer serpens partes synceras trahat, hacq; offensione reipub. euersa penitus concidat. Neq; rationes in contrarium allatæ vllius sunt momenti: nam etsi fides Dei donum est, non tamen ob id desinit esse actus liberæ voluntatis; & qui semel susceptam fidem violat, dignus est qui neglectæ fidei det pœnas. Castitas etenim, & cæteræ virtutes, Dei etiam munere habentur: nihilominùs in adulteros, homicidas, fures, & generis eiusdem scelera, pœnæ & supplicia decernuntur. Deus quoque Dominus noster collata hominibus dona variis & diuersis modis conseruare solet: quos inter supplicia sunt, & pœnæ, quorum metus complures à peccando retrahit, & nõ paucos

Carol. Sig. l. 16. Occid. imperij. Breu. Rom.

ex hæreticis, poſito errore, (vt antè diximus, & ex D. Auguſtino diſcimus; ad mentem veritatemque reuocat. Quòd ſi mens quorundam obſtinatior hoc remedio non flectitur, non propterea contrahenda aut negligenda ſunt flagella & pœnæ: quamadmodum non contemnitur medicina, etiamſi quidam ſint qui curam & medicamenta aſpernentur; vt idem Eccleſiæ Doctor probat. Ac licet fides Deo dante habeatur, liberaque ſit, hæc tamē libertas illos tantùm concernit, qui eam numquam ſunt profeſſi; non eos qui ſalutaribus aquis tincti fidem admiſêre, & ſeruaturos ſe promiſerunt. Huiuſmodi enim poſſunt & debent compelli, promiſſa vt inuiolata ſeruent, quemadmodum ſuprà declaratum eſt. nam, vt ait D. Auguſtinus, *Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem; ſed nec bonā infructuoſam, nec malam impunitā eſſe voluit. Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios vt redirent, ſi perditi filij coëgerunt illos vt perirent?* Et alio loco, in Petilianum hæreticum agens: *Si quæ igitur aduerſus vos* (ait) *leges conſtitutæ ſunt, non eis benefacere cogimini ſed malefacere prohibemini. Nam benefacere nemo poteſt, niſi elegerit, niſi amauerit: quod eſt de libera voluntate.* Hiſtoricis etiam & veritati repugnat Theodoſij factum quod Bodinus in exemplum trahit, vt perſuadeat Chriſtianum Principem debere quemque ſuæ ſectæ & libertati relinquere, & moribus ac vita tantùm in eam,

Epiſtola 48. & 50.

Aug. lib. 2. cont. epiſt. 3. Gaud. c. 11. & epiſt. 50. ad Bon. Cont. lit Petil. lib. 2. cap. 83.

quam ſequitur, Religionem pertrahere. De eo enim auctor eſt Socrates, ſimulatque ſacro fonte ablutus fuit, in id maximè incubuiſſe, vt pacem, quam Ariani perturbarant, Eccleſiæ reſtitueret; eamque ob cauſam Demophilum Epiſcopum, pluresque alios qui ad fidem Catholicam redire nolebant, exegiſſe; Conciliumq; Epiſcoporum coëgiſſe, vt vna omnibus conſentiens opinio ſtabiliretur: quod ob tam excellens factum diuinum fauorem expertum, Athanarico Gothorum duce ſub poteſtatem redacto. Narrat præterea Sozomenus leges tuliſſe, quibus declarabat hanc ſuam eſſe voluntatem, vt quam Petrus Apoſtolorum Princeps Romanis tradiſſet, quamq; tum temporis Damaſus Romæ, & Petrus Alexandrinus Epiſcopus Alexandriæ ſeruarent, eam vniuerſi ſubditi Religionem amplecterentur. Theodoretus autem refert Theodoſium legem conſcripſiſſe, qua vetabat conuentus ab hæreticis agi. Quẽ etiam mirè commendat S. Auguſtinus, quòd ex ipſo initio imperij ſui non quieuit iuſtiſſimis & miſericordiſſimis legib⁹ aduerſus impios laboranti Eccleſiæ ſubuenire; quam Valens hæreticus Imperator, fauens Arianis, vehementer afflixerat. Nec eſt quòd in mediũ adducatur factum Theodorici Oſtrogothorum Regis Ariani; quoniam, præterquam ꝙ eo tempore maximus erat Catholicorũ numerus, manus ille puras & innoxias ab eorũ

Soc. libr. 9. cap. 7.
Niceph. lib. 12. cap. 8.
Sozom. li. 1. cap. 4.
Theod. lib. 5. cap. 16.
Aug. lib 5. de ciu. Dei, cap. 26.
Paul. Diac. l. 6. de geſtis Long. cap. 1.

sanguine non ita seruauit: vt à cæde Ioannis primi summi Pontificis, Seuerini Boëtij, (viri sapientiæ laude clarissimi) Symmachi Patricij, plurimorumque aliorum ex præcipua nobilitate, Religionis causa abstinuerit: cuius immanitatis acerbissimas pœnas ab eo Deus exegit, anima æternis inferni supplicis addicta; quemadmodum diuitus cuidam Solitario in visione patefactũ scribit S. Gregorius Pontifex maximus. Edidit librum pium & eruditum Andreas Erstembergerus, natione Germanus, in quo copiosè demonstrat, credendi quod velis licentiam, & conscientiæ quã vocant libertatem, Religionem atque pietatem omnem euertere; naturæ penitus contrariam, & cùm humanis, tum diuinis legibus repugnantem; paci reip. imperiorũ conseruationi, & Christianæ fidei certitudini prorsus aduersantem: nec quicquam pestiferũ magis aut regnis perniciosum fingi posse, quàm si Princeps potestatem cuique faciat credendi quæ velit, & de popularium suorum fide ac Religione curam nullam suscipiat; quemadmodum refert Antonius Posseuinus, ex nostra Societate. Cuius rei tam manifesta est veritas vt non fugerit Theodorum Bezam, dignissimum Caluino magistro discipulum, & qui tamquam furia ex inferno egressa Ecclesiam est insectatus. Is ergo conuictus in epistola quadam asserit à dæmone malo profectum dogma, si quis affirmet per-

S. Greg. li. 4. Dial. ca. 30.

Bibl. select. lib. 1.

permittendam esse conscientiæ libertatem, & quemque voluntate & arbitrio suo perire: Hæc breuiter attigi: plura qui velit, consulat Robertum Bellarminum, & [a] Alphonsum de Castro, aliosque auctores qui de hac re præclarè scripserunt. Hoc præcipuum igitur est ac maximum Principis officium, vt ea ratione Deo satisfaciat, legi obediat, fidei respondeat, excellens sibi creditum munus expleat, denique imperia sua tuta & tranquilla conseruet, quæ sectarum opinionumque dissidiis scinduntur, & succedentibus deinceps seditionibus, tumultibus, & factionibus euertuntur, vt capite proximo dicam,

R Bellarm. tom.1. Controu l.3 de laic. cap.18.

a Alphon. de Castro de iusta hæret. punit.

CAPVT XXVII.

Hæreses causas esse ruinæ euersionisque regnorum.

Libro 4. epistola 32.

GRAVITER & verissimè dictum est à S. Gregorio Magno, *Pacem reip. ex vniuersalis Ecclesiæ pace pẽdere.* Cui⁹ inter plurimas duæ maximè sunt causæ. Prior est, quia diuina Lex nobis præcipit vt omnibus in rebus, quæ eidem Legi non aduersantur, Regibus nostris ac Principibus obtemperemus: vnde consequens est, eum, qui Deo paret, fore vero suo ac legitimo Principi obediẽtem; cum obedientiæ DEO debitæ pars sit quædam Regibus præstita obtemperatio. Moschi, qui & Moschouitæ, Principis sui causa ad-

miranda & acerbissima, quęque fidem propè excedant, agunt & patiuntur; & duriori premuntur seruitute, quàm vel captiui, vel abiectissima mancipia; quod persuasum habeant (*Bapt. Fulg.*) hanc esse Dei voluntatem. De Arsacenis tradunt scriptores, quoniam in animum induxerunt nihil se Deo gratius acceptiusque præstare posse, quàm si Principi suo quauis in re obsecundent, eos, hac opinione imbutos, promptos, hilares, & expeditos, si quando Princeps iuberet, ex præcelsa atque edita turri solitos se præcipitare, corpusq; in mille partes discerpere. tantum potuit falsa hæc in illis persuasio. At verò cũ quis hæresis œstro percitus Legis frenos abiicit, atque à ceruicibus diuinæ obedientiæ ac seruitutis iugum excutit; mirandum non est, si tamquam indomitus & effrenatus equus à Regis sui obsequio & obedientia discedat, Constantinus Chlorus, Magni Constantini pater, singulari prudentia & fortitudine Princeps, cũ Christianorum quorundam in palatio suo ætaté degentium fidem constantiamque explorare cuperet, conditionem proposuit, vt, qui vellent in palatio manere, & inter amicos haberi, Deos secum colerent, simulacrisque immolarent; qui verò recusarent, abscederẽt gratiasque agerent quod id facere sibi impunè liceret. Ex illis nonnulli, Principis gratiam venantes, sacrificium Diis obtulerunt: alij saniori Religione, tantam superstitionem

Euseb. de Vita Constant. lib 1. ca. 11. Sozom. lib. 1. cap. 6. Carol. Sig. lib. 2. de Occid. imper.

tionem auersati, cultum pernegârunt; quos in amicorum & consiliariorum numero habere voluit, spretis & exclusis ignauis & infidis immolatoribus: quòd diceret fidos & veros amicos fore, qui Religionem Principi prætulissent; contrà verò nunquam fidem inuiolatam Principi seruaturos, qui tam promptè & sacrilegè Deum suum peiurando prodidissent. Huic affine est Theodorici Regis factum, qui etsi secta Arianus esset, cùm deprehendisset ex famulis vnum, cui fauebat, Religionem mutasse, & à Catholicis ad Arianos, vt Principi gratior iucundiorque esset, transisse, illum pugione confodit; dicens fieri non posse, vt homini fidem seruaret, qui Deo fuisset infidelis. Ex quibus liquet, istos Principes, prudentes & sapientes viros (licet alter Gentilis, alter secta Arianus esset) probè solerterque intellexisse, qui in Deum perfidus exstitisset, suo etiam legitimo Domino haud fore fidelem. Quod non tacuit fortissimus martyr Hormisdas, qui Persarum Regi, exhortanti, vt Christum abnegaret, in hanc sententiam respondit: *Quod imperas, ô Rex, nec iustum est, nec tibi vtile. nam qui didicerit Deum omnium gubernatorem facilè cōtemnere, eumq́ denegare, multò faciliùs Regem, (quippe cùm homo sit, mortalis naturæ particeps) contempturus est.* Ex perfidia igitur & despecta obedientia nascuntur perduelliones, seu imminutæ Maiestatis crimina; à Principibus a-

Sigon. l 16. de Occiden. Imper. Thom. Bos. de sig. Eccl. lib. 5. c. 11.

Theod hist. lib. 5. c. 38.

lienationes & defectiones; seditiones, tumultus regnorum, rerumque publicarum incendia & vastationes. Nec verò vt aliter accidat, fieri potest: vt enim dissimiles ac inter se pugnantes de fide opiniones voluntatum ac animorum in iis, qui fidem profitentur, dissimilitudinem dissensionemque parturiunt; necesse est, vt hoc dissidio & differentia, quemadmodum ex malo coruo malum ouum, vitiosa & corrupta matre vitiosi & corrupti filij, pessima causa effectus, pessimi nascuntur tumultus; seditiones perniciosæ, ciuilia bella exsistant. Nã regno quod intestina discordia laborãs à seipso dissidet, & Reip. quæ in varias contrariasque factiones distrahitur, certissimum impendet exitium; cùm absque dubio verissimum sit, quod à Christo Seruatore nostro dictum est: *Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur.* Ob quam causam Theodosius Iunior, cùm Constantinopolim & bonam Imperij partem, ob Nestorianum errorem in varias factiones discissam videret, ad magnum & admirabilem virum Simeonem Stylitam, qui tunc temporis raro sanctitatis exemplo florebat, epistolam scripsit, in qua suppliciter & demissè obtestatur, vt pro Ecclesiæ pace atque tranquillitate ad Deum preces fundat, subiungitque hæc verba: *Nam contentio hæc & discordia adeò nos conturbat, vt existimemus, primam præcipuamq; omnium nostrarum calamitatum occasionem, vel hanc*

Lucæ 11.

Acta Conc. Ephes. edit. Pelt. tom 5. cap. 15. Bar. tomo 5. anno 432.

hanc vnam præbuisse. Sed quid opus est rem istam Sanctorũ auctoritatibus aut argumentis rationibusque confirmare, & non potiùs lectorem ad Historias Annalesque remittere? qui pleni sunt tumultuum ac dissensionum, quæ ex variarum & pugnantium Religionum confusa permistione ortæ sunt, & innumeras cædes, interneciones, vastationesq; pepererunt; quæ Gentiles & Iudæi in Christianos patrârint; quę Ariani in Oriente, Donatistæ in Africa, aduersus Catholicos egerint. Aperiamus mentis oculos, vt parte vna pacem & tranquillitatem spectemus, qua perfruuntur regna & Respub. quibus in hæreticis coërcendis vigilantia & seueritas non defuit: parte altera perspiciamus damna, quę in orbem terrarum inuexit nimia Principum in rebus fidei dissimulatio; consideremusque regna & prouincias, quibus vastitatem & ruinam attulit perturbatio sectarũ, & Religionum permista confusio. Non loquar de superioris & inferioris Germaniæ calamitatibus; tacebo ærumnas & miserias Bohemiæ, Poloniæ, Transyluaniæ, Pannoniæ, Angliæ, Scotiæ, & aliarum prouinciarum ad Aquilonem Septemtrionemque spectantiũ, in quas hæc pestis irrupit: Galliam solam contemplemur, Christianissimum potentissium, & Regibus suis obsequentissimum regnum, quamdiu Catholicæ fidei puritatem & integritatem retinuit; vbi verò, maleficiorum nostrorum

ſtrorum pœnas exigente Deo, aperto oſtio aditus hæreſi patefactus eſt, & falſa quadam ciuilis ſtatus ratione perſuadente permiſſum eſt hæreticis, vt conuentus, conciones, & alia munia fucatæ & fallacis Religionis palàm obirent, tam miſerando, tamque lamentabili incendio, quantum dolenter videmus, & deploramus, nobile illud regnum deflagrauit. Nec eſt, quòd quis Iudæos obiiciat in nonnullis prouinciis & ciuitatibus Chriſtianis admiſtos, quos Eccleſia toleret, aut Lutheranos, Anabaptiſtas, ac variarum diſcrepantiumque ſectarum hæreticos opponat, quos inter in Germania pax & concordia intercedat: quod enim ad Iudæos ſpectat, propterea eos Eccleſia perfert & ſuſtinet, quòd nunquam fidem ſint amplexati, nec Chriſto nomina dederint: quòd eam Religionem ſequantur, quã Deus olim, certis tamen temporum finibus circumſcriptã, inſtituit: quòd illorum cæremoniæ figuram & vmbrã quandam myſteriorum fidei noſtræ continebant: quòd in veteris Teſtamenti libris inuenimus & legimus, quæ de Chriſto ſalutis noſtræ aſſertore ac vindice antiqui Vates prædixerunt; quarum prædictionum teſtimoniis fidei hoſtes reuincimus: quòd denique Iudæi fracti ſunt, abiecti, & propè iacentes, nec Chriſtianos item vt hæretici opinionũ prauitate corrumpant. Neque verum eſt, inter eos, qui Religione & ſectis diſcrepant, pacem

vigere:

vigere: nam in ipsa Germania rustici & agrestes homines bellum funestissimum in Principes & nobilitatem ab sola hæresi coacti, moruerunt, in quo rebellium plusquam centum millia ceciderunt. Multæ etiam ciuitates ac Principes Imperij ab Carolo quinto Imperatore defecerũt. Apud Heluetios quoque pagi (quos Cantones vocant) Catholici & hæretici aliquoties infestis signis Religionis causa cõcurrerunt. Nec ipsi Imperij Principes, quos Protestantes nuncupant, in suo dominatu sectarum diuersitatem permittunt. Dux enim Saxoniæ è sua ditione Caluinistas exterminat, Palatinus Rheni Lutheranos, Gebennenses Catholicos omnes: in quos nemo est, qui ignorat, quot & quàm crudelibus tormentis ac cædibus Anglia desæuiat. Quòd si nunc quidem pacis otio frui videntur, ideò accidit, quòd nullus sit externus hostis, qui illos bello lacessat. Si tamen esset qui prouocaret aut irritaret, offeretque sese occasio, vel necessitas arma sumendi; tunc nimirum experirentur, quàm fractos & debiles, virtute animisque diffidentes, Religionum discrepantia ac dissimilitudo reddidisset. Et quamuis omnibus retrolapsis ætatibus hæreses magnam perniciem rebus intulerint, & graues turbas excitauerint, tamen nostri tẽporis sectæ longè maiorem ruinam & perturbationem rebuspubl. inuexerunt. Nam Caluinistarũ hæreses, quæ multæ sunt

Surius anno 1526. & 31. & 46.

hodie:

hodie, & opinionum varietate discissæ, tam sunt perturbatrices, & ad omnium rerum euersionem sic proiectæ, vt omnem locum in quem hæ pestes ac faces irruunt, instar vehementis ac sæui turbinis, & tartarei cuiusdam incendij, conuellant, inflamment, consumant, quemadmodum copiosè & per species liber quidam anno 1584. in lucem editus, cui inscriptio est, *Incendium Caluinisticum*, explicat. Neque verò peruersis & seditiosis dogmatibus regna solùm depopulantur & euertunt hæretici, sed etiam Regibus ac Principibus, quos norunt suæ disciplinæ aduersari, necem inferre nefariè moliuntur, hancque insignem impietatem lege & decreto Euangelij adstruere conantur. Ita ex hac hominum colluuie quidam insidiosè breuiori tormento Serenissimã Angliæ Reginam Mariam traiicere ac morti dare conatus est; cuius tamen audaciæ & sceleris meritas pœnas dedit. Huius neptis & nominis eiusdem Scotiæ Regina indignis primùm modis à Iacobo spurio fratre accepta est, deinde in Anglia tortoris securi ceruices subiecit, vniuerso Christiano orbe commiserante & obstupescente. Margaritæ Parmensi Duci, & Ordinum Flandriæ Gubernatrici, comminatus est hæreticus abiectissimus, & ex vulgi fæce homuncio, fore, vt in illius damnum & caput verteretur, nisi hæreticis concederet, quod ab ipsa postulabant. Similem subiit eadem

Holl. in hist. Angl. anno 1554.

Idem in histor. Scot. anno 1567.

Histoires des troubles du pais bas l. 1. an. 1565.

dem de cauſa fortunam Alexander Farne- *In Add Sur.*
ſius, Dux Parmæ, eius filius; & ante ipſum *anno 1585.*
Ioannes Auſtriacus, magna virtute Princeps, *In hiſtoriis*
& Caroli quinti Cæſaris filius: quorum vter- *Fland. anno*
que cùm Belgas regeret, magnum vitæ diſ- *1575.*
crimen adiit. Erneſtum Archiepiſcopum Co- *Mich. Illet.*
lonienſem, & Ferdinandum Principes, ger- *lib. 3. & 4.*
manos fratres Guilielmi Bauarię Ducis, non- *Bel. Col.*
ne trucidare conati ſunt hæretici, vt Archie-
piſcopum de tanta poſſeſſione depellerent,
& infulas à fide degeneri cõmitterent? Quid
de Franciſco ſecundo, & Carolo nono fra-
tribus, & Galliarum Chriſtianiſſimis Regi-
bus dicam? quoties in eos hæretici perduel-
les arma ſumpſerunt! quoties illis necem
ſunt machinati! Quid de fortiſſimo & Ca-
tholico Principe Franciſco Guiſio? quem
ex inſidiis Poltrotus ſceleſtus proditor & hæ-
reticus glande traiectum oppreſſit, ad tan-
tum facinus, ſuaſore & auctore Beza, ma-
giſtro ſuo impulſus, vt Galliæ regnum, Ec-
cleſiamque Catholicam, firmiſſima, qua
ſuſtinebatur, columna priuaret. Deniq; hæc
ſunt, quæ ab orco excitati peſtilentes magi-
ſtri ex ſuggeſtis, concionibus, conciliabu-
lis, libris prælo excuſis proponunt, docent,
euulgant, vt Principes eorum improbis co-
natibus obſiſtentes neci dedant; & ſcelera-
tiſſimo ac audaciſſimo cuique liceat violen-
tas manus iis inferre, quibus tanquã Dei vi-
cariis & adminiſtris reuerentiam exhibere
& obe-

& obedientiam præſtare debuerant. Sed hæc tamen permittit Deus, vt Principes & Reges Chriſtiani à ſomno negligentiæ & tantæ incuriæ excitati, apertis oculis periculum capitibus ſuis imminens videant; eoque permoti, maiori diligentia & ſeueritate ſupplicium ſumant de iis, qui non tantùm Deo bellum indixerunt, ſed etiam ſuis regnis exitium machinantur, ipſosque extinctos cupiunt. Atque hæc eſt prior ratio, ob quam ex Eccleſiæ pace dependet Reipublicæ incolumitas & conſeruatio.

CAPVT XXVIII.

Continuatur ſuperius caput; & declaratur poſterior ratio, cur hæretici ſint cauſa perturbationum.

POſterior eaque præcipua cauſa perturbationis & motus hæc eſt: quòd Deus ac Dominus noſter, vt ſuprà dixi, ſupremus Rex eſt & caput omniū regnorum, quæ dat & aufert hominibus pro ſuo arbitratu & voluntate. Itaque cùm Rex terrenus, Regis cœleſtis famulum & adminiſtrum ſe recognoſcens, in illum oculos attollit, & in eius ſanctiſſima Lege cuſtodienda & ipſe diligens eſt, &, vt à ſuis ſubditis ſeruetur, diligentem curam adhibet; tum ſibi fauentem & propitium experitur, & veluti porrecta dextera ſalutis ſpem oſtendit, obedientiam & pacem tuetur. Atq; hoc

hoc ita accidisse in sacris Litteris non semel
narratur. legimus enim Ezechiam ob fractas *2. Par. 29.*
statuas, & simulacra comminuta, in magnum *& 31.*
honoris gradum diuinitus elatum fuisse, &
rebus secundis illustrem nominis gloriam ac
ingentes opes & thesauros consecutum: Re-
gem etiam Asa eiusdem munere ac conces- *2. Par. 16.*
su pacem primùm obtinuisse, nullis bello-
rum tumultibus interruptam; postea verò,
cùm officio suo defuisset, dictum illi à Do-
mino, fore, vt in posterum bellorum incom-
modis infestaretur: Regem præterea Iosa- *2. Per. 17.*
phat, quòd in viis Dauidis Regis ambulasset, *& 20.*
& diuinam Legem seuerè obseruasset, ma-
gnis honoribus affectum, amplissimisque fa-
cultatibus cumulatum; tantumque vicinis
Regibus terrorem Deum iniecisse, vt ex his
nullus illum auderet armis belloque lacesse-
re. Contrà verò dum Princeps, immemor
Dei, sibi præfidit, & maiorem proprij com-
modi ac lucri temporarij, quàm diuinæ vo-
luntatis rationem ducit, arbitratus in sua in-
dustria & in humana ciuilique prudentia sa-
tis momenti ac præsidij esse ad cõseruandum
& nouis incremẽtis augendum regnum; ob-
uersis humeris, & manu auersa Deus illũ de-
stituit, & permittit bellorum difficultatibus
implicari; &, quos amicos putabat, eos ho-
stes experiri; ab iis vinci; à suis, qui priùs mo-
rem illi gerebant, deseri, vt diuinæ Legi ob-
temperent. Illustremus hoc exemplis. Va-

lens Imperator Arianus vnum è militiæ suæ ducibus, Traianum nomine, virum Catholicum, in Gothos cum exercitu misit: quem, postquam ab hostibus superatus reuertit, Valens conuiciis lacerare, eique mollitiem ignauiamque obiicere cœpit: at ille libera voce, vt generosum virum decebat, *Non ego*, respondit, *ô Imperator, victus sum sed tu ipse victoriam perdidisti, qui contra Deum aciem instruere non desinis, & ita eius auxilium barbaris concilias.* Ferunt etiam Isacium Monachum, virum sanctum, eidem Valenti contra Gothos cum copiis proficiscenti obuiam iuisse, & contenta ac libera voce dixisse: *Quò proficisceris, ô Imperator, qui auxilio Dei, quem contra bellum gesseris, prorsus destitutus es? idcirco ille barbaros aduersus te concitauit, quoniam tu multorum linguas ad blasphemias aduersus eum loquendas exacuisti, & pios, eum laudibus celebrantes, Ecclesiis exturbasti. Desine igitur tu bellum contra eum facere, & ipse bellum contra te cōmotum sedabit.* Valentinianus Iunior, à Iustina matre deceptus, Arianis fauit; nec aliā ex eo fructum retulit, quàm quòd compulsus est, Mediolano profugere: Maximus enim tyrannus, qui se Imperatorem appellabat, illum persequebatur. quod cùm Theodosius resciuisset, scripsit ad Valentinianum, non debere eum mirari quòd sibi Imperatori terror incussus fuerat, & robur tyranno adiunctum: nam Imperatorem pietatē armis oppugnasse, ty-

Hist. trip. libro 8. c. 13. Theod. lib. 4. c. 29.

Idem lib 4. c. 30. Niceph. lib. 11. c. 50. Metaph. in Vita Isacij.

Theod. lib. 5. c. 14. & 15. Car. Sigon. lib. 9. de Occid. Imp.

se, tyrannum autem eandem defendisse: atque illum, hac prodita, inermem in fugam coniectum; hunc, ea veluti armis munitum, eum illa nudatum deuicisse: pietati enim eius latorem fauere. Zeno Imperator reprehensus à Deo seuereque castigatus est, quòd legem conciliatricem tulisset, qua nitebatur Catholicos cum hæreticis ad cōcordiam reducere, & commenticia falsaque pace cōiungere duas res ita contrarias, vt nullo fœdere copulari queant. Cùm Wenceslaus duodecimus Bohemiæ Rex, falsa politici status ratione delusus, hæreticis potestatem fecisset agendi quæ vellent; regnum eius tantis dissensionibus perturbatum est, fuerit vt necessariò ad arma, etiamsi tardè, recurrendum, vt se regnumque tueretur: verùm, ab omnibus suis desertus, vitam simul atq; regnum amisit. Boleslaus Poloniæ Princeps Prussis permisit, vt à Christiana fide, quam admiserāt, deficientes, ad pristinam idololatriam redirent; idq; fecit tum pretiosis muneribus, quæ ab eis accepit, delinitus; tum quia Prussi pollicebantur se in fide eius permansuros. Sed quàm parum feliciter illi cesserit hęc politica permissio, diligenter notatum ab iis qui Polonicam historiam scripserunt. nam Prussi, sublatis animis, in illum arma sumpserunt, eius exercitū fuderunt atq; profligarunt, magna strage facta præcipuæ Poloniæ nobilitatis. multis præterea aliis calamitatibus in suo

Euag. lib. 3. cap 14.

Æneas Syl. hist. Bohem. c. 35. 36 37.

Cromer. l. 6. histor. Polo.

regno afflictatus est Boleslaus, vt illius peccati pœnas persolueret. Nicephorus Cōstantinus Imperator clàm fauebat Manichæis, & eorum impietatem dissimulabat: verùm, iusto iudice DEO tanti sceleris pœnas reposcente, à Bulgaris occisus est. Gisulphus Longobardorum Dux, quòd causa conseruandæ pacis in sua ditione Catholicos & Arianos quemque suis legibus ac ritibus viuere permisit, cum suis prœlio superatus ac cæsus est à Caiano Auarorum Rege, qui Forum-Iulium vastauit, & Romildam Gisulphi coniugem, quæ spem coniugij secuta vrbem hosti tradiderat, probro affectam ac constupratam palo per pudenda adacto defixit. Deus enim, qui fidele ac syncerum obsequium sibi à Regibus exhiberi vult, Principes hoc tam acerbo Gisulphi supplicio cautiores effici voluit. qui non sine causa per Moysen suos ita alloquitur: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum.* In libris etiam Regum de Samaritis dicitur, eos Dominum simulque vanos ac inanes Deos coluisse; de quibus postea subiungitur: *Et immisit in eos leones, & ecce interficiunt eos, eò quòd ignorent ritum Dei terræ.* Quæ cùm ita sint, meritò sanè præclara & Galliæ regni caput vrbs Lutetia Parisiorum loco insignium habet antiquam hanc inscriptionem: *Vnus Deus, vnus Rex, vna fides, vna lex.* quem titulum voluit in pu-

Paul. Diac. lib. 24.
Sab. Enn. 8. cap. 6.
Car. Sigo. de regno Ital. lib. 2.
Genebr. in Chron. ann. 607.
Num. 16.
4. Reg. 17.
Genebr. in Chron. pag. 562.

in publicis locis ſcriptum, in parietibus ſcul-
ptum, in vitreis feneſtris depictum, in tape-
tibus contextum. Et certè tam graue ac de-
teſtandum ſcelus eſt eorum Principum, qui
hæreſes erroresque diſſimulant, ſeque igna-
uos in rebus ad Religionem pertinentibus
præbent, & in iis tollendis, quæ ſuis popula-
ribus offendiculo eſſe vidēt, ſocordes ac lan-
guentes, vt in Eccleſiaſtico Spiritus ſanctus,
de Regibus Iudæ loquens, his verbis magna *Eccl. 49.*
conſideratione digniſſimis vtatur: *Præter Da-
uid, & Ezechiam, & Ioſiam omnes peccatum com-
miſerunt: nam reliquerunt Legem Altiſſimi Reges
Iuda, & contempſerunt timorem Dei. dederunt e-
nim regnum ſuum aliјs, & gloriam ſuam alieni-
genæ genti.* Quæ verba non exiguam habent
admirationem. ſcimus enim Dauidem atq;
Ezechiam in grauiſſima peccata prolapſos:
nam Dauid adulterio homicidium adiun- *2. Reg. 11.*
xit; Ezechias verò, inani gloria ductus, the-
ſauros ſuos Babyloniis oſtendit; & eam ob *Iſaia 39.*
rem vterque Deo pœnas exſoluit: & tamen
ſacræ Paginæ teſtantur, eos non peccaſſe. ve-
rùm hæc ideò Spiritus ſanctus dicit, quòd
Dauidis & Ezechiæ facinora, licet admodum
grauia, non videantur in peccatis numeran-
da præ deteſtabilibus eorum Regum ſceleri-
bus, qui vel fuerunt ſimulacrorum cultores,
vel inanem idolorum cultum permiſerunt,
& in eis, quæ pertinēt ad veram Religionem,
ſegnes ſe, inertesque præbuerunt. Nō igitur

non peccârunt Dauid & Ezechias Reges, ſed non peccârunt in Religione, veroquo Dei cultu; quem vel neglexiſſe, præcipuum crimen eſt. Quàm igitur graue, quàm exſecrandum videbitur Deo rerum æſtimatori æquiſſimo ſcelus illud, cui ſi conferantur adulterium, homicidium, ſuperbia, ſeu vaniſſima oſtentatio & inſolentia, in peccatorum numero non reponuntur.

CAPVT XXIX.

Quas pœnas Deus repetat à Principibus & Rebuspublicis hæreſi infectis.

SI deteſtabile crimen in conſpectu Domini eſt hæreſes permittere, & ea non tollere, quæ Rempublicam à diuini Numinis vero cultu & ſanctiſſima Religione cohibent aut retardant, vt ſuprà declaraui: quantũ ſcelus exiſtimari debet, ſi quis exemplo ſuo leuiſſimis concionatoribus, minis, ſuppliciis, ac tormentis plebem, à vera Religione deductam, ad ſequendũ Belial impellat! qui fidelibus, quos tutari ac defendere debuit, offenſionis ac ruinę cauſa eſt! quo ſupplicio dignus cenſeri debet Princeps qui ſub nomine Chriſtiano bellum Chriſto infert! qui, filium Eccleſiæ ſe vocans, faces flammasq; Eccleſiæ admouet! Plenæ ſunt hiſtoriæ exemplis Principũ qui ob hæreſes grauiſſimas pœnas Deo dede-

Vide Thom. Boſ. de ſign. Eccl. libro 5. c. 11 ſig. 16.

dederunt, & principatibus ac imperiis orbati vitam miserrimè finierunt: quos omnes hoc loco commemorare mihi propositũ non est, nec referre Constantij aut Valentis Imperatorũ calamitosos exitus; nõ Hunerici Wandalorum Regis; non Basilisci capitalis hostis Concilij Chalcedonensis, quem Zeno imperio priuauit; non Zenonem ipsum, qui suę coniugis iussu viuus humatus est; non Heraclium, qui Catholicus ac fortis Princeps initiò fuit, sed posteaquam in hæresim incidisset, facta plurium ac nobilissimarum Orientis prouinciarum iactura, obscœno morbi genere infeliciter absumptus est.

Zon. tom. 3.
Ibidem.
Zon. et Pau. Diac. lib. 7. cap. 1.

Tacebo etiam de Anastasio, cui per quietem seueri ac terribilis viri species obiecta est, librũ in manu tenentis & aperientis; qui, cùm in eo libro Anastasij nomen inuenisset, ad illũ conuersus, *Propter errores*, ait, *tuos, & deprauatam fidem, è vita tua quatuordecim annos demo*: quos illicò erasit, nec multo pòst fulmine ictus Anastasius interiit.

Car. Sigon. lib. 7. de imper. Occid.

Non commemorabo etiam Constantinum Copronymum, cui tam graue vulnus, insanabilemque plagam inflixit DEVS, vt contenta voce atque eiulatu clamaret, *Æterno, & nunquam exstinguendo trador igni.* Nihil dicam de Philippico Iconomacho, qui de imperio depulsus fuit, eiusque nomen è nummis abrasum, è publicis tabulis deletum, ex aliis monumentis reuulsum, & ex officio Missæ liturâ sublatum.

Sigeb. anno 776.

Nihil de Leone Imperatore, cui Occidentis imperium ablatum est, data Gregorio III. summo Pontifici iustissima causa, vt illud à Græcis ad Germanos transferret. Nihil de Georgio Pogibrachio, qui in pertinaci sua contumacia & perfidia obstinatus, excommunicationis fulmine percussus est, tandemque regno ac vita priuatus. Quod idem propè nostra memoria contigit Christierno Daniæ Regi, qui Catholicæ Religionis desertor regno pariter ac libertate fuit spoliatus. His exemplis tam multis & notissimis prætermissis, id vnum dumtaxat addamus, præter miserandos exitus, quos demonstraui malis Principibus Deo vindice contigisse, eodem etiam vltore grauiter regna & prouincias puniri, in quibus Princeps improbus errores atque hæreses impiè fouet, easque de industria permittit, vel negligentia, incuria, & dissimulatione sustentat; quod exemplis, quæ mox subiiciam, fiet manifestum. Gothi principiò fuêre Catholici: itaque ex eorum Episcopis vnus, cui nomen Vlphilas, Concilio Nicæno interfuit. Hic, à nonnullis Arianis seductus atque deprauatus, Gothis venenum erroris instillauit; vixq; satum fuit hoc malum, cùm simul dissensionum & diuisionum causa creuit; quo factum est, vt Hunni in Gothos irruperint, eosque victos è terris, quas occupârant, & possidebant, deturbauerint. Quando iidem Gothi sub potestatem

Iouius l. 7. de Vir. illust.

Geneb. ann. 1532.

Car. Sigon. lib. 8. de imper. Occid.

testatem suam Hispanias redegerunt, eas hæretici Priscillianistæ corruperant, & inibi magna auctoritate dominabantur; vt ex historia Seueri Sulpicij, & epistola quadam Leonis primi, perspicuum est. Quo tempore VVandali Africam oppresserunt, eam Donatistæ deprauauerant. Gallias etiam infecerat hæresis Vigilantij, cum validus Francorum exercitus irruptionem in eas fecit. Atque eos ipsos Francos magna Religionis incuria ceperat, cùm Normanni bello victos domuerunt. Quid dicam de Britannia, quam nunc Angliam appellamus? Gildas scriptor perantiquus, & veritatis amantissimus, testatur per id tempus, quo Britanni Anglos, vt sibi contra Pictones ac Scotos essent auxilio, adsciuerunt, eam totam insulam hæresi Pelagiana corruptissimam fuisse; huiusque impietatis vindicandæ gratia permisisse Deum vt Angli in eos ipsos arma conuerterent, quibus auxilio venerant, deuictosque ex insula pellerent; quam postea de suo nomine Angliam appellauerunt. Tantum porro decursu temporis ibi creuerat errorum colluuies, vt, quo tempore S. Gregorius Pontifex Augustinum cum aliquot Monachis sociis in Angliam ad propagandam Catholicam fidem destinasset, inuentis nouem hæreticis Episcopis, nullum Catholicum repererit. Cùm Alboinus Longobardorum Rex, Italiam ingressus, Venetias, Liguriam, & Galliam Cisalpinã (quæ

Seuer. Sulp. lib. 2. hist. sacra.

S. Leo epistola 93.

nunc ex illorum nomine Longobardia dicitur) occupauit, illæ Regiones multis erroribus ac hæresibus redundabant, & in Concilium Constantinopolitanum ac Chalcedonense admodum erant contumaces. Quid illa memorem infelicia ac tristissima tempora, quæ orbis terrarum exitium atque perniciem Mahometum nobis dederunt? quot errores atq; hæreses contra Catholicam Religionem illis temporibus toto Oriente vigebant? nam Heraclius Imperator, hæresi infectus, beneuolum se ac fauẽtem præbebat impietatis sectatoribus, neque ab eis huius sceleris pœnas reposcebat. Et, vt hoc caput concludã, vrbs Constantinopolis capta est euersaq; à Turcis anno nostræ salutis millesimo quadringentesimo quinquasimo tertio, eo ipso tempore, quo vita functis Palæologo Imperatore, & Patriarcha Constãtinopolitano, (qui non multo antè in Conc. Florent. ad vnitatem Ecclesiæ Romanæ se aggregarant) & neglectis sanctissimi Concilij Florentini decretis, Græci, à suo capite diuulsi, à Deo etiã Opt. Max. defecerant. Quàm diu enim in Græcia floruit Religio, tam diu floruit imperium; & Religione deficiente, defecit quoque imperium, in eiusque locum seruitus, captiuitas, strages, ruina, calamitas subintrarunt. Nostra ætate Liuonia Prouincia, quæ militibus S. Mariæ, quos Teutonicos vocãt, parebat, venit in potestatem Moschouitarũ,

anno

anno post Christum natum 1558. cùm non multo antè à Catholica Religione defecisset, & Lutheranæ prauitatis incendio deflagrasset. Hungariam præterea & Transyluaniam huius veritatis certissimos testes habemus: quã hactenus vidimus confirmatam in Litteris sacris auctoritate Spiritus sancti; testimoniis sanctissimorum & sapientissimorum Patrum; exemplis nobilitate & pietate præstantissimorum Principum; suppliciis & pœnis quas Deus ab iis exegit, qui, ab eius tramite deflectentes, per obliquos atque contortos viarum anfractus incedendum sibi existimarunt; denique ratione & experientia, quibus docemur Christum cum Belial, Catholicum cum hæretico conuenire non posse; nec perturbationibus ac discordiis immunem fore ciuitatem ac rempublicam, in qua licet cuique quam volet pro sua libidine Religionẽ amplecti; nec debere Christianum Principẽ in suis regnis effusæ licentiæ & libertatis conscientiæ frena laxare, si ea conseruata cupiat, & debitum Christiano Principe munus persoluere. Hæc sunt quæ in re proposita Christiana Religio nos docet; nec Religio tantũ, sed & recta ratio, quam secutus Mæcenas, Augusto Imperatori gratus & perfamiliaris, ei auctor fuit, Dione teste, ne permitteret aut introduci aut Romæ externos Deos coli; & acerrimè in eos animaduerteret, qui sectas alienas sectabantur: sic enim fore *Dion. l.52.*

Vt

vt omnes ad Romanum Deorum cultum se fingerent atque conformarent. cuius sui cõsilij eam causam adferebat, quòd hæc res ad imperij pacem ac securitatem pertineret. Sed iam reliqua videamus, exquiramusque quonam modo Religio Principes admoneat vt Ecclesiæ pœnis & censuris se submittant, si quid aliquãdo vt homines admiserint, quod castigatione dignum sit.

Capvt. XXX.

Religionem Christianam docere Principes quid illis agendum sit, cùm in graue peccatum prolapsos Ecclesia castigat.

MONET hæc eadem Religio Christiana Principes, vt si quando, vt homines sunt, in graue crimen inciderint, peccatum agnoscant, & animi magna submissione se decretis ac censuris Ecclesiæ subiiciant; intelligantque ne tantillum quidem de dignitate atque auctoritate sibi decedere, si se demiserint, fuerintq; cũ cæteris etiã subditis in pœnitentia pares, cum quibus culpa fuerunt æquales. Terrestris potestas ac magnitudo omnis in Dei conspectu fæcis & quisquiliarum instar est. Itaque qui Deum in eius ministro agnoscit & intuetur, facili negotio se illi submittit, & eius obiurgationem animaduersionẽque lubens amplectitur; sciens quòd

quòd quanto humiliùs ſe Dei cauſa abiecerit, tanto ſublimiùs ab eodem proueheretur & efferetur. Quod Dauidem permouit vt luce palam ante Arcam Domini exſultans & geſtiens ſaltaret, & coniugi ſuæ Michol factũ hoc exprobranti reſponderet: *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs quàm patrem tuum, & quàm omnem domum eius, & præcepit mihi vt eſſem Rex ſuper populum Domini in Iſrael & Iuda; & vilior fiam plus quã factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es, glorioſior apparebo.* 2. Reg 6.

Qui idem Rex à Nathan Propheta reprehẽſus, crimen ſuum humiliter agnouit, & magna ſubmiſſione admiſſi facinoris pœnas ipſe à ſe vltro exegit; de quo ſic loquitur Ambroſius: *Peccauit Dauid, quod ſolent Reges; ſed pœnitentiam geßit, fleuit & ingemuit, quod non ſolent Reges.* Amb. Apol. 2. Dauid, cap. 3.

Huius rei exempla quædam habent hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Narrat enim Euſebius Cæſarienſis, Philippum Imperatorem Chriſtianum fuiſſe, & temporibus Fabiani Papæ ac martyris vixiſſe; cumque vellet die quodam in templum ingredi, non priùs à Pontifice permiſſum eſſe intrare, quàm publicè pœnitentiam egiſſet, ob multa delicta quæ ab illo fuerãt admiſſa: Imperatorem autem alacri & libenti animo Epiſcopo morem geſſiſſe, & ingenuam modeſtiam atque religioſam piamque affectionem, Dei timore incitatam, reipſa declaraſſe. Huius porro Euſeb. l. 6. cap. 29.

pœni-

pœnitentiæ ritus hic erat: errorem publicè fateri, ante fores Ecclesiæ seorsum à cœtu fidelium in ordine pœnitentium stare, &(vt ait Tertullianus) sacro cineri incubare, corp⁹ sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quę peccauit, tristi tractatione mutare, Presbyteris aduolui, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ iniungere. Quin etiam ex Theodoreto colligi potest, solitum pœnitẽtem vinculis deuinctum ac constrictum in Templum venire, in eum scilicet modum quo sontes se Iudici sistere consueuerunt. Quòd si quis sigillatim quæ fieri solerent à pœnitentibus nosse cupit, cõsulat Robertum Bellarminum, qui pro more suo hæc diligenter & eruditè pertractat. Peruulgata est atque celebris historia Theodosij Imperatoris, Principis non minus Religione & in Ecclesiam pietate ac obedientia clari, quèm excelsi atque inuicti animi magnitudine triumphisq; illustrissimi. Huic post immanẽ Thessalonicensium occisionem & cædem, ira ob improbè necatos Præfectos stimulante perpetratam, Mediolanum reuerso, &in sacrum Templum properanti, Ambrosius, summa constantia & sanctitate Pontifex, extra sacra vestibula obuiam processit, atque grauissimis verbis, maiestate quadam plenissimis, eum aditu Templi tam diu prohibuit, quoad agnitam culpam, pœnitentiæ lacrymis obli-

Tertul lib. de pœn.

Theod.

Tomo 2. de pœn. lib. 1. cap. 22.

Paulin. in eius Vita.

obliteraſſet. Cui obſecutus Imperator ab ingreſſu ſacrarum ædium ſe abſtinuit; & ad palatium cum gemitu & lacrymis regreſſus, in luctu ſqualoreque per octo menſes fuit; & errorem ſuum ac facinus tot lamentis tantoq; dolore deteſtatus eſt, vt, qui Theodoretum rem geſtam ſigillatim enarrantem attẽtè legit, non mediocriter obſtupeſcat, ſeq́; ad pietatem vehementer excitari ſentiat : cuius narrationis quædam tantum capita, ne ſingulis recẽſendis ſim prolixior, attingam. Refert igitur hic hiſtoricus, quodam die, cũ Imperator conſideret in palatio lamentis ſe dedens, Ruffinum aulæ magiſtrum, magna apud eũ auctoritate, vtpote admodũ familiarẽ, ad eum acceſſiſſe, fletuſq; cauſam rogaſſe; cui Imperator lugens acerbiùs, ac maiorem in modum flens, in hæc verba reſpondit: *Tu quidem Ruffine, ludis; nam quantis ipſe in malis verſer, non ſentis: ego verò gemo, & meam ipſius deploro calamitatem, dum mente complector quã facilis aditus ad ſacrum templum ſeruis & mendicis pateat, liberque illis ad Dominum ſuum deprecandum detur introitus; mihi autem non modò ad illum locum, verùm etiam ad cælum ipſum acceſſus præcluſus ſit. Nam venit mihi in mentẽ ſententia à Domino prolata, qui palam dixit: Quodcumque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis.* Ad quem cũ Ruffinus, Currã, ſi placet, ad Epiſcopum, eique ſupplicabo perſuadeboque vt te abſoluat; *At non eſt*, inquit Impe-

Theod. l. 5. cap. 17.

Matth. 18.

Imperator, *tibi morem gesturus: noui enim adeo iustam æquamque Ambrosij sententiam, vt non metu potestatis Imperatoriæ sit Legem diuinam violaturus.* Tandem, dilapso octo mensium spatio ad ianuam templi se confert Theodosius, non vt templum ingressurus, sed obsecraturus Ambrosium vt sibi peccatorum veniam misericorditer impertiret. At Ambrosius eius aduentum dixit esse tyrannicum, eumque ipsum contra Deum insanire, & illius leges proterere. Tum Imperator: *Non obstinato animo leges sancitas impugno, neque sacra vestibula per nefas introire cupio, sed oro vti mihi soluas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiam illius, qui est Dominus omnium; ne mihi occludas ianuam, quam ille omnibus, quos peccatorum suorum pœniteat, patefecit.* Cui Ambrosius: *Quam tu* (inquit) *pœnitentiam post tã graue scelus admißum ostendis? quæ medicamenta ad vulnera tam difficilia curatu sananda adhibuisti? Tuum est*, respondit Imperator, *medicamanta ostendere, eaque temperare, & vulnera, quæ ægrius curantur, obligare; meum autem, quæ sunt adhibita, accipere.* Cùm ergo, omnibus sancti & inuicti Antistitis hortationibus in aures ac animum admissis quæcumque sibi mandata essent, lubens fecisset; vinculis solutus in sanctum Templum ingreditur fidelissimus Imperator; nec stans, aut genu nixus, sed pronus humi abiectus, capillum manibus lacerans, frontem ferire, lacrymarum guttis

guttis solum rigare, veniamque supplex petere cœpit, versum illum Dauidis recitans: *Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundùm verbum tuum.* Psal. 118.
O te Principem verè gloriosum, & clarissimum Imperatorem, qui probè cognitam ac perspectam Dei maiestatem habens, atque eius ministris iure debitam obedientiam, terreni principatus sublime culmen & omnem imperij gloriam atque amplitudinem illis submittendam esse prudentissimè iudicasti! Quisquis profectò hoc egregium factum debitè ponderauerit, & æquissima trutina ac lance examinauerit, sine controuersia existimabit Theodosium longè illustriori victoria potitum, cum seipsum vicit, & pia animi submissione ac religiosa obedientia de se triumphauit, quàm cùm superatis & sub iugum missis hostibus toties trophæa monumentaque victoriæ erexit. Habuit enim Theodosius Imperatores plurimos socios gloriæ ex perduellibus partæ, sed paucos eius laudis quam gignit sui victrix obedientia. Quare, sicut optimè ait D. Augustinus, *Propterea voluit Deus vt Theodosius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conspectu populi, maximè quia peccatum eius celari non potuit: & erubescit senator, quod non erubuit Imperator? erubescit nec senator, sed tantùm curialis, quod nō erubuit Imperator? erubescit plebeius, siue negotiator, quod non erubuit Imperator?* Sed ab hoc tam illustri exemplo, cuius nos clari- Aug tom. 10. hom. 49.

tas ac præstantia paulisper demorata est, ad alia transeamus.

Capvt XXXI.

Plura in eandem rem proferuntur exempla.

Otho tertius Imperator Crescentium nobilem & primarium virum, quòd Pontifici infestus vim & arma intulisset, occidi iussit, cui tamen vitam & salutem spoponderat: quod suum scelus cùm ad pedes S. Romualdi Abbatis, ea tempestate sanctitatis opinione celeberrimi, prostratus in sacra confessione retexisset; satisfactionis & pœnæ nomine iussus est nudis pedibus in Garganum proficisci montem, in Apuliæ prouincia regnoque Neapolitano situm, vbi Michaëlis Archangeli memoria, propter maxima ab ipso eo in loco accepta beneficia, piè frequentatur & colitur. Paruit mandatis Imperator, & per quadraginta dies solemni ieiunio destinatos, horrido atque aspero sacco indutus, duro in strato cubauit, aliisque pœnitentiæ operibus corpus afflxit: vt eius temporis scriptor grauissimus Petrus Damianus Cardinalis in vita S. Romualdi (ex quo etiã traxit Surius) refert. Eius quoque meminit [a] Carolus Sigonius. De [b] Othone IV. Imperatore, qui ab Innocentio III. Pontifice fuit anathemate percussus, ac imperio deturbatus, id memoria dignum narrat Albertus Crantzius, Germanus scriptor: eũ ex quo Ecclesiam

Sur. tom. 3. 19. Iunij.
a *Lib 7. de reg. Italiæ.*
b *Sig. l. 16. de reg. Ital.*

clesiam oppugnauit, nec quietè in pace, nec feliciter fortunatèque vixisse, mortique vicinum vehementer indoluisse; ac coquis suis iussisse vt iacentem stratumq; protererent & conculcarent, tamquam mortalium omniũ vilissimum & abiectissimũ. Henricus II. Angliæ Rex incautiùs locutus, occasionem dedit famulis quibusdã, proiectæ audaciæ hominibus, vt beatissimum Thomam Cantuariensem Archiepiscopum & Angliæ Primatem crudelissimè perimerent: & quamquam Rex id fieri non iusserat, & re cognita vehementer doluit, indignèque tantum facinus tulit; tamen tollendæ publicæ offẽsionis causa, & vt Ecclesiæ censuris subderet sese, pretiosa veste ornatuque regali deposito, publicam pœnitentiam egit, voluitque nudatum tergum flagellis populo spectante cædi, vt qui tamquam verus Ecclesiæ filius culpam agnosceret & defleret, matrisque censuræ ac correctioni se libens volensque submitteret; pluris existimans, esse se Ecclesiæ filium, quã regia Anglię dignitate præfulgere. Quod exemplum cum sit cognitu dignissimum, & magnam admirationem adferat, huc adducam iisdem verbis & circumstantiis descriptum, quibus scriptor, qui ea ætate vixit, depinxit. Sic igitur habet: Rex, cùm Cantuariam venisset, ab æde Beati Dunstani vsque ad summum Templũ, in quo S. Thomas conditus est, nudis pedibus & commu-

Euerard. in Vita S. Thomæ.
Guil. Neub. & Sur. tom. 6. 29. Decemb.

ni veste lacrymabundus ingrediebatur, non viarum asperitate, non pedum teneritudine retardatus, Vbi ad Ecclesiæ fores venit, procidit, & adorauit: porro ingressus locum illũ in quo vir beatus occisus est, lacrymis infundit: deinde, dicta confessione coram Episcopis, cum multo tremore ac reuerentia accessit ad loculum martyris, atque illic toto prostratus corpore, quos gemitus, quæ suspiria ediderit, quos lacrymarum profuderit imbres, dici satis non potest. Deinde exteriori veste se nudans, scapulas & caput in tumuli fenestram magna humilitate submisit, ita vt omnes eo spectaculo ad lacrymas permouerentur: primòque ab Episcopis quinquies cæsus est, deinde à Monachis, ampliùs octoginta, ternos accepit ictus, atque ita sollemniter absolut⁹ est. Post hæc nuda humo residens, nudis pedibus, vt venerat, atque ieiunus totam noctem exegit. Pro qua tam eximia pietate ac pœnitentia multis à Deo muneribus affectus est, atque S. Thomæ martyris meritis insignem aduersus hostes est adeptus victoriam, vt auctores sunt Eduardus in vita S. Thomæ Cantuariensis, & Guilielmus Neubrigensis in sua rerum Anglicanarũ historia, scriptores Angli, qui sub Henrico Rege floruerunt. Huic exemplo iũgamus aliud, Edgardi Angliæ etiam Regis. Hic insano amore obcæcatus, oppressa per vim sacrata virgine, turpi sacrilegij scelere se obstrinxit:
cum-

cumq́; de more patriæ dexteram ſuam Dunſtano Cantuarienſi etiam Archiepiſcopo honoris gratia porrigeret, noluit Antiſtes extēſā ſua ſcelere violatam complecti, iuſſitque vt ſeptem annis diadema regium capiti nō imponeret, & ſacris virginibus Monaſterium exſtrueret: quæ, dicto obtemperans, libens perfecit. Ioannem etiam eiuſdem Inſulæ Regem, quòd Eccleſiæ miniſtros malè acciperet, & Templis auara cupiditate grauis eſſet, ſummus Pontifex à ſacrorum communione ſemouit: & quamquam obſtinatior principiò parêre noluit, poſtea tamen, cùm populares vi cenſuræ adductos à ſuo conſortio cerneret cœtuque diſcedere, manus dedit, &, collo ſub iugum miſſo, imperata exſecutus eſt: tametſi, cùm ſe ſacris vinculis ſolutum videret, ad eaſdem iniurias rediit; ob quas acerbiſſima quæque perpeſſus, miſerādum in modum exceſſit è vita. Petrus Aragonum Rex, qui in Siciliam accitus Gallos ex eo regno deiecerat, à duobus ſummis Pōtificibus, Martino quarto & Honorio quarto, piorum communione priuatus eſt; quòd ius & dominium regni ad Eccleſiam pertineret, & illud contra Pontificum, qui tunc Eccleſiæ præerant, voluntatem in ſuam poteſtatem redegerat. qui cum in extremum vitæ diſcrimen incurriſſet, adeſſentque Antiſtites non pauci, multique Religioſi, atque Primarij regni, coram omnibus dixit,

Polyd. Virg. hiſt. Angl. lib. 15.

Hier. Surit lib 4. ſuorū Annal. c. 35.

illud quidem numquam sibi propositum fuisse, vt Ecclesiæ molestiam vllam aut iniuriam exhiberet, vel quidquam faceret quod mereretur tam grauem & seueram sententiam in se ab Apostolica Sede prolatam; tamen se, quod tamquam fidelis ac Catholicus Princeps nosset anathematis sententiam iustè iniustève latam timendam esse, propterea mandasse vt in suo regno inuiolatum seruaretur Apostolicæ Sedis interdictum. Deinde summo cũ Religionis & pietatis affectu rogauit Tarraconensem Archiepiscopum, vt ab excommunicationis vinculo absolueret, paratum atque expeditum vel ad fidem regiam obligandam, sanctèque iurãdum se in eo mansurum, ꝙ iuris æquitate seruata super ea re Sedes Apostolica statuisset; vel ad conueniendum summum Pontificem, facti sui vt rationem reddat, innocentiamque testetur. In quo non minùs se matris Ecclesiæ filium obsequentem ac humilem præbuit, quàm in multis prœliis, quæ gessit, animosum inuictumque Principem declarauit. Philippus Franciæ Rex, repudiata Bertha vxore, Fulconi Andegauensium Comiti ereptam coniugem, nomine Bertrandam, quam miserè deperibat, in matrimonium duxit. Huic Pontifex iussit, vt, reiecta sceleris societate coniuncta pellice, vxorem reuocet, cum eaque legitimam vitam agat: cumque Regem vesano amore furentem, suique immemorem,

rem, multis remediis blandis pariter & aſperis fruſtra adhibitis, ad ſaniorem mentem reuocare, atque è regno tantam offenſionẽ tollere non poſſet; tandem Vrbanus II. Pontifex maximus, diris deuotum, excommunicationis pœna feriit, Galliſque præcepit ne Regi obediant. Rex inſanit, magna verborũ inſolentia diſceſſionem à Pontifice minatur: ſed nihil proficit. fingit ſe velle Pontificis leniendi & veniæ poſcenda cauſa Romam cõcedere: ſed vana fuit atque inanis eiuſmodi ſimulatio; nam Pontifex fortis & conſtans perſtitit in ſententia. Tandem Rex victus ſubmiſit ſe Eccleſiæ, eiuſque cenſuris eſt obſecutus, cum videret eas æquiſſimas eſſe, & tales haberi non ſolùm ab Epiſcopis & Eccleſiarum Præfectis, ſed etiam ab omnibus Ordinibus regni, qui propterea ſumma cum reuerẽtia iis obtemperabant. Ex quo ſatis intelligitur quantum virium habuit hic Eccleſiaſticus mucro, quantumque apud veros Eccleſiæ filios habere debeat; quemadmodum à Papirio Maſſonio in Annalibus Galliæ annotatum eſt, qui etiam hæc ſubdit: *Plus virium Religio quàm ſceptrum & diadema, & inuictum Regis nomen maieſtaſque, habuit.* Innocentius Papa Ludouicum ſeptimum Galliæ Regem Eccleſiaſtica ſententia à Chriſti corpore ſegregauit, & grauiſſimo regnum ipſum interdicto ſubiecit, vt non obedientem & præfractum contumacemque Regem

Maſſon. in Ann. Gall. lib. 3.

Idem ibid. in Lud ſept.

Bod. lib. 6. de Rep.

coërceret. Itaque tribus annis, quibus durauit interdictio, nullus Ecclesiasticorum inuentus est, qui Regẽ ad officia diuina admitteret, aut cælesti pane reficeret. Quanta fuit temporibus illis veterum Francorum religio! quanta pietas! quàm humilis obedientia! & quàm singularis in Apostolicam Sedem obseruantia! Quæ eadem religio, ac supremæ Sedis respectus, & iustus anathematis timor, Frederico Imperatori ab Ecclesia segregato, filiam tamen Ducis Austriæ in vxorem petenti, & Ducis voluntatem & illustris puellæ assensum preclusit: tanta erat censurarum Ecclesiasticarum æstimatio. Sed hanc tractationem claudat Boleslai Poloniæ Regis seuerior pœnitentia, qua se afflixit q; Sbignem fratrem iussisset interfici; quamuis cõtumacia, rebellione, & fastu fratris prouocatus, & concilio suorum, qui prudentia humana nitebantur, impulsus, hoc facinus Boleslaus admisisset. Verba quibus factum explicat Martinus Cromerus, Varmiensis Episcopus, accuratus & elegans rerum Polonicarũ scriptor, hęc sunt, à quibus nihil recedã: *Post hæc Boleslaus, quamuis magnis in ornatũ Tẽplorum, & in alimenta Sacerdotum atque egenorum, impendiis atq; donationibus, iugiq; precatione & lachrymis, & aspero tenuique victu & cultu corporis, cilicio pro veste vtens, & cinere sese adspergens, ægrotorumque mendicorum pedes subinde manibus suis abluens, admissum in Sbignem fratrem*

Sig. lib 18. de reg. Ital.

Lib. 5. hist. Polon.

fratrem facinus sedulò expiaret; cùm alijs satisfaceret: tamen ipse sibi non satisfaciebat, nisi & laborem longæ molestæq; peregrinationis adijceret. Itaque solemne Christianis quadraginta dierum ieiunium pane tantùm & aqua gustādis, cilicium indutus, cùm exegisset, paucis Sacerdotibus & aliis pijs hominibus comitatus ad Ægidij tutelaris Diui sui sepulcrum peregrinationem priuati habitus suscepit, atque id iter magna ex parte nudis pedibus confecit, nullum Templum, nullum Monasterium, nullum egentium domicilium, neminem denique Sacerdotem aut mendicū præteriens, quin liberalitatis & magnificentiæ quidpiam in eum depromeret. Narrat idem auctor, eum vere proximo in Hungariam ad D. Stephani sepulcrum alteram peregrinationem, eamque religiosè & pedestri etiam itinere, obiisse.

CAPVT XXXII.

Quàm metuenda sit excommunicatio.

ERIT fortè qui dicat: Quid se hi Imperatores & Reges potentissimi ita abiecerunt, & veluti coacti censuris & pœnis Ecclesiæ humiliter submiserunt, cùm non esset in hoc mundo inferiori, qui inuitos compellere posset, potentior? Cui ego tantæ submissionis causam fuisse respondeo, quòd infirmitatis humanæ conscij intelligerent, se, quamuis auro tecti, purpuraque fulgentes incederent, & apud omnes in honore essent,

tamen nihil aliud esse, nisi viles homunculos, ex cinere & luto cõpactos, superiori cuidam Regi subiectos, qui Rex Regum est, & Iudex viuorum æquè atq; mortuorum; qui,
Iob 12. vt loquitur Iob, *baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum*; qui, vt ait regius
Psalm. 75. Propheta, *aufert spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terræ.* Itaq; luce diuina collustrati, & auxilio cœlesti fortiores effecti, eidem Deo eiusque ministris tanquam patribus & Iudicibus se submittebant. Nouerant enim, cùm Superioribus Ecclesiasticis obtemperarent, morem se gerere immortali Deo, cuius illi vices ac locum obtinent. Propterea Sanctus Ambrosius ad Imperatorem Theodosium scribens, hortansque vt tot innocentium Thessalonicæ occisorum cædem pœnis spontè susceptis expiaret, cùm in medium aliquot Regum exempla protulisset,
Ambr. lib 5. epist. 28. eiusmodi eum verbis affatur: *Hæc ideo scripsi, non vt te confundam, sed vt Regum exempla prouocent, vt tollas hoc peccatum de regno tuo. tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tentatio, vince eam. peccatum non tollitur, nisi lachrymis & pœnitentia. Nec Ange-*
Matth. 28. *lus potest, nec Archangelus: Dominus ipse, qui solus potest dicere: Ego vobiscum sum, si peccauerimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat. Suadeo, rogo, hortor, admoneo, quia dolori est mihi, vt tu, qui pietatis inauditæ exemplum eras, qui apicẽ clementiæ tenebas, qui singulos nocentes non*
patie-

patiebaris periclitari, tot perijsse non doleas innocentes. Etsi in prœlijs felicissimè egeris, etsi in alijs quoque laudabilis; tamen apex tuorum operum pietas semper fuit. Id tibi inuidit diabolus, quod habebas præstantissimum. vince eum, dum habes adhuc vnde vincere possis. Noli peccato tuo aliud peccatum addere, vt vsurpes, quod vsurpasse multis officit. Hæc omnia D. Ambrosius ad Theodosium, quem postea vita functum idem Antistes miris laudibus extulit, dum de illo scribens hæc ait: *Dilexi vnum, qui magis arguentem, quàm adulantem probaret. strauit omne, quo vtebatur insigne regium, defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat: gemitu & lacrymis orauit veniam. quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam; neque vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Arcadius Imperator, Theodosij filius, paternum exemplum magna cum gloria secutus est. Arcadiũ enim, eiusq; coniugem Eudoxiam, Innocentius primus anathemate damnauerat, damnationis sententia grauissimis hisce tremendisque verbis in eos pronuntiata: *Itaque ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli creditus est, segrego & eijcio te & Eudoxiam à perceptione immaculatorum mysteriorũ Christi Dei.* Quo excommunicationis gladio vulneratus Imperator, non insolenter se gessit, nec in ferientem accẽsus est, sed humiliter submisit, Pontificisq;

Ambr. Ora. in fun. Theodos. tom 2.

Gennad. Niceph. & Glycas. Bar. tom 5. anno 407.

corre-

correptionem admiſit, ad eumque datis litteris, facti ratione cum aliqua ſatisfactione reddita, veniam poſtulauit, tantaque modeſtia, obedientia, ac pœnitentiæ ſignificatione à vinculis abſolui petiit, vt dignus habitus ſit, qui Eccleſiæ fideliumque ſocietati redderetur: etiamſi paucos poſt menſes Imperatrix vita functa ſit, & Arcadius non diu ſuperfuerit. Atque hinc fortaſſe factum eſt, vt Theodoſius, Arcadij filius, ac magni Theodoſij nepos; tam ſingulari fuerit in Eccleſiam pietate, & hanc à cœtu fidelium diſtractionem tam vehementer reformidârit. Nam cùm quidam vitæ monaſticæ cultor, ob negatam, quam importunè rogabat rem quampiam, temerè eum communione priuaſſet, non priùs capere cibum voluit, quàm Epiſcopus ſignificaſſet, non eſſe cur ſententiam, quæ nulla eſſet; timeret, & multo labore, qui eum ligauerat, inquiſitus abſolueret. Et quanquam videri cuipiam poteſt, Theodoſium vanis quibuſdam animi anguſtiis & inani ſcrupulo ita timuiſſe: tamen egregiam hanc viri reuerentiam, & ſanctum timorem, quo cenſuras Eccleſiæ gladiumque metuebat, tam cumulatè rependit Deus, vt in tutelam ſuſceptum, præſidiiſque firmiſſimis munitum, aduerſus gentes barbaras, quæ in illius perniciem conſpirauerant, ſignis, portentis, prodigiis, defenderit, cælo vel in fugam acto (vt poſtea referam) hoſtium exercitu.

Tripar hiſt. lib 10.c.27.

Theod lib 5. cap.36. Niceph. lib. 14.c.4. Bar. tomo 5.

citu. Vt igitur eò redeam, quod initio huius capitis proposui; contemptus sui, & vilissimę naturæ cognitio, & iusta censurarum æstimatio ac timor, causa erant tam piæ & humilis Principum submissionis: & meritò quidem; nam nemini dubium est, quin excommunicationis gladius neruus sit (vt ait Concilium Tridentinum) Ecclesiasticæ dis- *Sess. 25. c. 3.* ciplinæ, & ad continendos in officio popu- *de refor.* los valdè salutaris. Vt enim præclarè ait Cy- *Cypr. libr. 4* prianus, *Interfici Deus iussit Sacerdotibus suis non* *epist. 62.* *obtemperantes, Iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes: & tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc etiam circumcisio carnalis manebat; nunc autem, quando circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei seruos cœpit, spirituali gladio superbi ac contumaces necantur, dum de Ecclesia eijciuntur.* Eam ob causam Tertullianus *Tertull.* excommunicationem vocat *Diuinam censuram, summumq́; futuri iudicij præiudicium.* Origenes verò affirmat excommunicatum Satanæ comparari. Multi præterea sanctissimi & præstantes Ecclesiæ Doctores mirè exaggerant, quanta, & quàm timenda sit excommunicatio, ac inter cæteros sic loquitur Au- *Aug. libr. 1.* gustinus: *Illud enim quod ait Dominus, Si nec* *cont. aduers.* *Ecclesiam audierit, sit tibi tanquam ethnicus &* *Leg. & Pro-* *publicanus; grauius est, quàm si gladio feriretur, si* *phet. c. 17.* *flammis absumeretur, si feris subijceretur.* Quæ si puris perpurgatisque oculis contemplaremur, & quibus oportet rationum momen-

tis

tis ponderaremus, intelligeremus profectò ab odio & indignatione diuina, quam peccato incurrimus, & à lethali crimine (quod iustè latã excommunicationem præcedat oportet) nihil anathemate magis metuendũ, nihil magis esse fugiendum. Nam excommunicationis gladio ab Ecclesiæ corpore, tanquam putrida & arentia membra resecamur ac diuellimur, ab fidelium & fratrũ nostrorum communicatione disiungimur, Ecclesiæ sacrificiis & suffragationibus priuamur, aliisque donis cœlestibus excludimur, quorum participes sunt ij qui cum Christo in Ecclesiæ corpore vinculo fidei, & caritatis nexu, coniunguntur. Ob scelus Achami, qui pacti præuaricator sacrilega surreptione anathema incurrerat, comminatus Deus Iosue.

Iosue 7.

sic ait: *Non ero ampliùs vobiscum, donec conteratis eum, qui huius sceleris reus est.* Anathematizare autem, si vim nominis spectes, est solemnibus verbis & ritibus excommunicare: nam Græcis anathema significat rem seposi-tam & asseruatam, quam nefas est tangere. Idcirco quod Deo consecratum ac dicatum est, Anathema dicitur, tanquam segregatum quid, & Deo reseruatum, quod in communes & profanos vsus non licet assumere. Is etiam qui excommunicatus est, vocatur Anathema, quoniam ab hominum communicatione separatur & repellitur, Satanæque mancipatur, vt cum illo cæteris nulla sit societas:

Vide interpretes in hũc locum.

cietas:

cietas. Nec desunt Doctores Ecclesiæ, qui te-
stantur excommunicatos initio nascẽtis Ec-
clesiæ à dæmonibus obsessos, & miris modis
vexatos fuisse, vt seipsos recognoscerent, &,
quemadmodum Apostolus Paulus loqui- *1. Cor. 2.*
tur, vt spiritus saluus fieret.

CAPVT XXXIII.

Quàm graue duxerint Gentiles, à rerum sacrarum vsu separari.

NEQVE verò Christiani solùm segrega-
tionem hanc & quasi diuisionem ana-
thematis mucrone factam semper exhorrue-
runt, sed etiam Iudæi & Gentiles in grauissi-
mis suppliciis habuêre, si cui nefario ac im-
pio homini sacris rebus interdiceretur: quem
non secus ac tetram pestem fugiebant & ex-
secrabãtur. Romani proditionis damnatum *Duar. de sacr. Eccles. minist. l. 1. cap. 3.*
igni & aqua interdicebant: aquæ verò & i-
gnis appellatione reliqua etiam intelligebãt,
quæ ad vitã hominis necessaria sunt. Quem
morem à Græcis acceperunt, apud quos so-
lebant ij, qui graue scelus in Rempublicam
admisissent, compitis, delubris, & sacrifi-
ciis arceri. Athenienses nonnulla solitos san-
cire publicis exsecrationibus, testis est Ci- *Cic. 3. Offic.*
cero: cui etiam rei destinatum Templum *Hesych. in Leuit.*
habuêre, vt tradit Hesychius; cuius etiam
meminit Aristophanes. Ex Plutarcho disci- *Aristoph. in Horis.*
mus, eosdem Athenienses post Socratis cæ- *Plut. opusc. de inuid. & odio.*
dem, in eos qui falsò sapientem virũ accusa

uerunt

uerunt, odio exarsisse tam acerbo, vt ab illis discederent, illorum aditum sermonemque refugerent, donec in desperationem acti, & doloribus extabescentes, vitam miserrimè finirent. Diuinus Plato libro de Legibus nono, inter alia genera suppliciorum, quæ in parricidam statuit, eum sacris arcendum edicit: qui verò cum huiusmodi nefario cibum sumpserit, biberitve, rerumque aliud eiusmodi gesserit, aut, cùm esset fortè fortuna obuius, spontè tetigerit, ei neque Templum, neque forum, neque omninò ciuitatem, priusquam purgatus fuerit, adire fas esse. De Druidis, Gallorum Sacerdotibus, agens Cæsar, Si quis, inquit, aut publicus, aut priuatus eorum decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. hæc pœna apud illos grauissima. quibus ita interdictum est, hi numero impiorum ac sceleratorum habentur; ab his omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi capiant. Plinius scribit, in Taprobana insula, ferè extra orbem relegata, Regem, si quid delinquat, morte multari, nulla vi interueniente, sed auersantibus cũctis, & commercia etiam sermonis denegantibus. Hæc & alia his similia Gentilium exempla satis ostendunt, illos non ignorasse, quàm sit necessaria spiritalis quædam & superior potestas; & quàm graue supplicium censeri debeat, hominem esse diuulsum à commercio

Plato lib. 9. de Leg. prope finem.

Cæsar de bello Gall. lib. 6.

Plin. lib. 6. cap. 22.

&

& ſocietate cæterorum. Verùm enimuerò vt Ethnici, vnius veri Dei, qui tamen naturæ rationiſque luce inueniri poteſt, cognitionem non aſſequebantur, & idcirco multitudinem Deorum colebant: ſic in deſignanda & firmanda ſpiritali poteſtate, ad quam Dei cultus ſpectat, longiùs aberrârunt. Sed omiſſis Gentilibus, ad morem in Eccleſia Chriſti receptum ſermo noſter regrediatur. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus ſapienter aduertit, *Chryſoſtom. hom. 25. in epiſt. ad Heb.* Apoſtoli Pauli permiſſione Chriſtiano licere communicare cum Ethnicis & infidelibus; cibum autem capere cum excommunicatis non licere. Et ſanè eſt, quod notemus & obſeruemus maximè, quanti cenſuram hanc faciat Eccleſia: cùm enim Hebdomadæ ſacroſanctæ feria ſexta proprias ac peculiares *Alber. Pigh. lib. 5.* pro Paganis, Infidelibus, & Iudæis preces *Hier. Eccl. cap. 2.* fundat: tamen pro excommunicatis nõ orat; eo etiam die, qui communi hominum liberationi ſacer eſt. Qua etiam de cauſa, cùm *Sig. lib. 9. de reg. Ital.* Gregorius VII. Pontifex Henricum IV. Imperatorem, acrem Eccleſiæ hoſtem, in numero impiorum habendum cenſuiſſet, illũ Catholici Germaniæ Principes tanquã excommunicatum deſeruerunt: & quamuis contrà iraſceretur, fremeret, & minitabundus in omnes inſaniret: tamen apud eos plus valuit Chriſtiana Religio, quàm vana Principis cõminatio. Itaque regiis oratoribus in hæc verba reſponderunt: *Dũ ſola vitæ temporalis detri-*

menta, dum solam famæ & existimationis labem Henricus intentaret, tametsi viris ferenda non essent: tulimus tamen, ne contra iusiurandum, quo tenebamur, impudenter præcipitanterq; venire videremur. Nunc verò, cùm ab Ecclesiæ corpore, propter immania scelera, Apostolici anathematis mucrone præcisus sit, cùm eo communicare sine cõmunionis Ecclesiæ damno & fidei iactura non possumus: proinde Imperatoris gratiã maluimus amittere, quàm Dei beneuolentiam perdere. Cùm autem perstaret Imperator in cõtumacia, & excommunicationem negligeret, imperio abdicatus, & imperatoriis insignibus exutus, eò tandem miseriarum redactus est, vt in Templo B. Virginis, quod sumptibus suis exstrui curauerat, vt aleretur, infinitis precibus ab Spirensi Episcopo non impetraret: cumque breui è viuis excessisset, etiam filio eius clauum imperij tenente: tamen, vt Ecclesiæ censura seruaretur, totos quinq; annos insepultus iacuit. Quamobrem non est quòd miremur, si Reges ac Principes Christiani, qui volunt ex animo & esse & haberi Religionis amantes atque studiosi, id egerint, quod superiori capite commemoraui, non compulsi vlla mortalium vi, quam non timebant, sed adacti cõscientia, Ecclesiasticarum censurarum metu; spiritu & virtute cœlesti, quam illis liberaliter impertiebat Deus. Qui quidem vt nobis aperiret quanti facienda sit & quantopere pertimescenda excommunicationis senten-

sententia, eius causa insignia aliquando miracula edidit; nunc in homines exsecratos exquisitis cruciatibus animaduertens, nunc res alias stupore & admiratione plenissimas faciens; vt proximo capite dicturi sumus.

CAPVT XXXIV.

Supplicia & miracula quædam, quæ Deus in excommunicatos edidit.

LOTHARIVS, Lotharij Imperatoris filius, turpi libidine incensus, cum legitima coniuge suã Theoberga adulterij falsò accusata, & à quibusdam Episcopis damnata, diuortio facto, Valdradum scelere sibi copulauit. At Nicolaus primus summus Pontifex, maxima sanctitate & animi magnitudine vir, ipsum à cœtu fidelium abductũ diris deuouit, & Archiepiscopos duos Theogaldum Treuirorum, & Guntharium Agrippinensium, quòd tanto crimini consensissent, dignitate & sedibus priuauit. Cùm verò gratiã petiturus ab Adriano, Nicolai successore, Romã venisset Lotharius; imperauit ei Pontifex vt ipse cũ Proceribus quibusdã ex suis, quos testes innocentiæ suæ produxerat, eius probãdæ gratiã Eucharistiæ Sacramentũ adirent. Fecerunt vt iussũ fuerat, corpus Domini sumpserũt: sed ab hac sacrilega cõmunione nec dum annus integer effluxerat, cùm omnes mors sustulit; Rexq; ipse: cũ Roma via

2. q. 1. c. quæ Lotharius. & c. scelus. & 11. q. 3. Theobaldus. & c. Precipuè.

Car. Sig. lib. 5. de reg. Ita. Nauel. gen. 29. circa fin. Meier. libro 11 Annal. Flandr.

Placentina abiret decessit è viuis. Historicorum quidam scriptis prodidêre, Philippum Galliæ Regem cognomento Pulchrum, tum ob despectam excommunicationem, tum etiam quòd Bonifacium octauum hostiliter vexauerit, à quodam apro discerptum, miserabili morte interiisse; atque ex tribus eius filiis, ad quos ex ordine corona peruenit, sobolem, quæ sibi succederet nullam reliquisse; eorumque coniuges, Philippi verò nurus: de stupro postulatas, & duas ex illis adulterij conuictas, regium sanguinem graui infamia inquinasse. Cæterùm inter omnia memorabile maximè est exemplum Frederici secundi Imperatoris, eiusque tum patris Henrici, tum filiorum Conradi, Manfredi, Corradini, & Encij, Ecclesiæ hostium, & in summos Pontifices rebellium, in quibus viperina stirps & familia Frederici exstincta est. de quibus S. Antoninus Florentinus Archiepiscopus loquens, *Aduertant*, inquit, *Christi fideles quem exitum Ecclesiæ hostibus Deus largiatur, qui animis & corporibus est perniciosus. Cùm enim in excōmunicatione hi Principes decesserint, quanam ratione patuit illis cœlum? qua etiam ex causa iudicati sunt indigni sepultura Ecclesiastica; priuatiq; & Siciliæ regno, & Romano imperio, immensisq; thesauris, inferno adiudicati sunt.* Quæ ideo ab Antonino dicuntur, quòd omnes isti Principes infeliciter vitę diem extremũ obierunt; & Corradinus quidem Siciliæ Rex &

Tom. 3. hist.

Sueuo-

Sueuorum Dux postremus à Carolo Andegauiæ & Prouinciæ Comite, Siciliæque possessore, captus, tantus alioqui Princeps, ætate ac pulchritudine florens, palàm securi percussus est, prius à Clemente IV. excommunicatus: qui, dum fortissimo & victore exer- *Naucl. gen. 43.* citu per agrum Viterbiensem iter faceret, e- *Plat. in Vita Clem. 4.* ius casum miseratus & deflens, quasi vaticinans, dixit; Corradinum vt victimam ad cædem duci. Gregorius Magnus in suis Dialo- *Lib. 2. Dial.* gis refert, duas quasdam virgines sacras, no- *cap. 23.* bili genere ortas, intẽperantis linguæ, à S. Benedicto admonitas, vt linguã à verborũ contumeliis tẽperarent, adiecta hac cõminatione: *Corrigite linguam vestram; quia, si non emendaueritis, excõmunico vos.* Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atq; in Ecclesia sepultæ; sed cùm in eadem Ecclesia Missarum solemnia celebrarentur, atq; ex more Diaconus clamaret, *Si quis non cõmunicat, det locum;* nutrix earum, quæ pro eis oblationes offerre consueuerat, eas de sepulcris progredi & exire videbat. quod dum sæpius cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterant; ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus dixerat: tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est: qui manu sua protinus oblationẽ dedit, dicens: *Ite, & hanc oblationem pro eis facite, & vlterius excommunicatæ*

non erunt. quę oblatio dum pro eis fuisset immolata, illæ exire ab Ecclesia vlteriùs visæ nō sunt. A. S. Eligio Episcopo vir quidam, cùm in facultates Ecclesiæ præter fas inuolaret, anathemate percussus, subitò mortuus concidit, vt in vita eiusdē refertur. S. Albinus, Andegauensium Antistes, cùm rogaretur vt eulogias, quas reliqui Antistites ad personam cōmunione suspensam dirigentes benedixerant, & ipse signaret, ait ad Sacerdotale concilium: *Etsi ad mandatū vestrum ego signare compellor; dum vos causam Dei recusatis defendere, ipse potens est defendere.* quo facto, antequam eulogias excōmunicata persona susciperet, exspirauit; & priusquam portitor perueniret, sermo Sacerdotis obtinuit. Peruulgatum est in Hispania insigne miraculū, quod in Fromesta oppido cōtigit, vbi Hostia sacra ad patinam ita tenaciter adhæsit, vt nulla arte diuelli potuerit, cùm danda esset pauperi ægro, qui ob æs alienum non solutum à participatione Sacramentorum Ecclesiastica sententia exclusus erat; cùm autem debitum exsoluisset, censuræ Ecclesiæ se satisfecisse ratus, nō fuerat solicitus vt à vinculo solueretur. Id etiam quod fertur Vallisoleto accidisse, (si tamen verum est) memoratu dignissimū videtur. Latro quidam (vt narrant) vas argenteum furto sublatum abdiderat in excauato trunco proceræ & annōsæ populi; propter B. Magdalenam sitę. Interea cùm ab ore Sacerdotis

Sur. to. 2. die 1. Martij. Baron. to. 3. anno 353.

dotis in eum qui vas surripuerat, aut retinebat, excommunicationis sententia quasi fulmen emitteretur, repentè arescere cœpit arbor: sed vase fortè postea reperto, & ei, cuius erat, restituto, natiua viriditas ac pulchritudo arbori reddita est, omnibus tanti miraculi stupore defixis. Ferdinandus à Castello, vir religiosus, in prima parte historiæ suæ scriptum reliquit, S. Gondisaluum Amarantiũ, ex Dominicana familia Monachum, vt rudi populo, ad quem conciones habebat, declararet quanta sit vis excommunicationis, & quid damni in anima pariat, canistrum candido ac primario pane plenum, quem mulier gestabat, excommunicasse, subitoq́; (mirum dictu) panem niueum in aterrimũ conuersum: deinde cùm eundem aqua lustrali aspersum benedixisset, rescisso maledicto, nigrore posito pristinum candorem recepisse. Non absimile exemplum refertur de S. Antonino Archiepiscopo Florentino, viro sanctissimo ex eadem D. Dominici consociatione. In aliis etiam terrarum partibus constat Deum anathemate interposito res admirabiles, cùm in mutis animantibus, tum etiam in rebus sensu carentibus, effecisse. Non quòd in res sensus vel rationis expertes cadere possit excõmunicatio, sed vt tantę censurę metus ac reuerentia in animis hominum gigneretur; scirentque mortales, nullo temporario damno, vel grauissimo, Christianum

Ferdinan. à Cast. 1. p. histor. libr. 2. cap. 62.

Sur. tom. 2.

affici posse, quod aliqua ex parte cum ea iactura conferendum sit, quam patiuntur ij, quos à piorum consortio & à sacrorum communione seiunxit Ecclesia. Propterea meritò censet D. Augustinus excommunicationem esse pœnam grauissimam omnium, quas infligere potest Ecclesia; cuius sententiā Deus ratā habet, vt affirmat D. Hieronymus. Nec enim tā homo ligat (vt scribit Ioannes Chrysostomus) quàm Deus, qui ligandi potestatem homini concessit.

Aug. lib. de correct. & grat. c. 15.
Hier. in cap. 18. Matth.
Chrysostom. hom 4. in c. 2. ad Hebræ.
11. q. 3. c. nemo.

CAPVT XXXV.

Quam obseruantiam Principes ministris Ecclesiæ debeant.

PRæterea, Christiana Religio nobis ostendit, quanta Sacerdotibus obseruantia debeatur, quanta Templis diuino cultui dicatis veneratio, quanta reuerentia bonis & facultatibus Ecclesiæ, quas ei fidelis populus ad peccatorum expiationem & diuini honoris augmentum obtulit, deditque liberaliter. Quo de argumento cùm multa scripta sint, ego breuiter attingam, seligamque pauca ex multis, quæ graues auctores tradiderunt: ac primùm hoc capite aperiam, qua reuerentia Principes Sacerdotes & spirituales Dei ministros prosequi debeant; proximis autem capitibus de Templis ac bonis Ecclesiarum sermonem instituam. Et certè quantam curam

natio-

nationes omnes, etiam falsæ Religionis, & inanium Deorum, in colendis simulacris susceperint potissimum perspicere licet ex reuerentia quam Sacerdotibus, Deorum suorum ministris, detulerunt; eos enim semper in honore habuerunt, & suspexerũt, tãquam sacros homines, & de cælo lapsos, ac proinde maxima illos veneratione coluerunt. Auctor est Plutarchus in nonnullis Græciæ prouinciis Sacerdotium regiæ dignitati exæquatum, & pari honore Sacerdotes & Reges affectos fuisse. Refert etiam Ælianus, apud Ægyptios eosdem exstitisse Sacerdotes ac iudices. Vix credi potest, quanta fuerit apud Gallos & auctoritas & potestas Sacerdotum, quos Druidas nominabant, vt testatur Iulius Cæsar, Romæ penes Sacerdotes potestas erat lites dirimendi inter plebeios homines & magistratum, & controuersias finiendi inter sacrificulos & reliquos Deorum ministros; vt scriptum reliquit Dionysius Halicarnasseus. Apud Germanos (vt discimus ex Cornelio Tacito) Sacerdotes de rebus grauioribus tam plena potestate decernebant, vt eis nullus resistere aut repugnare auderet. In Cappadocia Bellonæ Sacerdos potestate ac imperio secundũ Regem pollebat. Penes eosdem in Æthiopia summa fuit potestas, tãtaque vel in ipsum Regẽ auctoritas, vt nonnumquam, cùm expedire iudicabant, misso nũtio mortem Regi imperarent, & aliũ suf-

Vide Anast. Ger. de sac. immun. lib. 1. cap. 8.

Plut. quæst. Rom. vlt.

Ælian. lib. 14 c. 34.

Cæsar. lib. 6. de bello Gal.

Dion. Hal. lib. 2. antiquit Rom.

Tacitus de mor. Germ.

Hir. de bel. Alexandr.

Diod. Sic. lib 4. de fabul. antiq

Pierius in Hier. l 20. c de noctua.

Paul. Iou. lib. 11. hist.

ficerent. Sultanus Ægypti, vt vocant, non se Regem ante vel Dominum arbitrabatur, quã à Calipha, qui sacris præerat, confirmaretur. Quod si nationes istæ, alioquin in Religione obcæcatæ, ac Deum ignorantes, soloque lumine rationis collustratæ, inanium, exsecrandorum, turpissimorumque Deorũ impios sacrificulos tã singulari veneratione & obsequio prosequebantur; quanta nobis esse debet in Sacerdotes & veri ac viuentis Dei ministros obseruantia! quibus occulis eos intueri cõuenit, quos sacra Scriptura interdum [a] Deos vocat, nõnuquam [b] Angelos Domini, aliquando Reges coronatos vt populũ Dei regãt, alicubi Iudices ad iudicandas tribus terræ! quantum suspicere, quos eadem appellat Legatos à Deo missos, Doctores qui alios instruãt, Pastores qui gregẽ pascant, tubas clarè verbum Dei sonantes, portas cæli, custodes, muros, columnas, & Ecclesiæ occulos, qui sũt Christo Domino nuncupante, sal terræ, lux mundi, ciuitas supra montem posita! Quo in honore & pretio habendi, quibus ab immortali Deo datum & concessum est homines à peccatis absoluere & à vitiis purgatos in numerum filiorum Dei reponere, cęli ianuam reserare, portas inferorum claudere, mortuos ad spiritalem vitã euocare, vinctos è vinculis emittere, cęcis lucẽ restituere, Satanæ tyrãnidẽ dissoluere! Res admirandas patrauit Moyses, dum mare

a Exod. 22.
b Mal. 2.
Greg. lib. 4. epist. 31.
Matt. 5.

diui-

diuisit,aquasque suspendit, reuocatis in alueum aquis Pharaonem demersit, miraculis ac prodigiis Israëliticum populum, per vastam ac desertam solitudinem duxit : sed exigua hæc sunt, si cum iis conferantur quæ quotidie facit Sacerdos, dum è cælis Deum euocat, venientem manibus tenet, & homines præparat ac disponit, vt dignè manducent ac suscipiant. Sicut enim Solis splendor stellarum omnium fixarum pariter atq; inerrantium lumen longè superat: sic ex B. Leonis sententia Christiani Sacerdotis dignitas & officium omni sæculari dignitati ac potestati multis partibus antecellit. S. Pontifex Clemens testatur, D. Petrum Apostolorum Principem solitum dicere, debere Principes & Imperatores Sacerdotibus obtemperare atque existimare se illorum precibus in Dei gratiam restitui, cum eorum manus osculantur. Propterea Ieremiæ vati sic dicit Deus, *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna:* quoniam (vt Theodoretus inquit) erat Sacerdos ex Saccerdotibus Anathoth. Quo ex loco probat [a] Innocentius tertius, ciuili Regum imperio maiorem esse Sacerdotum potestatem. Idem asserunt Bonifacius primus, & Gelasius primus, summi Pontifices, dum scribunt ille ad Honoriũ, hic ad Anastasium, Imperatores. Ignatius [b] etiam Episcopus & frequẽtissimus martyr, in sua ad Smyrnenses epistola, Deum primũ, tũ Sacerdotes, tertio verò

Leo epist 94.

Clem epist. in 1. tomo Concil.

Ierem 1.

a *De maior. & obed. ca. solit §. Praterea.*

b S. *Ignat. epistola 7.*

verò loco honorandos Reges ſcribit. Eodem modo [c] Gregorius Nazianzenus, [d] Ioannes Chryſoſtomus, ac [e] Ambroſius, ſumma ſanctitate & ſapientia Doctores, regiæ dignitati Sacerdotium anteponũt. Hoc ipſum innuere voluit D. Martinus, dum à Maximo Imperatore menſa exceptus poculum Presbytero ſuo prius tradidit, quàm Imperatori, vt narrat in eius vita [f] Sulpicius. Vnde etiam S. Epiphanius affirmat, Deum Eccleſiæ ſuæ dediſſe poteſtatem regiam ſimul ac Pontificiam, & in eam Dauidis thronum ac ſceptrum in omnem æternitatem tranſtuliſſe. S. verò Gregorius Pontifex, poſtquam cõfirmaſſet priuilegia quædam à ſe conceſſa Monaſterio quod Regina Brunihildis in Gallia fundauerat, hæc verba ſummæ poteſtatis proferre non dubitauit: *Si quis verò Regum, Sacerdotum, Iudicum, ac perſonarum ſæcularium, hanc conſtitutionis noſtræ paginam cognoſcens, contra eam venire tentauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat.* Et propterea Petrus Bleſenſis in epiſtola quadam ad ſummum Pontificem data ſic eum alloquitur: *Non Rex, non Imperator, aut Dux, à iugo veſtræ iuriſdictionis exuitur. Crux Christi antecellit aquilas Imperatorias, & gladius Petri gladium Cõſtantini, & Apoſtoli Sedes præiudicat Imperatoris poteſtati.* Eadem ex cauſa B. Franciſcus dicebat, ſe ſi Sanctum aliquem è cælo lapſum, & aliunde venientem Sacerdotẽ videret, prius

Sacer

[c] *Gr. Naz. in orat. ad ciues timore perculſos.*
[d] *Chryſoſt. l. 3 de Sacer & hom. 4. in cap. 6. Iſaiæ.*
[e] *Ambr. l. de dig. Sacerd. c. 2. & habet. diſt. 96. c. duo ſunt.*
[f] *Sul. in vita S. Mart. & Sigon. li. 6. de imp. Occid.*
Epiph. hæreſi 20.
Gregor. lib. 11. Regiſt. epiſtola 10. prope finem.
Petr. Bleſ. epiſt. 146.

Sacerdoti, quam Diuo cælesti, reuerentiæ signa delaturum. Hæc ipsa persuasio Christianos Principes impulit, vt pios se & promptos exhiberent in honorandis Sacerdotib⁹, iudicantes eo magis Principibus ethnicis, qui suos sacrificulos tanta cura & superstitione obseruabãt, hac pietatis specie antecellere se debere, quo Gentili Mystę Christi Sacerdos, & verus Deus vanis & falsis Diis antestat. Hinc etiam fluxit singularis ille & admirabilis honor, quo Sacerdotes & Episcopos Constantinus Magnus coluit, illos sibi socios & comites adiungens, dum exercitum contra hostes educeret, vt eorum precibus Deum sibi propitium redderet: & dum criminationis libellos, quibus Antistites accusabantur, in ignem coniecit, quod indignum se arbitraretur qui Iudicum à Deo constitutorum lites & controuersias iudicaret; libereque affirmauit, si oculis suis religiosum hominem aut Sacerdotem flagitium admittere videret, eum purpura sua se obtecturum ne ab alio hominum vllo cerneretur: dum etiam noluit in parua & inferiori sella priùs considere, quàm Episcopi iusissent: dum sancita lege præcepit vt Sacerdos in maiori honore quàm secularis vllus haberetur. Hinc manauit quod Episcopis ac Clero Mediolanensi dixit Imperator Valentinianus, vt in Antistitem eligerent eum, cui ipse volens ac lubens caput submitteret, & debita venera-

Euseb lib. 4. de vit. Constant. c. 56. Soz. lib. 1. cap. 8. Theod. lib. 1. cap 11. Ant. 2. p hist. tit 6. c. 3. § 2.

Euseb. lib. 5. c. 10. de vit. Const.

Tripartit. l 7. c. 5. Dist. 63. Valent.

tione proſequeretur. Hinc quod Theodoſius Ambroſiũ tãtopere reueritus eſt, quòdque Conſtantinopoli intra concellos limenque ſacrũ, in quo reſidebãt Sacerdotes noluit cõſiſtere, licet illum Patriarcha Nectarius inuitaret. Ex hac etiam opinione nata eſt rereprehenſio qua Honorius, Theodoſij filius, fratrẽ ſuum Arcadium perſtrinxit, quod eius conceſſu D. Ioannes Chriſoſtimus è Sede ſua fuiſſet eiectus? qui inter cetera his illum verbis affatur: *Contendi igitur, frater, non verbo ſedre, & Deum & homines de correctione eorum, quæ non ſunt rectè acta, certiores facere? certus & ipsum imperium noſtrum & ruere & ſtare precibus Sacerdotum*. Hinc prӕterea orta & obedientia quam Leoni Pontifici tretremens exhibuit Attilla, barbarus ac immanis Rex, quãdo cũ ſuis victricibus copijs pedem retulit. Viderat enim Apoſtolorum Principes Petrum & Paulum, qui ei minitabãtur, niſi Põtifici obtẽperaret. Hinc profluxit reuerentia qua Imperator Iuſtinus Maior Ioanẽ Põtificem Maximũ Cõſtantinopoli excepit, & ad eius pedes ſe abiecit. Hinc honor ac veneratio qua Pontificẽ Maximum, tamquam Chriſti Domini Vicariũ omnes Chriſtiani Reges, Imperatores, ac Principes hoc tempore proſequuntur. Hinc profluxit quod Imperator Corolus cogonmento Magnus hanc in ſententiam dixit: *Si Eccleſiarum Dei ſeruis munificentiam noſtram*

Exſtat hac epiſt in Vat. Bibli th. Bar. tom. 5. anno 407. Paul. Diac. de geſt. Roman. l. 15.

Hugo Flor. Ant. 2. p. hiſt tit. 12. cap. 1.

Sig. lib. 4. de Reg. Ital.

impertimus, eorumque studiis libenter obsequimur; id nobis ad Augustalis excellentiæ culmẽ proficere credimus, &, quod cunctis pretiosius est dignitatibus, æternum retributionis præmium capessere non diffidimus. Hinc quod Martinus Cromerus narrat de Boleslao Rege, quem affirmat nullius rei grauiores pœnas à suis exegisse, quàm neglectæ Religionis, & debitæ Sacerdotibus reuerentiæ prætermissę. quem etiam dicit stante coram se Episcopo numquam sedisse. Hinc præterea quod in legibus seu Partitis Hispaniæ huncin modum scribitur: *Sacerdotes, prout eorum dignitas & ordo postulat, honore magno afficere atque obseruantia colere debent laici, tum quoniam inter populum ac Deum mediatores sunt, tũ quia, dum illum honorem laici tribuunt, honorant Ecclesiam, cuius sunt ministri; & fidem Domini nostri IESV Christi, vnde Christiani nuncupantur.* Hinc etiam orti sunt honorifici decoriq; tituli, quos Imperatores in suis legibus & edictis Sacerdotibus & Episcopis attribuunt, dum eos vocant Reuerendissimos, Sanctissimos, & aliis nominibus honore reuerentiaq; plenissimis prosequuntur. Hinc priuilegia & immunitates quas iidẽ omnibus Ecclesiasticis personis cõcesserunt, quibus refertæ sunt leges imperatoriæ; & cuiusq; regni sanctiones, quas Reges in suo quisq; regno custodire, & pietatẽ suam atque religionem præ se ferre ac testari debent, suoq; exemplo suis subditis prælucere,

Crom. hist. Bol. lib. 5.

Part. 1. tit. 6. l. 62.

Nouel. 3. 5. 121. 131

atque hac ratione incitamento esse vt honorem Sacerdotibus habeant, non tam propter ipsos quàm Deum, cuius personam gerunt in terris. Nam si & Alexander Magnus Ierosolymã tendens, vt eam funditus euerteret, summum Sacerdotem, Pontificiis vestibus ornatum, obuiam sibi prodeuntem genibus complicatis adorauit; & Parmenioni. qui ex intimis erat, familiariùs percunctanti cur tã humiliter homini se submisisset, respondit, *Ego non hominem adoraui, sed Deum, cuius ille Sacerdotem agit:* quantus Christi ministris honos à Christiano Principe tribuendus est, cũ Ethnicus Rex agnouerit colueritque Deum in eius Sacerdote, cum quo graues inimicitias gerebat! Atque hæc reuerentia Sacerdotibus atque supremi Numinis administris ita debita est, vt Imperator Iulianus, etsi Christianæ fidei desertor, & omnis veræ Religionis acerrimus oppugnator, cùm probè intelligeret Religionem suam, tametsi falsam, & à malo dæmone profectam, non posse diu cõsistere, nisi Fanorum Antistites honore reuerentiaque afficerentur, epistolam scripserit ad Arsacium Pontificem Gallatiæ, in qua decernit vt Præsidibus & Gubernatoribus suis nemo Sacerdos obuiam prodeat, nisi quando ad Templa Deorum accedunt, idque intra Fani vestibula, subditque rationem his verbis: *Nam simul vt Præses ingreditur limen delubri: priuati personam induit: siquidem Sacerdos,*

Ioseph. lib. 11. Antiq. Iud. cap. 8. Aug lib. 18. de ciu. Dei, cap. 45.

Soz. lib. 5. cap. 15.

dos, vt nosti, iis, qui intus sunt, præest; propterea quod diuina Lex istud postulat. Ac licet cuiuis ex Episcopis & sacerdotibus, qualiscumque sit, reuerentia obedientiaq; debeatur; vt tamen propensioribus animis omnes illa reddant, curet Princeps vt regni sui Sacerdotes & Antistites vitæ sanctitate, litteris, doctrina, rerum agendarum vsu & prudentia, & cæteris virtutum ornamentis cæteris ita præstent, vt ipsi per se honorem reuerentiamque mereantur. Quod si Sedis Apostolicæ concessione personas ad Episcopatus præsentandi ius habet, diu multumque consideret qualis sit, quem eligit ad tam sublimem dignitatem, & ad tantum onus, quod (vt inquit Concilium Tridentinum) vel Angelorum humeris formidandum est. Et, vt conscientiæ suæ ac officio faciat satis, non sit eo contentus, si, quem nominat, tali munere dignus sit; sed illum præ cæteris eligat, quem, rebus omnibus prudenter examinatis, digniorem esse iudicârit. Nam si hanc diligentiam adhibet in minoribus reipublicæ muneribus demandandis, quanto maior cura suscipiẽda est in grauioribus dignissimo cuique committentis! Qua in re quoniam nonnulli Principes negligentiores fuêre, idcirco in eas miserias & calamitates inciderũt, quibus videmus florẽtissima regna affligi. Nam Religionis conseruatio, diuini cultus splendor, sacrarum ædium nitor & ornamentum,

honesta Clericorum vita, Christiana rudis & ignorantis populi institutio, morum conformatio atque emendatio, pauperũ solatium & subuentio, spiritalis rerum publicarum salus ac vita, ipsa denique (vt vno verbo absoluam) sapiens felixque totius regni administratio non rarò ex bonis Ecclesiæ Præfectis potissimum pendet. Ambrosij enim faciunt Theodosios, Theodosij autem & Principes verè pij viros illos Ecclesiæ perfici curant, qui Ambrosios nobis referant: cumque Ambrosio fuerint similes, iis obsequuntur, iis obediunt, iis se magna demissione subiiciunt; atq; ita fit, vt bonus Rex bonum Episcopum creet, & bonus ac sanctus Pontifex precibus, cõsiliis, vitæ ac doctrinæ præsidiis Regem & regnum sæpe sustentet.

Capvt XXXVI.

Quis respectus & reuerentia sacris Dei Templis exhibenda.

IDem qui Sacerdotibus, sacris ædibus & Templis respectus & honor debetur: quamobrem solicitè procurandum Principi, vt is cultus & reuerẽtia exhibeatur, quam ratio exigit; neque in iis quidquam fieri permittatur, quod profanum sit, aut dissolutum eiusque maiestate indignum, qui in ipsis colitur, Christi Domini. Nam in Templis ipsemet Christvs pro peccatorum expiatione offertur, tamquam sacrificium suauissimi

ſimi cuiuſdam odoris. Conandum præterea iis qui iuſtitiam ciuilem tuentur, ne priuilegia & Eccleſiarum immunitates violentur; & qui confugiunt ad ſacras ædes, tutè id faciant; neque ea ſecuritate priuentur, quam vel ipſi Gentiles ac profani Principes illis conceſſerunt, qui tamquam ad portum, & ſacrum quoddam perfugium, ad vaniſſimorum Deorum Templa ſe recipiebant. Habebãt enim aſyla, hoc eſt, loca quædam à violẽtia tuta ac ſacroſãcta, vnde nefas eſſet ſõtes vel criminoſos extrahere. Quale fuit quod Thebis ab eius vrbis conditore Cadmo conſtitutum eſt, & quod Romæ conſtruxit Romulus, & quæ in Aſia & Græcia exſtructa fuerunt plurima: habuerunt enim fana quædam & delubra, quibus tantum honoris & reuerentiæ tribuebant, nullus vt eſſet tam ſceleſtus, tam teter atque immanis parricida, quem non tutum atque immunẽ ab omni vi, & ſupplicio quod promerebatur, redderent. narrantq; Gentiles auctores, grauiſſimis incommodis & calamitatibus affectos fuiſſe nonnullos, qui perfugiorum iura violaſſent: ꝙ vel ex Iuſtino licet intelligere, cuius hæc ſunt verba: *Laodamia autem, cum in aram Dianæ confugiſſet, concurſu populi interficitur. quod facinus Dij immortales aſsiduis cladibus gentis & interitu totius populi vindicarunt: nam ſterilitatem famemq; paſsi, & inteſtina diſcordia vexati, externis ad poſtremũ bellis pene cõ-* *Iuſtin. hiſt. libro 28.*

sumpti sunt. Pausanias miserias & incommoda in quæ incidit Sylla, non in aliam causam refert, quàm quòd Aristonem, qui in Templum Mineruæ confugerat, vi extractum interfici iussisset: pluraque alia eiusdem generis horrenda exempla commemorat. Idem videre est in aliis multis scriptoribus, quos eruditissimus Episcopus & Præses Couarruuias citat: ex quibus discimus, & quanta diligentia Religionem suam Gentiles procurabant, & quantum venerationis Templis Deorum exhibebant; solo lumine naturalis rationis, eoq; debilissimo, collustrati. & meritò sanè: nam cum Principes suarum regiarum ædium ac palatiorum tantam rationem haberi velint, vt seuerè in eos animaduertant, qui dicto factove illa violant; nonne tanto maiorem diuinis ædibus reuerentiam præstare debent, quanto profanis domibus ædes sacræ præstant, & Dominus, quem in Tẽplis adoramus, potentissimum terræ Principem & Monarcham antecedit? Quòd si priuilegia, quæ priuatis hominibus dederunt Reges, oportet inuiolata seruari; quanto potiori iure integra custodiri debent ea, quæ Dei Templis, aut (vt meliùs dicam) ipsi Deo conceduntur! Propterea Theodosius & Valentinianus Imperatores immunitatem Ecclesiæ constitutione firmarunt, posita iis capitis pœna, qui confugientem in Ecclesiam auulserint extraxerintve; voluntque eos, qui ita

Couar. Var. resol li. 2. c. 20. nu. 2.

C. *Theodos. li. 9. tit. 45. de his qui ad Eccl. confug. l. 4.*

ita confugiunt, Religionis nomine melius, quàm armorum præsidio muniri. Et in legibus Partitarum hæc habentur: *Priuilegia & immunitates magnas habent Ecclesiæ ab Imperatoribus, & Regibus, & Dominis locorum: quòd optima causa factum est, vt ædes Dei maiori haberentur in honore, quàm domus hominum.* Notat in sua historia Socrates, Templorũ profanationes iræ Dei signa manifesta esse, & graue aliquod malum portẽdere. Theodosius Minor propenso fuit in Ecclesias studio, easque magna est reuerentia prosecutus: nam pręter publicam legem, qua sanciuit vt omnes imperij subditi Templa reuererentur, de seipso ita loquitur: *Nos qui legitimi imperij armis nũquam non circumdamur, quosque sine armatis stipatoribus esse non conuenit, Dei Templum ingressuri foris arma relinquimus, & ipsum etiam diadema, regiæ maiestatis insigne, humiliter deponimus, & sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedimus: quibus quoque oblatis, ad extimum communeq; atrium mox nos recipimus, nec quidquam ex propinqua diuinitate nobis arrogamus.* Arcadio Imperatori Eutropius, eius intimè familiaris, auctor fuit ferendæ legis, qua iubebantur confugientes ad Ecclesiam violenter extrahi. hic posteà scelerum conuictus, ne pœnas daret, ad Ecclesiam profugere coactus est at frustra: nam extractus è Tẽplo, in se primus legem expertus est, cuius conscribendæ auctor fuerat, illloq; cæsco, cadens

Par.1. tit.11.

Socrat. lib. 7. cap. 23.

Conc. Eph. edit. Pelt. t. 5. cap. 21. Bor. tom. 5. anno 398. & 431.

Sig. lib. 10. de imper. Occid. Sozr. lib. 6. cap. 5. Soz. li. 8. c. 7. Chrysost homilia 5. Eutrop.

Orof. lib. 7. cap. 38. Sig. lib 10. de Occid. imper.

dens simul lex abrogata est. Stilico, Honorij Imperatoris socer, militum magister, & imperij administrator. Mediolani cum esset, iusserat Cresconium ex Templo, frustra renitente ac reluctante Ambrosio, vi abripi: postea vt perduellis, & imperij proditor, ac læsæ maiestatis damnatus, cùm Rauennam se contulisset, in Ecclesiam, tamquam spem vitæ vnicam, fugiens se recepit. sed qui ab Imperatore submissi ad eum comprehendendũ fuerant, Templi maiestatem reueriti, non violentia, sed blandis verbis simulataque promissione eductum capite truncarunt. Ita Stilico pœnas dedit tum violatę, quam Templis debebat, reuerentiæ; tum insanæ cupiditatis ac ambitionis, qua, vt filium suum Eucherium Imperatorem crearet imperium turbauit, ac propè euertit, tot gentium colluuione, & barbarorum immissione, quibuscum, vt voti cõpos fieret, fœdus icerat. Mascezel parua quinque millium manu, implorato Dei auxilio, fratrem Gildonem rebellẽ, qui septuaginta millium exercitum trahebat, vicit: sed posteà, victoria elatus, Ecclesiã polluere ausus est, quosdam extrahens, qui ab ea salutem quæsierant. secuta est non multo post sacrilegium vltio: nam iisdem, quos ad pęnã deposcebat, superstitibus, atq; insultantibus, solus ipse punitus est. Longè meliùs actum est cum Bonifacio Comite, & Africæ Duce, magna fortitudine & pietate viro, & S. Au-

Orof. lib. 7. cap. 36. Paul. Diac. de gest. Roman li 39.

S. Augustino amicissimo: qui cum, ira & furore percitus, sceleratum quendam ex Templo vlturus extraxisset, Augustinus nulla amicitiæ habita ratione, illi sacris interdixit, ac Clericis iussit ne ipsum aut eius oblationem admitterent. Bonifacius verò, agnitum errorem confessus, veniam animo submisso petiit; eoque, quem abstraxerat, Ecclesiæ restituto, culpam lacrymis & pœnitentia expiauit. scripsit quoque litteras ad D. Augustinũ, in quibus inter alia hæc habet: *Agnosco culpam; indignæ meæ lacrymæ iungantur tuis fletibus iustis, quo possit hæc nota nigro inscripta titione deleri: Ecclesiæ introitus mihi non denegetur: illic spero veniam, vbi admisi culpam.* Ad hanc aduersus Templa reuerentiam spectat, nõ permittere vt belli tempore profanentur, spolientur, aut diripiãtur Ecclesiæ; nec in propriã vtilitatem conuertere bona & facultates diuino cultui semel consecratas. Deus enim eius generis impia facta vindicat seuerissimè, vt proximo capite dicam.

Aug. epist. 6. & 7. in append. Bar. tom. 5. anno 423.

CAPVT. XXXVII.

Quanta cautio adhibenda est Principibus in vsurpatione bonorũ & facultatum Ecclesiæ.

PROFANORVM auctorum libri abundant exemplis eorum, qui ob direpta bonisque spoliata Templa Diis suis seueras admodum pœnas dederunt. Xerxis copiæ im-

Diod. l. 12. Biblioth. bribus & fulminibus delete sunt. Cambysis *Iust. lib. 2.* exercitus tempestatibus & arenarum moli- *Iust. lib. 24.* bus oppressus interiit. Artaxerxem Ochum Baidas eius eunuchus interfecit. Brenus Gallorum Dux sibi ipse turpiter manus intulit. Plurima alia id genus exẽpla narrant Ethnici scriptores, non sine pondere & verborum amplificatione. Nam etsi nuda erant simulacra quæ pro Diis colebant, tamen, quoniam veros Deos esse arbitrabantur, hæc falsa persuasio efficiebat vt in templis diripiẽdis graue facinus admitterent, & ob eam causam verus Deus sacrilegos illos grauiter vindicaret; vt illorum suppliciis nos, qui eum agnoscimus, erudiret. Et permittebat quidem vt illi ipsi perstarent in errore, & illum cultum, qui nihil aliud quàm vana superstitio, ac idolorum seruitus, & fraus dæmonum erat, verã verique Numinis Religionem esse crederẽt.

Q. Curt. lib. 4. E contrario iidem scriptores Alexandrum Magnum multis laudibus extollunt, quòd *Polyb. lib. 5.* cum Tyrum captam militũ direptioni & incendiis reliquisset, iusserit eorum vitæ parci, qui se in Tẽpla recepissent. Quod idẽ præstitit, cũ Thebas cœpit; licet Thebanis mirum in *In Apophth.* modum esset iratus. Refert Plutarchus, Antiochum Magnum, cùm Ierosolymitanam vrbem obsidione premeret, Iudæis ad Paschalia celebrãda inducias petẽtibus libẽter cõcessisse, multosq; deauratis cornib⁹ tauros submisisse, & aquas odoris suauitate acerrimè

condi-

conditas, in vſum Templi: hacque tam magnifica liberalitate peruictos Iudæos, vt gratos ſe ac tanti beneficij memores oſtenderēt, poſt celebratos Paſchatis feſtos dies in Antiochi poteſtatē vltro veniſſe. Æmilius Probus ſcribit, Ageſilaum, captis Thebis, etſi aliquot vulnera acceperat, ſuoque ſanguine totus cruentabatur, non intermiſiſſe tamen, quin vetaret Templa violari. Ob quam pietatem qua in Deos ſemper floruit Ageſilaus, mirandum non eſſe, ſi fauore ſuo proſequerentur, facerentque, vt, quidquid aggreſſus eſſet, ei ſumma cū proſperitate cederet. Memorat Ioſephus quanta temperantia & moderatione Ieroſolymis à Templo Cn. Pompeius manus continuerit, & contrà, quàm inexhauſta cupiditate idem Templum M. Craſſus expilauerit, & cū exercitu ſuo à Parthis cæſus tanti ſceleris pœnas ſoluerit. Addit præterea, Regem Herodem, pecuniarū inopia preſſum, Dauidis ſepulcrum aperuiſſe; quòd vana ſpe deluſus crederet amplos theſauros in eo ſe reperturum: & affirmat, ex eo die magnis calamitatibus affectum, tantæ temeritatis audaciæque Deum vltorem ſenſiſſe. Sed omiſſis Ethnicorum exemplis, quæ multis verbis exaggerant, aliqua adferamus ex iis, quæ de re propoſita ſacris & Eccleſiaſticis monumentis continentur. Ex quibus habemus, quòd cùm Nabuchodonoſor, Aſſyriorum Rex, Templum Dei depædatus

In vita Ageſilai.

Plutarch. in Ageſilao.

Ioſeph antiq. lib 14. c. 8. & 12.

Antiq. libr. 16. c. 11.

Daniel 1 & 4.

 fuiſſet,

fuisset, postea in bestiam mutatus est: cuius
Daniel. 5. filius Balsasar hostium manibus peremptus
est, quòd in profanos vsus sacra vasa polluis-
2. Mach. 9. set. Rex Antiochus vermibus pabulum fuit.
2. Mach. 3. Heliodorus flagellis cæsus, semianimis relictus est; non quòd Templum spoliasset, sed
quòd asseruatos thesauros diripere voluisset.
Actor. 5. Legimus etiam Ananiam & Saphiram eius
vxorem repentè obiisse; non quòd bona ab
alio quopiam Templis dicata rapuerant, sed
quòd Apostolo mentiti partem suarum facultatum retinuerant, quas tamen Deo consecrauerant. vt intelligamus quantum curæ
adhibendũ sit, ne violemus quæ diuino cultui sunt mancipata. Propterea Gothorũ Rex
Alaricus, cùm Romam cepisset, grauibus pœnis propositis sanxit, ne milites templa spoliarent, nec quidquam eorũ, quę in Templis
erãt, attingerent; dicens, se cum hominibus,
non cum Deo immortali Diuisque cœlestibus, bellum gerere. Discurrentibus verò per
Oros. lib. 7. cap. 39. vrbem Barbaris, (vt scribit Orosius) fortè vnus Gothorum, idemque potens & Christianus, sacram Deo virginem, iam ætate prouectam, in quadam Ecclesiastica domo reperit: cumque ab ea aurum argentumque
exposceret, illa fideli constantia esse apud se
plurimum, & mox proferendum spopondit, ac protulit: dumque expositis opibus attonitum Barbarum magnitudine, ac pondere, & pulchritudine, ignota etiam vasorum
quali-

qualitate, intelligeret virgo Christi, ad Barbarum ait: *Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt: præsume, si audes; de facto tu videris. ego, quia descendere non valeo, neque tenere audeo.* Barbarus verò ad reuerentiam Religionis, timore Dei & fide virginis commotus, ad Alaricum hæc per nuntium retulit: qui continuò reportari ad Apostoli Basilicam vasa, vt erant, imperauit; virginem etiam, simulque omnes, eodem cum defensione deduci. Ea domus à sanctis Sedibus longo, vt ferunt, & medio interiectu vrbis aberat: itaque magno spectaculo omnium, disposita per singulos singula, & super capita elata palàm aurea atque argentea vasa portantur, exsertis vndiq; ad defensionem gladiis pia pompa munitur. Hæc Orosius. Si tanta igitur fuit Barbari Regis in Templa Religio; quid mirum, si eandem religionem adhibuit Clodoueus, dum in Alaricum copias duceret? si idem præstitit Alphonsus Rex Neapolitanus, cùm anno ab ortu Christi 1423. vi captam Massiliam diripuit ac vastauit, vt in historia Neapolitana scriptum reliquit Pandulphus Collenutius? si etiam magnus Dux Consaluus Ferdinandus eam Templorũ suscepit curam, quæ in eius vita scripta refertur? Plenæ sunt historiæ Ecclesiasticę exemplis Principũ, Ducum, atque militum, quos ob Templa violata, & raptas Ecclesiæ facultates, vltrix Dei manus secuta est: ex quibus aliqua seligens huc adducam.

Sigo lib.16. de Occiden. Imper.

Pand. Coll. lib.5 cap.12.
Paul. Iou.

Tripar hiſt. lib.6 c.32.

ducam. Iulianus, Iuliani Apoſtatæ & Imperatoris auunculus, & defectionis ſocius, cùm ex Antiocheno Templo ſacra vaſa ſacrilegio abſtuliſſet, eaque cum Imperatoris theſauro iunxiſſet, repentè ſæuo morbo correptus, viſceribus putrefactis, totoque corpore vlceratus, ebullientibus etiam & ſceleſtam carnem depaſcentibus vermibus, ac tandem non per ſolitos meatus, ſed per os blaſphemum excrementis ventriſque ſordibus egredientibus, miſerrimè interiit. Felix, quæſtor eiuſdem Imperatoris, & Iuliani in ſpoliando Templo adiutor, rupta vena cum ſanguine animam euomens, celeriter exſtinctus eſt, æternæq; morti contraditus. Mauritius Chartularius Iſacium, Italiæ pro Heraclio Imperatore Exarchum, impulit vt Lateranẽſis Baſilicæ ſacrarium ſpoliaret, & theſaurum maximum, quem ad eum vſque diem nemo auſus fuerat attingere, diriperet: ſed non multo pòſt Mauritius propter alia eius facinora captus eſt, & eiuſdem Iſacij mandato cum maxima ignominia morti traditus. Iſacius quoque non multis pòſt diebus repentè vita priuatus eſt; duorum miſerabili morte tantùm ſacrilegium vlciſcente Deo, vt refert Sigonius.

Sig lib. 1. de reg ital.

a Zon. to. 3. Bapt. Egn. in Vita Leonis.

Non abſimilis fuit [a] Leonis IV. Imperatoris Conſtantinopolitani exitus: qui cùm coronam auream pretioſiſſimam à Mauritio ſiue ab Heraclio Imperatore Templo S. Sophiæ dedicatam, cui præter cæteras gemmas inſer-

insertus erat inæstimabilis pretij carbũculus, abstulisset, ablatamque capiti suo imposuisset subitò pestilens & inflammatus natus est in capite tumor, quem carbunculũ vocant; quo etiam exstinctus est. S. Gregorius Turonensis narrat, post spoliatam & incensam à quibusdam militibus in Agennensi oppido S. Vincentij martyris Basilicam, eos tam acres sacrilegij sui pœnas soluisse, vt aliis ambustæ manus fumum emitterent; alios correptos, & contentis vocibus sanctum martyrem inclamantes, dæmon discerperet; alij sibiipsi manus violentas adferrent, ac propriis vulneribus conficerent. Trithemius auctor est, nonnullis diuinitus patefactum, Dagobertum Galliæ Regẽ, quòd Ecclesias passim expilasset, de impia hac vsurpatione ante diuinum tribunal postulatum fuisse; & Carolum Martellum, summa fortitudine Ducem, Pipini patrem, & Caroli Magni Imperatoris auum, suppliciis æternis ob idem scelus destinatum. Addunt alij, S. Eucherium Aurelianensium Antistitem iussisse sepulcrum eius aperiri, nihilque aliud in eo inuentum, præter adspectu deformem & inusitata magnitudine serpentem. Franciscus Tarapha scribit, Gundericum Wandalorum Regẽ, dum Hispali capta in Ecclesiæ bona tentat inuolare, à dæmone correptum miserabiliter occubuisse. Refert S. Isidorus, Agilam Gothorum Regem, Theodisili successorem, Templum

Blond. lib. 1. dec. 2
Niceph. lib. 18. c. 42.
Grego Tur. lib. 7. histor. c. 35.
Trithem. in Chron. Ducum Bauar.
Pau. Æmilius lib. 1.
De Regibus Hispan. in Honorio.
Ambros. de Moral. p. 1. lib. 10. c. 23.

plum D. Assisclo martyri sacrum, in quo corpus eius conditum erat, vngulis equorũ protritum violasse, & inopinata Cordubensium eruptione fuso exercitu, ex fuga Emeritam se recepisse; vbi ferro suorum peremptus est. Paleonidorus, vitam scribens S. Alberti Ordinis Carmelitarum, narrat, hostes in eius Templũ quod est in Sicilia, vnde ortus erat, ingressos profanũ fecisse; statimq; audito strepitu in arca qua B. viri sacra ossa claudebantur, multos è militibus, qui Templum violarant, interiisse, alios variis morbis affectos ac debilitatos fuisse; & postmodum reserata arca, quam fractam inuenerant, visum S. viri corpus genibus nixum, tanquam à Domino vindictam peteret. In vita S. Austregisili, Bituricensis Episcopi, legimus grauia quædam supplicia, quæ Deus Sancti precibus iis inflixit, qui Templum eius atque Monasterium spoliauerant. Rerum Hispanicarum historię narrant, Vrracam Alphonsi sexti Regis filiam, cùm Tempũ S. Isidori Legionensis ingressa expilasset, & gemmas, sacramq; ac pretiosam supellectilem in sumptus belli rapuisset, & ob spolia domum lætissima repeteret, in ipso Templi limine ruptis visceribus miserè diem suum obiisse: eam item ob causam Alphonsum Regem, virum eius, in Fragẽsi bello ab hostibus oppressum interiisse. Mitior fuit, sed iusta tamen, Dei in Petrum IV. Aragonum Regem manus. Hic enim

Sur tom. 4. 7. Augusti.

Hist. gener. Hisp. 4. par.

enim cùm vellet ſe dominum, ad quem dominium vtile, vt vocãt, pertineret, ab omnibus oppidis ac locis ciuitati & Epiſcopatui Tarraconenſi ſubiectis agnoſci, graui bello eandem Eccleſiam afflixit; ſed apparens S. Thecla, in cuius tutela ac præſidio ea ciuitas eſt, nimis imperioſum porrecta palma in faciem percuſſit: qua expulſatione languidior & imbecillior factus, cum ſumma agniti criminis deteſtatione mortuus eſt; factoq; priùs teſtamento mandauit vt Tarraconæ Pontifex in priſtinas poſſeſſiones reſtitueretur. Cùm Philippus Galliæ Rex, bello in Petrum Regem Aragonum moto, Gerundam cepiſſet; eius milites, qua erant inſolẽtia, vi Templis illata, ſancti quoque Narciſci patroni & tutoris illius vrbis, ſepulcrum diripuerunt: ſed inde egreſſa muſcarum inaudita forma & magnitudine examina, & magno impetu in multitudinem inuolantes ſic terruerunt, & acutis ac venenatis morſibus vulnerarunt, vt intra paucos dies hominum plus quadraginta, & equorum plus 24. millia ea peſtis abſumpſerit. Quin etiam Petrus ipſe Aragonum Rex, in epiſtola ad Sanchium Caſtellæ Regẽ data, ſcribit, equos ad 40. millia periiſſe. Neq; multo pòſt Rex ipſe Galliæ mortuus eſt Perpiniani. Ex hoc triſti euentu abierunt in prouerbiũ *Muſcæ S. Narciſci*, vt ſuis in Martyrologium annotationibus obſeruauit Cæſar Baronius. Affine eſt quod ſequitur. Anno 1414.

Hier. Surita lib. 10. Annal. c 39.

Surit. lib 4. cap. 69.

Baron. in Martyrol. 18. Martij.

Meyer lib. 15. Annal.

1414. dum Gallorum Rex bellum gereret aduerſus Ioannem Burgundionum Ducem, & Flandriæ Comitem, Auguſtam Sueſſionum Duci fauentem occupauit, & ſanctorū martyrum Criſpini & Criſpiniani (quorum corpora ea in vrbe ſunt in honore) Templū violauit: ſed anno circūacto, eo ipſo die qui ſanctis martyribus ſacer eſt, idem Gallorum fortiſſimus exercitus, ex hominum innumera multitudine & præcipua regni nobilitate cōflatus, victus, profligatus, atque cęſus fuit, ab Anglorū parua manu, quæ nec pacis fœdus, nec inducias à Gallis impetrare potuerat. Creditum autem vulgo eſt, Deum martyrum precibus impulſum, hac clade ab iis, qui Templum & ſepulcrum martyrum profanârant, pœnas exegiſſe. Gallicarum etiam rerum ſcriptores affirmant, cauſam, cur Deus ablatam regni Galliæ coronam à Clodouei ſtirpe (qui primus è Galliæ Regibus Chriſto nomen dedit) in Caroli Magni familiā tranſmiſerit, vel ab hac in Hugonem Capetum & eius poſteros tranſtulerit, non poſtremam fuiſſe, quòd horum nepotes & poſteri indiligenter Eccleſiæ bona & facultates adminiſtrarent.

Genebr. in Chronico, anno 988. Froyardus Epiſcop. & Aymonius.

CAPVT XXXVIII.

Continuatur ſuperius Caput.

NVllus eſſet finis, ſi quæ de propoſito argumento exſtant ſcriptorum exem-

pla

pla huc congerere vellemus. Verùm licet alia taceamus, æquum tamen non est vnum prætermitti, quod inter cætera inusitatũ est, & admirabile, quodq; scriptum reliquit Petrus Cluniacensis, æqualis S. Bernardi, & ob vitæ sanctitatem cognomento Venerabilis. Is itaque refert, in vrbe Mantisconæ, quæ Lugduno nõ multùm distat, Comitẽ quendam exstitisse, qui tyrannicè in facultates Ecclesiarum inuolabat, & qui de iniuriis querebantur Clericos & Præfectos pessimè accipiebat. Cùm ergo solemni & festo die in proprio palatio resedisset, circumstante eum diuersi ordinis multitudine; ecce tibi, eques ignotus tantæ maiestatis, & tam terribilis adspectu, vt intuentes attonitos prorsus perterreret: qui voce graui & seuera ad Comitem conuersus, vt se sequeretur non tam monuit, quàm imperauit. At ille inuisibili potentia constrictus, nec iam resistere valens, imperantem ad ostium vsque domus secutus est, vbi erat præstãs quidam equus, quem conscendere iussus ascendit, statimque velocissimè per aëra ferri visus est; excitaque ad immensos clamores & miserabiles eiulatus ciuitate, tandem euanuit. Tantus verò fuit tam tremendum spectaculum intuentium pauor & horror, vt in memoriam facti, & ne quis ostium palatij, per quod infelicissimus Comes eductus fuerat, pertransiret, lapidibus obstruxerint. Paulus Æmilius, ele-

Pet. Ven. de mirac. lib. 2. cap. 1.

Pau. Æmil. lib. 5.

gans & fidus rerum Gallicarum scriptor, idem propè de Guilielmo Comite Cabillonensi, crudeli Ecclesiarum oppugnatore, his verbis refert: *Fama celebris est, Cabillonensem Comitem, dum frequenti procerum conuiuio epularetur, ab ignoto quodam in equo præforibus sedente euocatũ exijsse; coactumq; è vestigio conscendere, è conspectu procul raptũ, nec deinceps vsquam apparuisse.* In eodem loco mox subdit, Niuernensem Comitem, immunitatis Ecclesiarum hostem, obtorquente sponte se in terga vultu, obiisse. Rex Aragoniæ Sanctius Ramirus, valentissimus Princeps, nonnulla Ecclesiæ vectigalia in vsum belli, quod cum Mauris gerebat, conuertit: & quanquam hoc bellum Reipub. & Religioni, cuius causa suscipiebatur, vtilissimũ erat, nec ob exhaustum ærarium cœptũ prosequi poterat; ita tamen animo commotus est, quòd in Ecclesiæ facultates manus iniecisset, vt anno 1081. Rotæ (vbi cum curia sua agebat) præsente Raymundo Dalmatio, eius vrbis Antistite, ad aram D. Vincentij publicam egerit pœnitentiam; iusseritque integra fide reponi, quod à Rotensi Ecclesia abstulerat, quæ ex ea detractione propè conciderat, vt scribit Hieronymus Surita. Addã illud, quod graues & prudentes viri obseruârunt: Principibus quibus vel cupiditas, vel prætensa veriùs quàm cogens necessitas, persuasit, vt licenter in bona Ecclesiæ inuoluent, aut iis se intricent, nihil prosperè

Surita. lib. 1. Annal. c. 25.

prospere & ex voto succedere; neque solùm Ecclesiasticas quas occupârunt facultates, sed & reliquas illis permistas deperire, & in eorum manibus dilabi quodammodo, atque dissolui, quòd instar tineæ sint quę pannum, cariei quæ lignum, rubiginis quæ ferrum consumit & arrodit; vel plumatum aquilæ, quæ mistæ cæterarum auium pennis, eas, vt dicunt, exedunt. Qua de causa Carolus VII. Galliæ Rex ad extrema ob æris inopiam redactus, destitutusque necessariis in bellum Normandicum, quod cum Anglis, qui eam prouinciam eripuerant, & à quo dependebat regni vniuersi pax & tranquillitas, gerebat, suadenti illi Ecclesiæ Præfecto vt in belli vsum decimas & sacra vectigalia conuerteret, facturũ se negauit, quòd malè cessisset Principum nonnullis, qui ausu temerario eam rem tentassent. Emanueli Lusitaniæ Regi (vt in gestis eius scribit Hieronymus Osorius, Episcopus Syluensis) Leo Pontifex concesserat, vt tertiæ & decimæ vectigalium Ecclesiasticorum in belli, quod in Africa gerebat, sumptus tribuerentur: sed cùm Rex obseruasset sibi, ex quo fuerat vsus hac Pontificis benignitate, nihil feliciter prospereque cessisse, eam concessionem decreuit remittere. Vult enim Deus ac Dominus noster, vt res eius cultui ministrorumque vsibus dicatas reuereamur, intelligamusque regnorum salutem & incolumitatem in eius

Iacob. Meierus Annal. Flandriæ libro 16.

Osor. de reb. Eman. li. 9.

poteſtate ſitam eſſe; neque ea opibus minui, ad inopiamq́ue redigi, quamuis bona Templis ac Dei miniſtris liberali manu conferantur. In cuius rei confirmationem hoc loco referam quam Imperator Baſilius, à Græcis Porphyrogeneta dictus, conſcripſit legem, quam ad idem argumentum citat Doctor

Conc. Tolet. 6. c. 15. Garcias à Loayſa ſuis in Concilia Hiſpaniæ annotationibus, vbi ſcribit, Nicephorũ Phocam donationes Monaſteriis ac Templis factas aboleuiſſe, lege etiam lata ne Eccleſiæ bonis perpetuis ſiue immobilibus locupletarentur, cauſſatus Epiſcopos malè prodigere ea quæ pauperibus donarentur, militibus interim fame & inedia turpiter preſſis: hac igitur lege ſubuerſa, aliam repoſuiſſe, quæ

Lib. 1. Cōſt. 69. Orient. ſic habet ex verſione Edmundi Bonæ-ſpei: *Imperium noſtrum; quod à Deo profectum eſt, cùm à Monachis, quorum pietas & virtus eſt teſtata, & à multis alijs legem de Dei Eccleſiis & ſanctiſſimis domibus, vel potiùs contra Dei Eccleſias & ſanctiſſimas earum domos, à Domino Nicephoro, qui imperium inuaſit, conditam, præſentium malorum cauſam fuiſſe, & radicẽ vniuerſalis huius ſubuerſionis & confuſionis, (vt quæ ad iniuriam & cõtumeliam non ſolùm Eccleſiarũ & ſanctiſſimarum domorum, ſed etiã ipſius Dei, facta ſit) intellexiſſem, & maximè cùm id reipſa expertus eſſem, (ex quo enim hæc lex eſt obſeruata, nihil boni penitus in hodiernũ vſq; diem vitæ noſtræ occurrit, ſed contrà nullũ penitus calamitatis genus defuit) ſtatuo*

per

per præsentem auream bullam, vt lex prædicta ab hoc præsenti die cesset, & deinceps infirma & irrita permaneat; & locũ habeant, & in vsu sint, quæ de Dei Ecclesiis & sanctis & religiosis domibus factæ sunt leges. Hæc Basilius. Legimus Alexium Comnenum, Constantinopolitanum Imperatorem, præter amplas & seueras leges conscriptas in eos qui Deo eiusque Templis dicata in suos vsus vertunt, vt suam in Deum pietatem declararet, in aurea (quam vocant) bulla hæc apposuisse: *Quòd si quis, Domine Deus, in posterum manus iniecerit sacris & diuinis clinodijs, vtensilibus, & vasis quæ sacris olim & venerandis Ecclesiis tuis dicata, vel in posterum dicanda fuerint, nec Sol illi matutinus illucescat, nec tuo hîc auxilio, nec tua istic diuina protectione gaudeat, sed vbique despectus à te desertusq; iaceat.* Eadem prorsus imprecata est Regina Theodelinda iis qui bona & possessiones à se Templo S. Ioannis Baptistæ in vrbe Moncia attributas occuparet, vt auctor est Paulus Diaconus. Alij præterea nec pauci Christiani Reges ac Principes, qui pietate ac Religione moti prædia, fundos, dona peramp la Templis eorumque ministris contulerunt, verentes ne progressu temporis auaritia & cupiditas hominum iura & tabulas donationum, quibus Deo dicata bona tamquam vinculis quibusdam muniuntur, violaret, prædictas aut similes exsecrationes ac maledicta apposuerunt, in eos congesta, qui

Paul. Diac. lib. 4. c. 7. de gest. Longobard.

sacrilegis manibus ea contingerent, sibique præter ius & fas vsurparent; vt si quos diuini Numinis timor & aduersus Ecclesiam reuerentia non coërceret, eos saltem periculum damnique metus contineret, cautioresque redderet. His terminamus priorem huius tractatus partem, qua ostendimus Christianorum Regum & Principum, tanquam tutorum, columnarum, & carissimorum Ecclesiæ filiorum, munus & partes esse, ad quas etiam Religione teneantur, eam vt defendant, & Catholicam fidem tueantur atque amplificent. Superest nunc, vt de aliis virtutibus agamus, quibus ornentur oportet, vt bene & feliciter imperent, & se suaque conseruent; doceamusque hoc virtutum ædificium niti debere Religione, tanquam firmissimo & munitissimo fundamento. Nam, D. Augustino teste, *sine vera Religione veræ virtutes non consistunt*: quod posteriori & proxima nostræ tractationis parte commonstrabimus.

Lib. 19. de ciuit. Dei.

(:)

DE RELIGIONE ET VIRTVTIBVS CHRISTIANI PRINCIPIS, LIBER SECVNDVS.

Cap. I.

In sola Religione Christiana perfectam virtutem inueniri.



VM Rex ac ſupremus Princeps ſit tanquam anima regni, cui præeſt; vel vt Sol lumine & motu mundo, ita ſuis vitam & ſalutem impertiat; vel certè ſicut imago & ſimilitudo quædam diuinum Numen in terris repræſentet: ſumma mentis cõtentione cogitare debet, quàm arctè & ſeuerè deuinctus ſit, atque obligatus, vt dignè quantum ratio & imbecillitas humana patitur) Deum in regendo gubernandoque imitatione exprimat; vtque Reip. vitam conciliet, ita præcellentiſſimis virtutibus illuſtretur ac clareſcat, vt popularium virtutes non ſecus obſcuret, quàm Solis lumen ſtellarum

claritatem offundit. Cùm igitur præcedenti libro de Religione, virtutum omnium potissima, ac cæterarum fundamento quodam, disseruimus, deque cura, quam Princeps suscipere debet eorum omnium quæ cultum diuinum concernunt, & ad Dei, cuius in terris vices gerit, venerationem obsequiumque spectant, hoc secundo libro (fauente ac propitio Domino) agemus de virtutibus verè regiis, regioque splendore dignissimis. Vt autem meliùs explicemus eas virtutes, in quibus inest veritas soliditasque virtutis, & quas ad rectam gubernationem Principibus inesse oportet, primùm exponam quantum inter Christiani Principis & Gentilium Principum ac Philosophorum virtutes discrimen intersit. Quam ad rem ponendum in primis, extra veram Religionem, veram aut perfectam virtutem nec fuisse, nec esse posse: neque, quod graues & seueri Philosophi, doctrina & exemplo vel fama illustres, aut laudatissimi Principes facto, in quocumque genere virtutis morum egerunt aut docuerũt, aliud fuisse, præter vmbram quandam aut externam imaginem virtutis, etiamsi historici Gentiles mirè extollant & deprædicent. Ac nouum videri non debet, si de virtutibus loquentes, Christianum à Gentili distermi-
2.2 q.83.c.7. nemus: nam, vt D. Thomæ interpres Caietanus asserit, cùm ethnicus alium hominis vltimum finem non cognoscat, quàm quem
lumine

lumine rationis & naturæ assequitur, ea in veris virtutibus reponit, quæ ad illum finem ducunt & dirigunt: at Christianus & Theologiæ magister, lumine fidei edoctus, in Deo perfruendo, quod naturæ vires excedit, summum hominis bonum finemque extremum locat; neque in virtutibus perfectis habet, quæ eò aut non spectant, aut non trahunt. Atque hoc vnum est ex præcellentibus Christianæ Religionis ornamentis & insignibus, quod absque ea nulla vera moralis virtus esse possit. Quamobrem de patientiæ virtute loquens D. Cyprianus, *Hanc*, inquit, *se sectari Philosophi quoque profitentur; sed tam illic patiẽtia falsa est; quàm & sapientia falsa est. Vnde enim vel sapiens esse vel patiens possit, qui nec sapientiam nec patientiam Dei nouit?* Quod & multis probat, ac sic concludit: *Quare, si sapientia inter Philosophos vera non est, esse non potest & vera patientia.* & D. Augustinus libro 4. contra Iulianum: *Constat* (ait) *quod quicumque Philosophorum Christum Dei virtutem & Dei sapientiam nescierunt, hi nullam virtutem,* (*scilicet perfectam*) *sicut nec verã sapientiam, vlla ratione habere potuerunt.* ac in libro de vera innocentia: *Nihil est* (inquit) *bonum sine summo bono: vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus*; id est, qui optimi esse videntur: & in libro de continentia, circa finem, negat illam cõtinentiam veram esse castitatem, quæ cum

Cypr. de bono patient. in fine.

Aug. lib. 4. cont. Iulian.

Lib. de vera innocentia.

Lib. de continentia.

fide non sit coniuncta. & libro 5. de Ciuitatẽ Dei, *Constare*, inquit, *debet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei, vero cultu, veram posse habere virtutem.* Quod repetit libro 19. capit. 25. Qua etiam ex causa Diuus Thomas definit, sine charitate veram & perfectam virtutem esse non posse. cuius rationem sic quidam explicant. Vt virtus aliqua perfecta sit, omnibus suis circumstantiis vestiri debet: qua vna deficiente, absoluta virtus esse non potest. At verò inter eas præcipuum locum obtinet finis in quem virtus dirigitur: fines verò particulares referuntur ad vltimum, summum, & vniuersalem, qui Deus est; ad quem, tamquam ad scopum, actiones omnes nostræ sunt dirigẽdæ. Quod fieri nequaquam potest, nisi Deus tamquam summum & extremum hominis bonum cognoscatur. A qua cognitione cùm longissimè abessent Gentiles, non potuerunt non è scopo, in quem intendere debebant, aberrare: nam eorum actiones debitis circumstantiis nudatæ erant, neque rectæ rationis regula dirigebantur, neque ad verum finem tamquam ad amussim reuocabantur. Etenim recta omnis ratio nos docet vt amemus magis, quod amore dignius est; minus verò, quod minùs amari meretur: & vt sui gratia ametur, quod ex se ipso amari dignum est; quod verò non est eiusmodi, quãuis honestum sit, ac bonum, nõ propter se, sed ob bonita-

Lib. 5. de ciu. Dei. c. 19.

Chrys. Iauell. Phil. Christ. 1. par. cap. 6.

nitatem quam habet communicatam ab eo quod ex se amabile est, diligatur. Hinc nascitur naturalis illa obligatio, qua veræ & iustæ rationis lege obstringimur omnes, vt Deum tanquam summum & vltimum nostrum bonum super omnia & propter seipsum amemus, cùm solus naturâ infinitum sit & interminatum bonum ; reliqua verò omnia propter ipsum, in ipso, & per ipsum; & quidquid sumus, quidquid cogitamus, loquimur, & facimus, id omne ad ipsius gloriam honoremque referamus, edocti ab Apostolo, qui etiam in rebus abiectissimis, quotidianis, & necessariis hoc faciendum censet, quandoquidem (eodem Apostolo teste) *Regi sæculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum.* Quoniam igitur sapientes huius mundi, & Principes ethnici, vel etiam optimi & præstantissimi, hanc veritatem nesciuerunt, neq; huc spectarunt, aut tamquam in scopum finemque propositum actiones suas direxerunt, idcirco solidas verarum perfectarumque virtutum moralium effigies non expresserunt, (quæ sine vltimo fine nusquam cohærent) sed vmbras tantùm ac imagines, & veluti crassiora virtutum lineamenta adepti sunt. Huc accedit, quòd vt aliquod opus virtutis esse dicatur, necessariũ est omnino fiat vt amore respectuq; virtutis: nam si alium finem spectet, nec recta, nec honesta, nec à virtute pro-

1. Cor. 10.

1. Tim. 1.

fecta dici posset. Etenim, ex Aristotelis sententia, sicut vt aliqua actio ex virtute sit, necessarium est vt ex se ipsa eiusmodi sit, & qui eam exercet, quid agat sciat, & prudens volensque agat: ita etiam necesse est vt nullus vitiosus finis, aut inordinata circumstantia eam inficiat & deprauet; alioquin rationem & virtutis nomen amitteret. Cum ergo idolorum cultus tam grande perniciosumque sit malum, menti vt tenebras offundat, voluntatem corrumpat, & animi vires ac sensus affectionesque omnes peruertat; hinc cōsequens est, ethnicos homines veras virtutes non habuisse, quoniam actiones suas vitiosis finibus deprauabant, non ipsam sectātes virtutem, sed laudem, honorem, & inanem gloriam, popularemque auram aucupantes, vt de Romanis refert D. Augustinus, qui honoris appetitu & imperij cupiditate cæteros affectus motusque immoderatos superarunt. Quod ipsum pluribus probat D. Gregorius Nazianzenus, & de Philosophis loquens hæc habet: *Primùm secuti rem bonam non sunt bene. Magè nam mouebat gloria hos, quā amor boni.* Et in tertia Oratione, quæ prior est ex duabus quas in Iulianum scripsit, affirmat virtutem in Philosophis speciosum tantùm nomen fuisse, quòd veram solidamque virtutis vim & naturam non obtineret. Ex quibus sic explicatis illud etiā sequitur, nec Lucretiæ castitatem veram castitatē fuisse, nec Aristi-

August. de ciuit. Dei lib. 5. c. 12.

Nazianz. in Carm.

Orat 1. in Iulian.

Ariſtidis iuſtitiam veram iuſtitiam, nec Alexandri Magni aut Iulij Cæſaris fortitudinem verã exſtitiſſe, nec Socratis temperantiã veræ temperantiæ rationem habuiſſe, nec iuriſiurandi fidem, quam Atilius Regulus Carthaginenſibus ſeruauit, in veræ iuſtitiæ partibus numerari debere, nec Catonis prudẽtiã verã dici poſſe, cùm iſtis omnibus, quas illi pleno ore virtutes appellant, id defuerit, in quo vis & ratio virtutis potiſſimum conſiſtit, ſcilicet vt virtutem propter ſe ipſam amemus, amplectamur, ſectemur, & in pretio habeamus; nec humili & abiecto fine maieſtatem eius & ſplendorem veluti macula quadam & tenebris adſpergamus. Quapropter ſi diligenter animum aduerterimus, reperiemus Philoſophos, & eos Principes quos hiſtoriæ nobis proponunt tamquam decora & ſimulacra virtutum, (quòd oculos imperitæ multitudinis, nonnullo virtutum, falſo tamen, ſplendore perſtringerent) tot vitiis coopertos fuiſſe, vt cum veris & perfectis virtutibus coaleſcere ſtareque non poſſent. Quod eleganter demonſtrat Gtegorius Nazianzenus, & nos Socratis, Platonis, Diogenis; quos vt ſapientiæ amatores tot præconiis Græcia celebrauit) & Catonis vtriuſque, Senecæ, pluriumque aliorum, quos apud Latinos ſeueritatis & temperantiæ opinio commendauit exemplis probare poſſemus, quorum omnium vita multis, neque leuibus, vitiis fuit

reſperſa,

respersa. Quare etsi in iis quæ dicturi sumus de propriis Christiani Principis virtutibus, nonnumquàm (D. Augustinum imitati) Ethnicorum Principum, quos ab iis virtutibus, quas explicabimus, commédat antiquitàs, exempla adferemus; non ob id tamen existimare debet prudens lector, vel perfectas virtutes fuisse, vel à nobis tales haberi: nam neque perfectæ fuerunt, neque nobis aliud propositum est, quàm Christianos Principes docere virtutum perfectionem, quam sanctissima nostra Religio in iis requirit, & ad quas multùm splendentes deuincit & obligat; atque vt excitemus & pudore suffũdamus eos, qui hac in re desides sunt, & socordes, adferre Gentilium Principum aliqua exempla qui etsi in tanta erant mentis cæcitate, vt verum Deum & summum bonũ non cognoscerent, tamen tam egregiis actionibus excelluerunt, vt veris summisque virtutibus ornati & dignissimi viderentur; & nos ex illis vtilitatem capere possimus non exiguam, vel nostrum teporem & torporem excitando, vel animi imbecillitatem reprehendendo.

Capvt II.

Oportet Christiani Principis virtutes veras esse, non (vt docet Machiauellus) adumbratas & fictas.

Posi-

POSITO eo quod iam probatum est, in sola Christiana Religione perfectam virtutem inueniri; consequens est, Christiani Principis virtutes non adumbratas aut fictas esse oportere, sed solidas atque expressas. Etenim nisi veræ synceræque sint, virtutes non erunt, sed vmbræ tantùm virtutum; nulloq; modo Christianus Princeps anteponi deberet ethnicis Principibus ac Philosophis, quos suprà diximus germanis præcellentibusque virtutibus caruisse, quin etiam illorum multis esset postponendus. Qua in re Machiauellus ea docet, quæ cum veritate & pietate ex diametro pugnant, & quæ non modo Christiano, sed etiam prudente & sapiente viro indigna sunt. Nam in libro quem de Principe inscripsit, dicit repetitque frequentiùs, Principem, vt cautiùs decipiat, & statũ suum melius conseruet, timorem ac reuerentiam diuini Numinis simulare debere, quamuis nec Deum amet, nec metuat; modestiam ac temperantiam, etiamsi dissolutus sit & intẽperans; clementiam & lenitatem, licet crudelis sit, & ferus; cæterarumque omnium virtutum speciem & imaginem quandam ostentare, cum illi expedit, vt vitia sua tegat, &, qui non est, habeatur: sed speciatim capite decimooctauo, in quo disserit quonam modo Princeps fidem seruare debeat, hæc habet, quæ de Italica in Hispanicam versá Latinè fideliter reddidimus: *Non est* (inquit)

necesse

necesse vt Princeps omnes illas qualitates habeat, de quibus locuti sumus: expedit tamen vt habere videatur. quinimmo dicere ausim, si verè adsint, & semper seruentur, perniciosas esse; sin inesse putentur, fructuosas. Veluti si pius, fidelis, humanus, religiosus, & integer credatur, atque etiam reipsa talis sit; ita tamen, vt, cum opus fuerit, & casus feret, possit & sciat mutare sese, atque in contrariũ vertere. Est autem sciendum, Principem, nouum præsertim, & primùm imperio admotum, nõ posse obseruare ea omnia, quæ hominibus virtutis & probitatis opinionem conciliant: frequenter enim status conseruandi causa cogitur fidei, caritatis, humanitatis, & Religionis iura perfringere. sed oportet eum sic animo affectum esse, vt paratus sit ad omnem ventum & fortunæ varietatem vela vertere: &, (sicut supra dixi) si possit, à bono non deflectat; sed in malum nouerit declinare, cùm hoc necessitas postulabit. Itaque curandum Principi vt nullum verbum excidat, quod non redoleat plenumque sit quinque antedictis virtutibus; & qui eum viderit vel audierit, iudicet totum ex pietate, fide, integritate, humanitate, & Religione proficisci. Nihil autem magis necessarium est, quàm vt in Principe videatur esse virtus hæc postrema, nempe Religio: nam homines ferè oculorum potiùs quàm manuum iudicium sequuntur, quoniam videre omnium est, tangere & manibus contrectare paucorum. Hæc omnia Machiauelli sunt verba ab inferis promanãtia, vt omnem Religioné euertant, & veluti ictu vno ex Christiani

ſtiani Principis animo virtutes omnes conuellant. Quod dogma non modo cum Chriſtianæ Religionis decretis, ſed etiam cum ratione & veræ philoſophiæ placitis pugnat. Cicero enim hæc ſcribit: *Præclarè Socrates hãc viam ad gloriam proximã & quaſi compendiariam dicebat, ſi quis ageret, vt, qualis haberi vellet, talis eſſet. Quòd ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modò ſermone, ſed etiã vultu, ſtabilẽ ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atq; etiã propagatur: ficta omnia celeriter tamquam floſculi decidunt; nec ſimulatũ quidquã poteſt eſſe diuturnum.* & paulo pòſt: *Qui igitur adipiſci veram gloriam volent, iuſtitiæ fungantur officiis: ſed vt facillimè, quales ſumus, tales eſſe videamur etſi in eo ipſo vis maxima eſt, vt ſimus ij, qui haberi volumus.* Idem Cicero in primo Officiorũ, *Totius autem*, ait, *iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quàm eorum, qui tum, cùm maximè fallũt, id agunt, vt boni viri eſſe videantur.* & lib. 2. de natura Deorũ, *Cultus autem Deorum*, inquit, *eſt optimus, idemq; caſtiſsimus, atq; ſanctiſsimus, pleniſsimuſque pietatis, vt eos ſemper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur.* Hæc omnia Tullij ſunt, & valde conſentiunt cum hoc Platonis dicto: *Extrema eſt peruerſitas, cùm prorſus iuſtitia vaces, ad id tamen niti, vt vir bonus eſſe videaris.* Vnde etiam illud Senecæ: *Ficta citò in naturam ſuam recidunt: quibus veritas ſubeſt, quæq; (vt ita dicam) ex ſolido enaſcuntur,*

Cic. lib. 2. Officior.

Lib. 1. Off.

Libro 2. de nat. Deor.

Plato lib 2. de Republ.

Senec. lib. 1. de clem. ad Ner. c. 1.

tempore ipso in maius meliusque procedunt. Qui idem affirmat, optimum animum pulcherrimum Dei cultum esse. & noster Lactantius summam Religionem, qua Deum colimus, in eo positā dicit, vt illum semper intueamur, ab eo pendeamus. Hermes Ægyptius dicere solebat, vnicum cultum, vel potiùs præcipuam diuini cultus partē esse, vitium fugere, & maleficiis se non inquinare. Hæc verò probitas, quam isti auctores requirunt, opposita est ꝓrsus fucatæ & simulatæ virtuti, quam Machiauellus docet. D. Basilij sententia est, duplici pœna dignum esse, qui sub pallio virtutis vitiosus est. Cui consentit Theophylactus, & D. Hieronymus eiusmodi verbis: *Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, cùm virtutum specie celantur.* Confirmat idē in diuinis Litteris Spirit⁹ sanctus sequenti dicto: *Si dissimulauerit; delinquit dupliciter.* Simulata enim æquitas, vt inquit Aug. non est æquitas, sed iniquitas duplex: quia iniquitas etiam est simulatio. Docet itaque Christiana Religio, hominis partes esse, vt integram incorruptāque veritatem seruet: veritatem in vita, moribus diuinæ Legi conuenienter instituendis; veritatem in iis quæ ad æquitatem iustitiamque pertinent, vnicuique quod suum est reddendo, id quod scit, cum à legitimo Iudice exigitur in iudicio, manifestando; veritatem doctrinæ, nulla re falsa docēndo; deniq; veritatem pectoris,

Hier. epist. ad Celant.

Eccl. 23.

ris, apertum vt illud ſit, nihil fictum habeat, velisque, qualis es, talis haberi; & talis eſſe, qualis videris. nam, vt præclarè ſimulatores alloquens ait Chryſoſtomus, *Hypocrita, vt quid vis apparere quod non vis eſſe? ſi malũ eſt malum eſſe, vt quid vis eſſe quod non vis apparere? ſi bonum eſt bonum apparere, melius eſt bonum eſſe: ſi malum eſt malum apparere, peius eſt malum eſſe. Ergo aut apparere ſtude quod es, aut eſto quod appares.* Quid prodeſt ouem videri, lupum tamen eſſe? fimetum eſſe niuibus coopertum, aut ſepulcrum foris dealbatum, intus verò oſſibus atque vermibus plenum? Sed dicit Machiauellus, Principem, vt ſtatum imperiumq; ſuum conſeruet, cogi frequenter vt fidei, charitatis, humanitatis & Religionis iura violet. Sed quæ vnquã res aut neceſſitas accidere poteſt, vt ob principatus conſeruationẽ virtutes eas peruertẽdas ſuadeat, cum abſque iis ſtare non poſſit? Quòd ſi ſpecies & imago earum virtutũ ad imperij conſeruationem, bonamque Principis æſtimationem tuendam, neceſſaria eſt: quanto plus eam ad rem valebit veritas quàm mendacium! corpus quàm vmbra! res ipſa quàm eius ſpecies! id quod ſolidum eſt, atque eminens, quàm quòd adumbratum eſt, & pictũ! quod nec celari nec fallere diu poteſt, & ſi quando ꝓdit, ac in vulgus emanat, in tãto acerbius hominũ odiũ adducit Principé, quãto ſe ab eo deceptos magis intelligunt. Etſi

Chryſ. ſuper Matth. c. 7.

verò laborandum sit Principi vt veris & non simulatis virtutibus commendetur, non tamen ex bona vel mala hominum opinione salus & conseruatio regnorum potissimùm pendet, sed ex Dei voluntate, qui pro arbitrio imperia dispensat, conseruat, concedit & transfert. Quam supremi Numinis voluntatem nulla re alia sibi meliùs conciliabit Princeps, nec magis præsentem propitiumque in tuendo imperio experietur, quàm si sanctissimam eius Legem obseruet, & illis veris ac sanctissimis virtutibus quas edocet, quasque fideliter casto synceroque corde petentibus liberaliter communicat, ornatus ei deseruiat; cùm præsertim fidem, caritatem, Religionem non ob id tantummodo complecti debeat Princeps, vt earum præsidiis imperium tueatur, sed quia Deus ita fieri cupit, & per se ipsæ merentur. Neque enim Religio ad principatum dirigi tanquam ad finem suum debet, sed ad Religionem principatus, quẽadmodum prima huius Operis parte explicauimus. Nam si contrarium accidat, & virtutum functiones temporarium finem intueantur, virtutes esse desinent. quod censet D. Augustinus, cùm ait: *Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tẽdit, vbi est bonum hominis quo melius non est.* Quæ sententia adeò vera est, rationique consentanea, vt eam Cicero nõ ignorarit, cum hæc in verba scripsit: *Tum autem, cùm non ipso honesto mouemur vt viri*

Aug lib. 5. de ciu. Dei, cap. 12.

Cicer. li. 1. de leg.

viri boni simus, sed vtilitate aliqua, atque fructu; callidi sumus, non boni. Et Crispus Sallustius admonet vt probi magis esse quàm videri studeamus. Et Cato (vt de eo scribit Velleius Paterculus) numquam rectè fecit vt facere videretur. Verissimè tamen dictum est illud à Plinio: *Multi famam, conscientiam pauci verentur.* Ex quibus liquidò constat quàm perniciosa sit Machiauelli doctrina; & quæ ex tã pestifero fonte aqua promanet; & quàm infirma sit reipublicæ administratio, quæ talibus nititur fundamẽtis; quàmque exitiosus futurus sit qui ex tam corrupta arbore & radice nascetur fructus; denique quàm mirandum non sit, eos qui ex vitiosa hac aqua bibunt, & ex hoc mortifero fructu edunt, iudicium simul cum mente amittere, Religionem & veras virtutes deperdere, atq; in stultas delirationes absurdissimosque errores Machiauelli & aliorum Politicorum præcipites labi, qui falsa illa status ratione vanaq; prudentia perniciem vniuerso terrarum orbi ac vastitatem intulerunt.

In Catilin

Lib. II. hist.

Plin. epist. lib. 3.

CAP. III.

Machiauellus id agit, vt Princeps simulator sit, & hypocrita; & quàm Deus fictionem & hypocrisim detestetur.

QVÆ Machiauellus & Politici tradunt de simulatione, & fictis Prin ipis virtu-

 tibus

tibus, (de quibus capite superiori locuti sumus) eò omnia spectant, vt perfectissimum hypocr tam & simulandi artificem forment; qui aliud dicat, aliud agat, sitque instar mõstri ex variis formis compositi; pelle ouis videatur, reuera autem sit lupus; vultu homo, corde vulpes; qui Leopardum macularum varietate superet; qui blandè arridens, manu sicam teneat; cui sit vox Iacob, & manus Esau; qui, dato falsę pacis osculo, tamquã alter Ioabus Abnerũ & Amasam conficiat, & quasi Iudas Christum vendat; qui vocem hominis imitetur, vt seductum laniet ac deuoret, & crocodili in modum postea lacrymas emittat; qui foris vt cygnus candorem mentiatur, intus verò duram & nigram carnem habeat; & sicut poma quæ in terra Sodomæ nascuntur, colore & pulchritudine oculos pascat, quæ vbi attigeris, vel manu presseris, in puluerem cineremque redigantur; qui vt simiæ (quæ ne tantillum quidem à simiarũ natura discedunt) humanas actiones æmuletur; qui papilionem referat, qui circũuolat, & adspectu pulcher videtur, sed semen emittit, ex quo eruca nascitur variis picta coloribus, & folia, fructus, omnemq; arboris speciẽ depascit & absumit. Talis est Princeps quem fingit & format Machiauellus, simulationis architectus, quẽ vult folia Deo, fructus verò dęmoni offerre; & quasi Dominus noster, vniuersitatis huius rector, & Deus

2. Reg. 3. & 20.

Deorum,

Deorum, lapideus aut ligneus Deus esset, qui nec sciat, nec videat, nec remuneretur quæ bene malève geruntur in terris, ita Principem instituit vt laruam pietatis, Religionis, iustitiæ cæterarumque simulatarum virtutum induat, vt eius cupiditati, ambitioni, & imperij conseruandi desiderio Religio ipsa ancilletur; quippe qui velit imperio cætera omnia postponi: & hanc publicæ rationis administrationem existimat esse præclarissimam. vnde præclarè Lactantius, *Quidam* (inquit) *probitate ficta viam sibi ad potentiā muniunt, faciuntque multa quæ boni solent; eò quidē promptiùs, quòd fallendi gratia faciunt. vtinamq́; tam facile eßet præstare, quàm facile est simulare bonitatē! Sed ij cùm esse cœperint propositi ac voti sui compotes, & summū potentiæ gradū cœperint, tū verò, simulatione deposita, mores suos detegunt, rapiunt omnia, & violant, & vexant, eosque ipsos bonos, quorum causam susceperant, insequuntur; & gradus, per quos ascenderūt, amputant, ne quis illos contra ipsos poßit amputare.* Hucusque Lactantius. Diuinus Spiritus in sacris Litteris dicit, Deum propter peccata populi aliquando permittere vt hypocrita regnet. Ergo animaduersio & castigatio est diuina, eaque grauissima, cùm ob subditorum peccata simulatoribus atq; hypocritis regni gubernacula Deus cōmittit. Cū ergo hæc certissimæ sint veritatis, quo pacto Machiauellus tāquā regulā optimæ administrationis regi-

Lib. 6. c. 6.

Iob. 34.

minisque assignat, quod iræ furorisque Domini manifestum est indicium? quâ tandem ratione in Christiani hominis pectus cadere potest, quod Christo tam euidenter aduersatur? quomodo Christianorum in numero hebere, aut tam glorioso nomine dignari possumus, qui vel docent, vel eiusmodi doctrinam probant aut sequũtur? Si boni Principis consilia & actiones in popularium salutẽ vt finem diriguntur; simulator verò & fictus Dei flagellum est, quo eos exercet & perdit: quî fieri potest, vt idem sit & Princeps bonus & hypocrita? Quò non irrũpit, quò non penetrat hæc fallax hypocrisis? quid est quod non inficiat hoc venenum, quod non corrumpat hoc pestis, quod non conuellat aut disturbet ista simulatio? cum legamus certum quendam Principẽ fuisse, qui in Monasterio, quod sumptibus suis exædificarat, habitu exteriori Monachum mẽtitus, vitam Monachi agebat, psallendo & cantando, cum cæteris, aliasque cæremoniis obseruando, quæ religiosi sunt instituti; vt ea arte faciliùs subditos deciperet, tandemque & ipsos & statum euerteret: quemadmodum etiam factum scimus ab Ioanne Basilio, Moscouiæ Duce. Sanctus Hippolytus martyr Antichristum depingens tamquam perfectissimum simulandi & dissimulandi artificem. Politicorumque optimum magistrum, hæc habet: *Verùm in primordiis eius clemens erit,*

Hippol. libro de consum. saculi.

factus

factus ad dilectionem, quietus, religiosus, pacificus; qui odio persequatur iniustitiam, detestetur munera, idololatriam non admittat, amet Scripturas, reuereatur Sacerdotes, canitiem honori tribuat, scortationem repudiet, adulterium abominetur, obtrectationes non audiat, detractiones non recipiat; hospitalis, studiosus pauperum, viduis opem feret, pupillos tuebitur, cunctos diliget, conciliabit homines ad amicitiam his verbis, Sol non occidat super iracundiam vestram: nō possidebit aurum, nec diliget argentum; diuitias non amplectetur: atque hæc omnia faciet consilio simulato ac fraudulento, quo circumueniat omnes vt se Regem creent. & paulo pòst: *Atque initio quidem mendax ille & iniquus ille subdolè gloriam hanc repudiabit, ac perseuerantes homines & obsecrantes illum declarabunt Regem: postea extollet animum, &, qui priùs erat mansuetus, euadet ferox.* Hæc & alia multa de perniciosa Antichristi simulatione S. Hippolytus, qui meo iudicio in hac Antichristi imagine eum Principem, quem Machiauellus formandum suscepit, exprimit, & suis coloribus egregiè depingit. Nec minùs accuratè eundem describit D. Hilarius, dum in Constantinum Imperatorem his verbis inuehitur: *Pugnamus cōtra persecutorem, fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium Antichristum, qui non dorsum cædit, sed ventrem palpat; non caput gladio dissecat, sed animam auro occidit; non ignes publicè minatur, sed gehennam priuatim accendit: Christum* D. Hilar. in Const.

confitetur, vt neget; Ecclesiæ tecta construit, vt fidem destruat. Quæ cùm ita sint, in quod odiũ & Dei offensioné incurrere credimus pseudomenon & simulatorem? *Abominatio Domini est omnis illusor*, ait Spiritus sanctus. & alio in loco: *Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Et quidem optimo iure, cùm sibi mutuo aduersentur bonum simplex, cuiusmodi est Deus; & duplex, ac artificiosa simulatione compositum, quale est hypocrita. Deus enim cor hominis petit, propterea dicit: *Fili, præbe mihi cor tuum. &: Diliges* D E V M *ex toto corde tuo.* & : *Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciã, vt in præceptis meis ambuletis.* ac sine corde nihil gratum & acceptum est Deo. At fictus & hypocrita dæmoni cor præbet, Deo autem vanitatis suæ vmbras offert. Deus, vtpote spiritus, vult vt in spiritu & veritate illi seruiatur: at simulator & hypocrita externa tantùm specie, & cæremoniis, quæ foris adhibentur, illi seruit. Tota animæ sanctę pulchritudo & gloria ex interiore ornatu, quo Deo grata est, & accepta, consurgit. Nam vt fetus in matris visceribus concipitur, & sicut corpus à corde, arbor à radice, domus à fundamento initiũ ducit: ita Christiana & spiritalis vita ex cordis adeoque mentis ipsius affectu ortum habet. At hypocrita

Marginal notes: Prouer. 3. · Eccles. 2. · Prouer. 23. · Deut. 6. · Ezech 36. · Ioan. 4. · Psalm 44.

crita quemadmodum ædificium ſine fundamento mox corruit, ſicut arbor abſq; radice quamprimum areſcit, & vt color ſine re ſubiecta, accidens abſque ſubſtantia concidit, & quaſi fumus celeriter euaneſcit. Nullum vitium in ſacroſancto Euangelio vitulperatum aut à Chriſto Seruatore reprehenſum magis reperimus, quàm ſimulationis crimen: qui enim publicanos ad ſuam conſuetudinē admittebat, cum pauperibus veſcebatur, mulieres adulteras in crimē à Phariſæis vocatas defendebat, & ſumma animi lenitate peccatoribus ignoſcebat, ſolos hypocritas ſic alloquitur: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ.* quod frequentiùs iterat, & tanquam hominibus periculoſis, pernicioſis, & Deo exſecrandis obijcit, ipſamque hypocriſin fermentū vocat, quod totam maſſam inficit; monetque vt ab eo nobis caueamus. Ad eam rem facit, quod ex Gregorio Nazianzeno & aliis ſcriptoribus de Gallo & Iuliano fratribus, Conſtantijque Imperatoris patruelibus, huc adferam. Ambo fratres martyri Mamanti ſumptuoſum & magnificum Templum magna æmulatione cœperunt exſtruere, opere inter ſe diſtributo. Gallus natu maior verè & ſeriò Religionem colebat, & animo planè pio ac ſyncero præſtabat quæcumque faciebat. Iulianus laruam tantùm & ſpeciem pietatis habebat; & eo conſilio ſolùm opus ſuſceperat, vt pius videretur,

Matth. 23. & 7. & 15. & 22. et 24.

Luca 12.

deretur, & Religionis obtentu Christianos falleret. Sed Deus, qui latebras & recessus animi intuetur, manifesto miraculo declarauit, quantopere diligat purum & syncerum cor, quantumq́ue mentem fictam & simulatam detestetur; nam quidquid impensis Galli exstruebatur in Templo, feliciter assurgens succedebat, eratq́ue stabile & firmum; quod autem nomine Iuliani fiebat, vno die ædificabatur, altero corruebat. vt hinc intelligatur quàm referat, idem opus fieri vera vel simulata pietate. Cæterùm non minùs exitialis est hominum vitæ hæc simulatio & hypocrisis, nec minorem labem adspergit Principis æstimationi ac famæ, aut imperij conseruationi calamitatem & perniciem adfert, quàm Deo exsecranda. ná simulationis germana soboles est perfidia, qua euertuntur & labefactantur res omnes, quæ veritate & fide

Cic. orat. pro Rosc. 1 Offi. 2. de diuin. stant firmissimè. Hanc fidelitatem Cicero nunc vocat commune præsidium, nunc iustitiæ fundamentum, nunc Reipub. conseruationem.

Plato epist. 10. Plato eandem fidem firmitatem veram, puram synceritatem, clarissimamq́ue philosophiam nominat.

Val. lib. 6. cap. 6. Valerius Maximus sic commendat, vt certissimum humanæ salutis pignus portumq́ue appellet.

Halic. lib. 8. Dionysius verò Halicarnasseus scribit, veteres Templum fidei (quam nos fidelitatem dicimus) exstruxisse, in quo fiebant pactiones; de pace & concordia fœdera feriebantur, amici-

tia fide & Religione sanciebatur, dicebatur sacramentum, & iusiurandum publicum dabatur: sine qua (vt gloriosissimus Antistes & fortissimus martyr Cyprianus ait) nulla inter homines negotiatio, nullum commercium, nulla communicatio vtilitatum esse potest. Quis vicinus vicino fidet suo, quis mercator mercatori, quis cōsanguineus consanguineo, amicus amico, nisi fidum existimet? & quæ verbis profitetur, reipsa facturum arbitretur? & quod dicit aut negat, verè dicere vel negare credat? Quòd si Princeps (vt Ægidius Romanus asserit) est regula, qua omnes qua eius regno continentur, & cæteri etiam, dirigi debent; si regula hæc obliqua fuerit, atque distorta, quomodo populares suos ad rectam normam exiget? quomodo eos ad virtutis præscriptum exquiret? quo circino, quo perpendiculo, norma, aut regula in sua Republ. collocabit vtilissimam & maximè necessariam fidelitatis columnam, qua totius administrationis ædificium sustentari debet, cùm eam ipse actionibus suis obliquis deiiciat atque euertat? Præterea, si Principem magnanimitas maximè decet, & viri magnanimi proprietates sunt, (auctore Aristotele) vt apertus sit ac simplex, veritatis perquam studiosus, &, quos amore vel odio prosequitur, apertè & palàm, non tectè vel dissimulanter, amet & oderit: (putat enim parui & abiecti animi esse, aliud habere in pe-

Cyprian. in Symb.

Aristo. l 4. Ethic.

in pectore, & aliud sermone fingere; aliud in corde gerere, aliud fronte simulare, & illi, cui malè velit, præ se ferre bene velle) hac simulatione, quam suadent Politici, admissa, ab animi magnitudine, quæ cum hypocrisi nulla societate coniungi potest, Principem discedere necesse est: eadem etiã ratione ab syncero & integro animo, à veritate, iustitia, ab iis omnibus virtutibus, quæ sine fide conseruari non possunt; denique à veri iustique Principis opinione & nomine, quod ad imperij salutem tuendam adeò necessarium est. Cùm Parmenio Alexandro Magno suaderet, vt dolo & astu hostes vincere conaretur, Rex magnanimus his verbis respondit: *Id facerem si Parmenio essem; at quia sum Alexander, facere nolo.* Pyrrhi medico offerẽti sese ad necem domino suo inferendam, si factum auro pensaretur, non solùm non assensit Fabricius, sed etiam ad Pyrrhum literas dedit in hæc verba: *Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium à nobis peteret, si te clàm interfecisset. Id nos negauimus velle, neve ob eam rem quidquam commodi exspectaret: & simul visum est vt te certiorem faceremus, ne, si quid eiusmodi accidisset, nostro consilio ciuitates putarent factum; & quòd nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu, nisi caueas, iacebis. Vale.* Quid ergo faciendum Principi Christiano, cùm ista dixerint & fecerint Gẽtiles? Verùm quoniam, cùm de iustitia age-

Franc. Patric de Repub. lib. 6. cap. 5.

Aul. Gell. libro 3. c 8. ex Quadr. ad. fert hanc epistolam.

Plutarch. in Pyrrh. paulo aliter refert.

mus,

mus. quæ ſeruanda eſt Principi, iterum hanc veritatem, quæ iuſtitiæ pars eſt, tractaturi ſumus; Caput hoc non producam longiùs, ſed duntaxat aperiam an aliquando, & quatenus, permittenda ſit Principi ſimulatio; quod capite proximo faciemus.

CAPVT IV.

Rationes falſæ quibus iſtam hypocriſim perſuadere conantur Politici; & an aliqua Principis ſimulatio tolerari poſſit.

LOCVS hic de Principis ſimulatione adeò grauis eſt, tantique momenti, & in eo Machiauellus eiusque ſectatores & diſcipuli Politici ſic inſiſtunt, vt hoc putent potiſſimum robur & firmiſſimum fundamentum, quo falſa ſtatus ratio & ciuilis prudentia nitatur. Itaque & factis & ſermone frequenti hanc ſententiam alios docent: *Neſcit regnare, qui neſcit ſimulare.* quam Ludouicus vndecimus Franciæ Rex, dum viueret, ſemper in ore habebat; & præter hæc verba nulla alia Latina filium ſuum Carolum VIII. ſcire volebat. Deinde in medium proferunt dictum illud Lyſandri Lacedæmoniorum Ducis, (qui etiam ex iis Politicis fuit, qui iuſtitiam vtilitate metiuntur) *Quò leonis pellis attingere non poteſt, Principi aſſuendam vulpinam.* Quòd eius conſilium iterat frequenter & valdè laudat *Plutarch. in Lyſand. & Apophth.*

laudat

laudat Machiauellus. Præterea tanquã ideã quandam, & optimæ administrationis exemplar, Tiberium Imperatorem adferunt; de quo hæc Tacitus: *Iam Tiberium corpus, iam vires, nondum dissimulatio deserebat.* quò dita simulationi consueuisset, vt eam ad extremũ vsq; vitæ spiritũ retinuerit. Addunt his quod Romanus historicus in Lepido scribit: *Nihil gloriosum, nisi tutum.* &, *Omnia retinendæ dominationis honesta esse.* & quod apud Senecam in tragœdia est: *Vbicunque tantùm honesta dominanti licent, precariò regnatur.* atque in hoc turbido rerum humanarum pelago tempestati obsequi, artis esse: & ius ac fas esse obliquare sinus, ac, si rectà portum tenere nequeas, idipsum mutata velificatione assequi. cumque nunc omnes dolis & fallaciis tamquam armis tegantur, nisi simulationem & calliditatem Princeps adhibeat, fore vt ab aliis Principibus facilè in fraudem deducatur; &, dum conscientiæ suæ consulit, imperium amittat, ad cuius tamen conseruationem cætera omnia referri & accommodari debeant. illudque rationi cõsentaneum videri, vt cum vulpe vulpinetur, cum Cretensibus (vt est in Prouerbio Græco, Latinis etiam perfamiliari) cretizet, atque fallaciâ fallaciam quasi clauo clauum pellat, & dolo dolũ eludat. quin etiam D. Paulum ad Corinthios scribentem affirmare, dolo se eos cepisse, & in fidem traxisse. Denique plures alias sententias eodem perti-

Tacit lib. 6. Annal.

Salust. in Orat. Lep.

Seneca in Thyeste.

1. Cor. 12.

pertinentes congerunt, vt falsam suam disciplinam stabiliant, & Principibus simulationem istam, simulque cum ea suspicionem, diffidentiam, fallacias, perfidiam, infidelitatem, periurium, iniustitiam, impietatem, omniumq; virtutum & Religionis contemptum persuadeant. Quamobrem verè Christiano & Deum timenti Principi prouidendum, vt ad has voces & venenatæ serpentis sibilos aures obstruat, oculosque ab hoc pestifero & pernicioso dogmate & consilio abductos in Deum coniiciat, eumque suppliciter roget, vt doceat quonam modo regna ab illo sibi concredita administret, & mare tempestatibus tam turbidum, tam plenum monstrorum, tam piratis prædonibusque infestum sic nauiget, vt Reip. nauem in tuto & tranquillitatis plenissimo portu saluam collocet. Attamen cùm minimè dubium sit, homines, & maximè Reges, inter inimicos vitam degere, multique sint qui Machiauelli instituto artificiosa simulatione eos fallere moliuntur; (peccatis enim nostris factum, vt latiùs hæc disciplina manauerit) idcirco videndum illis est, quonam modo se gerere debeant cum aliis Principibus, quando vel amicitiam fingunt, vel veri apertique sunt inimici: ne aut ipsis candor fraudi sit, synceruśque & verus animus rideatur; aut, dum ab illorum insidiis cauent diligentiùs, diuinam legem quoquo modo violent. Cùm enim

inter hostes versantur, necesse est armati incedant: cùm verò cum fictis & simulatis agunt, opus est aliqua simulatione vtantur. Sed prudenter aduertant quis modus adhibendus, qui fines & termini huic cautioni constituendi sint; ne in Deum peccent, & ex discipulis Christi Machiauelli discipuli fiant. Ante omnia igitur sibi persuadeant, & pro explorato ac comperto habeant, nullum esse præsentiùs venenum, aut pestem imperiis magis perniciosam, quàm quòd impius & ineptus iste vir docet: nullaque via faciliùs Respublicas exstingui, aut regna euerti, quã si fide, caritatis, humanitatis, & Religionis iura violenter: tantumq; abesse vt ad imperia conseruanda debeant Principes ab istarum virtutum officio (vt apertè scribit) discedere, vt potiùs eos oporteat illas ex animo complecti, vereque & non simulatè seruare: sic enim ab illis stabit Deus, imperiorum omnium & regnorum Dominus atque moderator, qui pro arbitrio, quibus vult, ea cõcedit, conseruat, & adimit, vt priori libro à nobis est explicatum. Quod verò dicit improbus iste & nequissimus magister, aliud nihil est, quàm affirmare, aut nullum omnino Deum esse, aut è medio eius prouidentiam tollere, aut è publicis consiliis & deliberationibus, quæ pro tuenda imperij salute capiuntur, pellere, quasi rebus humanis non consuleret, & solus ipse imperia nõ daret

ret aut conſeruaret. Quid enim aliud ſibi vult eiuſmodi aſſertio, obligari frequenter Principē vt fidei, caritatis, & Religionis officia perfringat? præſertim cùm id fieri nequeat, niſi perfractis priùs Dei legibus, & Deo ipſo à conſiliis huiuſcemodi expulſo. Fingamus magnum aliquē Regem, vel orbis Monarcham, aduocare conſilium, eiusque conſiliarios prima ſtatim deliberatione monere Principem ne in Senatum veniat: quæ enim in conſultationem vocabuntur, cōtra ipſum Principem decernenda. Quo ſenſu, qua mente Rex eſſet, ſi hæc audiret, ſi fieri videret? quid ageret? quàm acerbè & grauiter tantam iniuriam ferret! At verò in eo quod docet Machiauellus, tanto maior Deo iniuria irrogatur, quanto Rex ſupremus, & proprius Regnorum Dominus, cæteris Principibus ſeruis ac adminiſtris, & munere ac cōceſſu ſuo regnantibus, anteit. Deinde aduertant Principes, ſimulationem, vbi de Religione agitur, non ſolùm ſibi conſcientiæq; ſuæ obeſſe, ſed etiam regno vniuerſo, quod ex ea detrimentum accipit, cùm inde publica & vitioſa naſcatur offenſio, peruertantur populares, & ſui Principis impietatē ſequantur. Præterea, ſi priuatus quiſque fidem palàm profiteri tenetur, quando ea ſuppreſſa aut diſſimulata vel aliorū offenſa, vel à fide timeretur defectio; multo magis ad eandem confeſſionem obſtrictus tenetur Princeps, cùm

Thom. Sierque 2.2 q.3 art.2. Nauarr. Manual. & Com. c. human. aures. q.3.nu.16.

cùm eius partes ſint, eam defendere, & illius exemplum ad commouendum continendumq́ue alios multum virium & efficacitatis habeat; damnum verò quod ſimulatione inuehit, vniuerſale eſt, & regni totius; quod ea inficitur, peruertitur, & perit. Quod autem de Religione dixi, dictum etiam volo de fide & promiſſo quod Principi ſeruandum eſt, multoq́ue magis iuſiurandum, quod (vt poſtea dicam) iuſtitiæ pars eſt quædam. Denique hinc conſequitur, Principem mentiri non debere; tum quòd Principis verba debent eſſe quaſi Dei verba, vera, certa, conſtantia, & quibus tutò fidi poſſit; tum quòd

Ecclef.7.

Deus hoc iubet, dum ait: *Noli velle mentiri omne mendacium; aſsiduitas enim illius non eſt bona.* & alio in loco de Principibus loquẽs:

Prou.17.

Non decent ſtultum verba compoſita, neque Principem labium mentiens. S. etiam Auguſt. & alij ſancti Doctores affirmant, mendacium ſemper peccatum eſſe, & nullius rei gratia licere mentiri; ſiue verbo, in quo propriè mendacium vertitur; ſiue factis ac ſignis externis, quod ſimulationem appellant. vnde lex quędam [a] Partitæ (vt vocant) ait à Chriſto dictum eſſe, Ego ſum veritas; & Reges, eius in terra vicarios, non debere contra ipſam veritatem eſſe. & ſubdit: *Si mentiretur Princeps, homines, qui eum audirent, eius dictis fidem non adiungerent, etiamſi verũ proferret; & inde mendacij peteretur exemplum.* Et verò mendacium

Auguſt. lib. cont. mend. ad Conſent. & libro 2. quæſt. Euãg. Thom. 2. 2. q.111. art. 1. Innoc 3. in cap. ſuper eo de Vſur.

a 2. part. tit. 4. lib. 3.

non

non eſt, ſilentio aliquid tegere, atque conſiliorum & actionum arcana occulere, (vt in adminiſtratione fieri conuenit) licet ex hac ſuppreſſione plurimi anſam ſumant ſeipſos fallendi, dum multa variis & inanibus coniecturis augurantur. Mendacium etiam non eſt, ſed prudentia veriùs, multa diſſimulare, ad multa conniuere; licet ex eiuſmodi diſſimulatione in aliorum animis aliquid falſi & fraudis gignatur. nam, vt ait Iuriſconſultus, *Multa ſunt diſsimulãda, ne curioſi videamur.* Neque mendax habẽdus eſt Princeps, ſi ſibi caueat, & diligenter perſpiciat quæ & quibus credat, cùm adeò rari ſint, quibus fidere poſſit, quamuis vultu nullam oſtendat diffidentiam: hanc enim prodere, multum imperio incommodaret; contrà verò, ſi ſe fidere præ ſe ferat Princeps, ingenui & pudore aliquo homines non raró ita alliciuntur & obligantur, vt meritò illis poſſit confidere: fitque ſæpiſſimè, vt, dum ſe timere, ne decipiatur, oſtendit, vias, quibus decipiatur, commõſtret; *tamq; abſurdum eſt* (vt præclarè Seneca) *nulli quàm omnibus credere.* Eadem ratione mendacium non ſapit, ſi (quando neceſſitas vel vtilitat magna exigit) verba proferantur vera in vno ſenſu, etiamſi, qui ea refert, credat, ob multiplicem & aliam atque aliam ſignificaonem, eum, qui audit, in longè diuerſam ententiam accepturum. Quæ autem de verbis dico, poſſunt etiã de factis intelligi: nam

Leg. dol. ff. de nouat.

Liu. lib. 22.

Epiſt. 3.

persæpe (belli præsertim tempore) necesse est res fieri tam artificiosè atq; cautè, vt hostes concipiant aliud omnino & planè diuersum ab eo, quod facientis animus intendit. Illud enim non est mentiri, sed, quod in Reipub. commodum cedat, prudenter facere. Duæ enim sunt (vt auctor est Doctor Martinus Nauarrus) simulandi & dissimulandi artes. Vna eorum qui absque causa & vtilitate fingunt & mentiuntur id esse quod non est, & non esse quod est: altera eorum quos necessitas vel commoditas impellit, vt sine fallacia rem vnam alterius loco prudenter significent. Cæterùm in quauis simulatione vel dissimulatione, qua vtitur Christianus Princeps, aduigilet, & prouidentissimè caueat, ne pestiferis Machiauelli præceptis duci se trahique sinat, & diuinarum legum ac Religionis iura perfringat. Intelligat etiã, Christianorum hominum actiones dirigendas non esse ad ethnicorum regulam, quantauis licet opinione prudentiæ sapientiæque præstiterint: cùm enim ea, qua nos Christiani collustramur, luce illi fuerint destituti, & alio vento ac sydere nauigantes vitæ suæ cursum regerent; necesse erat eos diuersa via ingredi, & multis in rebus offendere, cadere, & collidi. Ipse quoque Aristoteles docet, qui superioris lucis & consilij ductu reguntur, eos humana consilia non requirere. Cæterùm nobis faciendũ est, vt, quod ab illis natura

Nau. com. c hum. aur. q. 2 nu. 8, 10, 11, 12.

tura

tura & ratione duce pręclarè dictum aut gestum est, id amplectamur, & imitatione exprimamus; errores autẽ & vitia, in quæ prolapsi sunt, cœlesti luce, tanquã certa norma, corrigamus. Atque ita responsum sit ad Politicorum rationes & argumenta, quæ suprà retulimus: nam quod ex D. Paulo acferunt, longè diuersam sententiã continet: propositum enim erat eo loco Apostolo, Corinthiis ostendere, quàm alieno à lucris & cõmodis animo cum eis se habuerit, vt quibus oneri non fuerit, nec ab eis quidquam in vsus vitæ necessarios acceperit; neque enim facultates illorum, sed animas quærebat. Sed quia malitiosus quispiam dicere ac interpretari poterat, hæc omnia artificio quodam & simulatione fecisse Apostolũ, vt nihil per se ipse, sed per suos administros ac discipulos acciperet, vt hoc metu ac suspicioné liberaret Corinthios, probat se hac astutia & simulãdi arte nequaquam vsum fuisse, sed quod ipse per se, hoc idem per suos egisse, eo quòd sibi & illis eadem mens idemque finis propositus esset, vt cãdidè & in veritate omnia, nullo cõmodo aut quæstu. Non est tamen quòd miremur, si, quibus cœleste lumen & diuinus Spiritus deest, ij cæcis tenebris & tetra caligine obuoluantur, & in peiorem partem accipiant id, quod sicut sine Numinis afflatu scriptum non est, sic sine præsidio eiusdem percipi non potest. Sed vt institutam de

Principis ſimulatione materiam & tractationem finiamus, quemadmodum antidotum ex vipera compoſitum, quod theriacam vocant, aduerſus eiuſdem viperæ morſus & venena ſingulare remedium eſt; vt tamen vtile ſit, oportet viperæ carnes parua quantitate & certa proportione miſceri ſubactasq́; ſalutaribus aliis medicamētis corrigi: ſic hæc ſimulatio & artificioſa Principis fictio tunc ſolùm adhibenda eſt, cùm neceſſitas requirit; & parcè quidem ac moderatè, Chriſtianæ & prudentiæ legibus temperata: ita enim vim maximam habebit aduerſus fictos & ſimulatos Principes, ſi qui fortè viperarum inſtar inficere interficereq́ue moliantur. Enimuero ſi quis viperinis carnibus veſci & veneno ali atque ſuſtentari vellet, vt ſeipſe contra hoſtium venena præmuniret, ſibi necem adferret, &, quam vitam hoſti ademptam volebat, ſibi ipſe adimeret.

CAPVT V.

De iuſtitia Principis.

SED Machiauellum eiusq́; ſectatores miſſos faciamus, & hoc loco de virtutibus propriis Regum ac Principum Chriſtanorum, atque imperiorum adminiſtrationi & cōſeruationi perneceſſariis, diſſeramus: quarum omnium ſecundùm pietatem & Religionem (de qua primo libro egimus) ſplendidiſſima

didiſſima inter alias, non ſecus ac inter alias ſtellas lucifer matutinus refulgens, ſe nobis offert iuſtitia, quæ ſuum cuique ex æquo tribuit, quæ tam propria Regum eſt, & ad regnorum ſalutem tuendam neceſſaria, vt per Salomonem dixerit Spiritus ſanctus iuſtitiâ ſolium firmari, & ea neglecta amitti, & ex vna in aliam gentem transferri. Hæc virtus principiò fundauit regna; hæc ſtabilita auxit ornauitque; hæc quam obtinent amplitudinem maieſtatemque conceſſit; hæc populi vulneribus medetur, ſeditiones reſtinguit, exaſperatos animos mitigat, pacem firmat, bellis obſiſtit, Reges glorioſos facit, regnis ſecuritatem præſtat, & in primis Deum honorat & reueretur: cui nullum poteſt eſſe ſacrificium gratius, nulla hoſtia acceptior, quã victima iuſtitiæ, cuius vinculo cælum cum terra, ſuprema cum infimis, & extremæ maximèque diuulſæ mundi partes inter ſe coniunguntur. Sine iuſtitia non regnum, non prouincia, non ciuitas, non pagus, non domus, non familia, non latronum etiam ac graſſatorum ſocietas conſeruari poteſt: atq; vbi non regnat iuſtitia, ibi maius regnum, maius latrocinium eſt, vt teſtatur D. Auguſtinus; qui auctoritate Ciceronis & Scipionis Africani probat, vbi iuſtitiæ locus non eſt, ibi nullam rempublicam eſſe poſſe. Et certè ſi attentiùs paulo perluſtremus regna vel reſpublicas quę euerſæ proſtratęque aliquando

Prou.25.
Eccli.10.

Cic.lib.2. Offic.

Aug.lib.2. de ciu.Dei. ca.21 & lib. 4 cap.4.

iacuerunt, reperiemus præcipuam ruinæ euersionisque causam fuisse negligentiam in iustitia administranda; intelligimusque verissimum esse, quod diuinus Spiritus dicit: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.* Adeò verò explorata est hæc veritas, vt vel ipsos Gentiles non fugerit: scribit enim Plutarchus, virum quendam fuisse, pauperē quidem, sed probum & hospitalem, Schedasum nomine, cui duæ erant filiæ præstanti forma. Cùm igitur ad eum duo Spartani adolescentes diuertissent, perlibenter & benignè ab eo acceptos. Exarsisse illos virginū amore, at, quo minùs quid auderent, Schedasi probitate & humanitate victos. sed cū iterum ad easdem ædes declinassent, & forte fortuna Schedasus peregre abesset, & à filiabus solito instituto humanè fuissent excepti, incustoditas offendentes, vim illis intulisse: quas cùm supra modum, accepta contumelia, eiulātes misereq; afflictantes viderunt, ambas interfecisse, iactisque in puteū cadaueribus abiisse. Reuersū Schedasum, cū puellas nusquā videret, incertum fluctuantiq; persimilem diu perstitisse, donec adlatrante ac admurmurante catella, & nunc ad se cursitāte, nunc ad puteū frequentiùs redeunte, coniecit id quod erat, atq; ita filiarū corpora extraxit. Vt verò vicinorū narratione Lacedæmonios rursum domi visos audiuit,

Eccl. 10.

Plut. in amatoriis narrat.

uit, & certis iudiciis coniecturisque intellexit facinus ab illis patratum, Lacedæmonem ad Ephoros (hi erant illius reip. iudices) profectũ, vt iusta pœna tantum scelus pensaretur. Sed cum frustra Ephoros, ipsosque adeò Reges, in vindictam scelestorum conuenisset; mediã per vrbẽ lamentis plenum & furenti persimilẽ cucurrisse, manus ad Solem protendisse, palsataq; humo Furias euocasse, postq; hæc omnia mortem sibi consciuisse. At verò (vt addit Plutarchus) haud multo pòst Lacedæmones neglectæ iustitiæ pœnas dederũt: in eos enim Thebani bellũ mouere, & ante conflictũ Pelopidi, vni ex præcipuis Thebanorum Ducibus visus est in somnis Schedasus, qui eum bono animo esse iuberet. Signis igitur collatis, ad ipsum natarum Schedasi monumentum fusi cæsique ad vnum Lacedęmonij omnes. vnde perspectum omnibus fuit, Deos ab Spartanis, seu Lacedæmoniis, iustissimas pœnas exegisse; & iniuriã quam iniqui Iudices vlcisci noluerũt, acerrimè vindicasse. Hanc historiã refert Plutarchus qui tamen, tanquã Gentilis & idololatra, Diis attribuit sumptũ de Spartanis supplicium, quo Deus verus illos affecerat. Huic valde affine est, quod Achabo Regi, eo quod Benadad Syrorum Regem pœna exemisset, Propheta quidam cõminatus est: *Quia dimisisti virũ dignũ morte de manu* 3. Reg. 20. *tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus*

pro

3. Reg. 2. *pro populo eius.* Ob quam causam Salomon Rex præcipiens Ioabum interfici, quod Abnerum & Amasam Duces exercitus dolo & insidiosè contrucidasset, satelliti & ministro datæ sententiæ sic ait : *Interfice eum, & sepeli; & amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei.* Deus enim adeò iustitiæ est amans, vt (quemadmodum historiæ Ecclesiasticæ narrant) cùm S. Dunstanus in Anglia Archiepiscopus, luxũ quorundam ex Clero castigare vellet, eisque veniam & impunitatem Rex ipse deposceret, imago Christi cruci affixi, quæ præsens erat, ad Dunstanum conuersa hæc dixerit, *Castiga illos, neve parce:* qua voce stupefactus Rex à deprecatione destiterit. In hac iustitiæ virtute fuerunt inter Principes & Gubernatores ac Iudices ethnicos qui grauiter se exercerent, & conarentur excellere: & licet ob eas, quas supra attulimus, causas eius perfectionem non sint assecuti, habuerunt tamen iustitiæ vmbram & imaginem quandam ita fabre pictam, & viuis colorum lineamentis adipersam, vt, quamuis ficta duntaxat esset, & vmbratilis, vera tamen iustitia videretur. Epaminondas, summus Dux Thenaborum, filium, corona primum imposita, securi ferri iussit, quòd preceptorum paternorum immemor cum hoste conflixisset, eumque vicisset. Idem legimus de Bruto & Torquato, qui iustitiæ obtentu in liberos fuerunt crudeles

Sur. tom. 3. & Aquil. lib. 8 c 49.

Lib. 2 c. 1.

Plut. in Paral.

Valer. Max. l. 5 c. 8.

deles

deles. Seleucus Rex cùm adulterij pœnam luminis orbitatem sanxisset, filium in eo crimine deprehensum vtroque oculo priuare constituit; sed, rogante tota ciuitate vt necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, vnum oculum sibi, alterum filio erui imperauit. ita debitum supplicium legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento se misericordem patrem & iustum legislatorem partitus. Traianus gladium, potestatis insigne, PrætoriRomano tradens, ei dixit: *Accipite hũc ensem: & siquidem rectè & è repub. imperauero, pro me, sin secus, in me vtere.* Apud Ægyptios ad Regis præscriptum & voluntatem iurabant Magistratus, se eius mandatis, si cum æquitate pugnarent, morem no esse gesturos. Simile iusiurandum Philippus Pulcher, Galliæ Rex, suis imperauit. Antigonus tertius Præsides & iustitiæ ministros per litteras mouit, vt, si quid scripsisset, aut manus signo firmasset, quo quid contra legem imperaret, ne parerent. quem imitatus est Alphonsus Rex Neapolitanus. De Artaxerxe Longimano, Rege Persarum, narrant historiæ, ex eius familiaribus & intimis quendam periisse quod minus iustum videretur: vt verò odoratus est ex importuna solicitatione id quod erat, triũ millium Daricorum promissione corruptũ, & propria serui confessione intelligens, præcepit quæstori vt ter mille Daricos, seu 30. aureorum millia, adferret; atque in manus

Val li. 6. c. 5.

Zon. tom 2. in Traian.

Plutar. in Apophth.

Plut. ibid.

Panor. lib. 2. hist. Regis Alphons.

Plutar. in Apophth.

tradens,

tradens, *Accipe*, inquit: *hæc enim cùm tibi dedero, pauperior non ero; at si quæ petieras fecißem, iniustior eſſē.* Idem prorſus à Leone X. Pōtifice ſummo factitatum, data cubiculario certa aureorum ſumma, tametſi minori. Totila, Gothorum Rex (vt ſcribunt quidā) rogatus vt parceret cuidam, qui virgini ſtuprum intulerat, reſpondit, *Eiuſdem ingenij eſſe, delicto ſe obſtringere, & delictorum ſupplicia impedire: omnino autem aut hunc pœnas dare, aut Gothorum remp. interire neceſſe eſſe: Theodatus postquam æquitatem diuitiis poſthabuerit, Deum Gothis minùs propitium eſſe factum: præſtantius autem eſſe, iuſtitiam cuſtodire, quam negligendo inuidiā concitare.* Narſes belli Dux fortiſſimus, legionibus & ordinibus in acie diſpoſitis, & ad manus cum hoſtè vicino conſerēdas paratis, cùm accepiſſet certum aliquod crimē in exercitu cōmiſſum, à conflictu deſtitit, vt priùs ſontis pœna caſtra expiaret, & maiori poſtea fiducia prælíū iniret, ſpe ductus fore vt ob ſumptum de nocente ſupplicium propitio & fauente Numine vteretur. Alia his non abſimilia Principes quoſdā feciſſe narrant ſcriptores, eaq; de cauſa nomen ac famā iuſtorum & illuſtrium Principum comparaſſe: quæ imitari debet Chriſtianus Princeps, & procurare vt veram ſolidam, perfectáque iuſtitiam acquirat, quæ in duobus maximè ſpectatur. Alterum eſt in præmiorum, honorum, dignitatum, ac publicorum ma-

Carol. Sig. de Occid. imp. l. 19. anno 543.

magistratuum æqua partitione: alterum in iusta pœnarum ab improbis & nefariis hominibus exactione, & inter litigantes disceptantesq; iuris æquitate. Principio igitur, si placet, de honoribus & præmiis virtuti debitis disputemus, acturi postea de publicis officiis & oneribus, in quæ partiũtur regna; ad extremum de cæteris omnibus, quæ pertinent ad hanc nobilissimam & præstantissimam virtutem.

CAP. VI.

De honorum iusta distributione.

OPORTET ergo Principem Christianum oculos semper in hanc iustitiæ virtutem defigere, vt & ipse suum cuique æquo iure reddat, & idẽ subditi sine cuiusquã incommodo & præiudicio præstent. In primis verò intelligat, honores, & quas possidet facultates & opes, Reipub. magis esse, quàm suas; atque in illis distribuendis non debere se libidine aut affectu, trahi, sed ratione duci vniuscuiusque dignitatem & in personam suam atque in rempub. merita ponderante. Cùm enim ex Principe atque republica, ex Rege & regno vnum conflетur corpus, omnia obsequia & officia, quæ Regi tãquam Domino regnique capiti deferuntur, in regni commodum & vtilitatem redundant, & vice ad Regem ipsum spectant bona quæ in regnum tamquam in

corpus eius conferuntur, eaque propria censere debet; & quorum bonorum procurationem summus cælorum Rex & rector ei commisit, eorum largitate hęc beneficia remunerari. Propterea Isocrates ad Nicoclem ita scribit: *Inter aduenas eos maximi facito, non qui tibi aduehunt, sed eos qui tuæ beneficentiæ subsidium cum fiducia expetunt. quod si feceris, propter honores illis habitos magis alij te prædicabunt*: Itaque in partiendis distribuendisque ac optimè administrandis reip. bonis habenda est Principi ratio non opum, non generis, sed virtutis maximè, rectèque factorum. Nam fauere diuiti eo solùm quòd diues est, nihil aliud est, quàm causam dare vt sese efferat insolentiùs, ampliores opes corradat, nullũ modum ponat suæ cupiditati; multis incõmodet, pauperes hirudinis more sugendo, compilando, & exhauriendo; denique rempub. corrumpat, insaturabili quadam diuitiarum siti in reliquis excitata, existimantib⁹ summam felicitatem bonumque vltimum in magna opum abundantia consistere, Honores etiam deferre viro nobili ac generoso eo tantùm nomine, quòd parentibus progenitus sit fortissimis, quique propriis virtutibus & egregiè factis maiorib⁹ præluxerint, & in familia stabilierint nobilitatem, si ipse sit vitiosus, & talibus parentibus indignus, est dedecorare virtutem, & ignominia adspergere patres ipsos, qui de virtute gloriabantur,

Isocrates orat. 2.

tur,

tur, eiusque causa tantum honoris & laudis sunt consecuti. At vero cùm in bonorum distributione magis spectatur cuiusque virtus quàm census amplitudo, vel generis dignitas; facta magis quàm verba; propria cuiusque merita magis quàm opes, aut inanis maiorum ostentatio; tunc suum vnicuique tribuitur, & pauperes ac homines noui, abiectique sanguinis, ostensa spe honestatis ac nobilitatis consequendæ, graduſque maioris ædipiscendi, maiores animos sumunt, &, honore atque præmio tamquam stimulis quibusdam acti, ad præclarissima facinora pro Reip. commodis obeunda efficiendaq; mirabiliter incitantur: nobiles autem & generosi sanguinis, cùm viderint familiæ claritatem nihil sibi prodesse, nisi ad eam studium virtutis adiunxerint, & maiorum suorum vestigiis institerint, ne iacturam faciant eorum quæ sibi à gentilibus suis relicta intelligunt, in iis mutandis & familiæ suæ splẽdore conseruando elaborant. Atque ita spes dignitatis obtinendæ in obscuris, & metus honestatis amittendæ in nobilibus viris, salus est & reipublicæ conseruatio quædam. Verissimè enim illud à Boëtio dictum est, si quid est in nobilitate bonum, id esse solùm, vt imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent. Neque tamen hęc ita accipi velim, quasi inter equestrem ordinem & plebeium, inter nobilem

Boët. lib. 3. de consol.

V &igno-

& ignobilem, inter locupletem & egentem, inter primarium, & infimum virum, interesse nihil putem; permultum enim interest: quandoquidem vult Deus in republica graduum & dignitatum esse differentiam, vt etiam in cælo, cùm nec omnes Sancti gloria in cælo sint æquales, nec omnes stellæ claritate pares. Itaque Principis est, honorare nobiles ac dominos virtute præditos, eorũ ministerio vti, muneribus ac præmiis prosequi nouis & ignobilibus hominibus anteferre, atque reipsa ostendere quanti faciat & æstimet, quæ tum per se, tum per patres suos auosque promeruerunt. hoc enim nõ solùm rationi & æquitati consentaneum est, sed etiam ad conciliandam Principi auctoritatem, & imperiorum quietem salutemque tuendam, plurimum valet: quæ turbari imminuique solet, cùm Principes, contemptis nobilibus & primariis regni, ignobilibus sordidisque hominibus & ministris vtuntur.

Part. 2. tit. 21. l. 23. Propterea in lege quadam Partitæ hæc habentur: *Nobilitate scienter vti, præclara quædã est virtutum coniunctio. huius gratiâ nobiles viri digni sunt, quibus honos tribuatur, tres ob causas: primùm propter generis claritatem, deinde ob suam probitatem, demum ob vtilitatem quam adferunt. Proinde Reges in magno honore illos habere debent, quorum operâ ad suum munus vsuri sunt.* Alia verò lex, Principem instruẽs quãtum curæ ponere debeat in cognoscendis homi-

Part. 2 tit. 5. l. 17.

hominibus, dicit inspectionem & cognitionem in eo sitam esse, *vt sciat ex qua stirpe orti, quibus sint moribus, quo se modo gerant, & quæ facinora ediderint.* Cùm secus fit, diuinus Spiritus sic ait: *Est malum quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* Antiochus Rex Syriæ medicum suum Præsidem consilio suo adhibebat. Ludouicus XI. Gallorum Rex sutori suo Fetialis ac Internuncij, tonsori Legati, medico magni Cancellarij partes deferebat: quod fuit in causa cur ab eo vniuersa regni nobilitas defecerit, & magnis fluctibus iactatus periculum incurrerit imperij amittendi. De Philippo Pulchro, Galliæ Rege, referunt ex scriptoribus quidam, vti solitum Longareto, seu Nongareto, & Mariniaco, obscuris & flagitiosissimis hominibus, & eos in summos honoris gradus euexisse, cunctisque regni sui nobilibus prætulisse, & eam ob rem multos labores & calamitates passum. Petri Regis Castellæ, Iusti vindicis, (quem alij seuerum vel Crudelem nominant) perniciem auctores nonnulli ex eo fluxisse tradunt, quòd in consilium adhiberet homines vilissimos, & abiectissimarum cogitationum. Idem accidit Hērico IV. Regi, qui, quòd impense faueret hominibus iacētibus sine virtute, sine ingenio, inter alias causas occasionē dedit turbis & miseriis, in quæ hæc regna

Eccl. 10.

Polyb. lib. 3.
Bodin lib. 6.

Iac. Meier. lib. 11.

Surit lib. 10. c. 5. Annal.

Histor. Palentina.

illis temporibus inciderunt. Verumtamen vt genere illustris & clarus, si nomini & familiæ respondet, imitator factus eorum qui primi nobilitatis fundamenta iecerunt, dignus est cui tum ob suam, tum ob suorũ maiorum virtutem maior honos quàm vulgari & minimè generoso tribuatur: ita quando à gentilibus degenerat, eorumque gloriam & virtutes obterit, & profligatissimam ac perditissimam vitam, nebulonis instar, viuens, semper in ore habet generis sui amplitudinem, & clarissimum, vnde ortus est, fontem, nec interim videt quàm turbidũ & inquinatum reddat prauo suo exemplo, deprauatisque vita & actionibus, no solũ non est fauore & gratia Principis cohonestandus, qꝫ ex bonis natus sit; sed grauibus potiùs supplicijs plectendus, quòd flagitiosus maiorũ suorum claritatem dedecore maculet, & reip. perniciem ac vastitatem importet; quæ (vt Cicero testatur) nulla re magis corrumpi solet, quàm malis exemplis Principum: qui duplici pœna digni sunt; & quod vitia concipiunt ipsi; & quod ea infundunt in ciuitatem. Idcirco in honoribus & facultatibus reip. distribuendis Princeps Equiti flagitioso anteponere debet pauperem virtute præditum, & plebeium manu & consilio fortem, qui præclarè factis aut æquauit, aut enixè contendit vt æquaret eos, qui tantam posteris nobilitatem reliquerunt. Siquidem

Cic. lib. 3. de leg.

hac

hac in re oportet iustum Principem id dicere, Quod Hannibal Carthaginésium Imperator dicere solebat: *Qui hostem feriet, ille erit mihi Carthaginensis.* Qui suis factis & obsequiis promeretur, in eum honorem conferam. virtutis cultor præmium virtuti debitum reportabit. Etenim cùm præmia vel dãtur indignis, vel dignis negantur, iniuria fit virtuti, & graue damnum infertur reip. grauiusque inueheretur, si præmia bonis adimerentur, vt vitiosis contribuerẽtur, & maior vitio, quàm virtuti, daretur remuneratio. Æquissimũ est, vt qui reip. deseruit, mercedem accipiat; & maioribus præmiis afficiatur is, cuius exstant plura in rem cõmunem promerita, ei verò cuius nulla sunt officia, nihil tribuatur mercedis. Profectà etiam à nobis ipsis & propria facta iustum est iis anteferri, quæ nobis à patribus hęreditatis iure obuenerunt, & illis, quàm his, maiorem gratiam referri. licet enim hæc, quia maiorũ nostrorum sunt, ad nos quoque pertineant, non tamen ita propriè nostra sunt, vt ea quæ per nos ipsi præstitimus, quandoquidem (vt vulgo dicitur) *Quisque factorum suorum filius est.* & Poëta quidam canit: *Et genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.* *Ouidius in Metam.* Propterea iuueni ignauo, qui parentem virum fortem habuerat, poscenti stipendium quod patri Demetrius pendere solebat, respondens Rex Antigonus, *Ego*, inquit, *ado-* *Plutar. in Apophth.*

 lescens

lescens propriæ virtuti, non paternæ, mercedem & præmium do.

Cap. VII.

Perpetuatur Caput de iusta honorum partitione.

Iuuenalis Sat. 8. IVRE dictum est à Iuuenale: *Malo pater tibi sit Thersites,* (cui præter obscuritatem summa deformitas) *dummodo tu sis Æacidæ similis, Vulcaniaq; arma capessas, Quam te Thersitæ similem producat Achilles.* nam, vt alio in loco idem Poëta dixit, *Nobilitas sola est atque vnica virtus.* Cùm Sidoniorum fines ingressus *Q. Curt. l. 4.* Alexander Magnus, eorum remp. turbatam inuenisset, & ab illis rogaretur vt sibi Regem daret, qui rebus afflictis pacem adferret, regnumque iustè administrare posset, id se facturum benignè promisit: iis autem auidissimè exspectantibus quem Regem cōstitueret, & interim variè falsoque pleraque coniicientibus, demum Regem nominauit Abdolominum quendam, à bonis fortunæ sic imparatum, vt ob inopiam suburbanum hortum exigua coleret stipe; sed à virtutum ornamentis sic instructum, vt creditum sibi regnum summa tum iusti, tum sapientis Principis opinione feliciter procurauerit, & posteritati pacatum illud & quietum reliquerit. Rogatus postea Alexander cur inopi viro regnandi fecisset potestatem, cūque multis aliis potentia & generis fama cla-

clarissimis hominibus prætulisset, *Ne quis fortè,* respondit, *existimet me non virtuti, sed generi potentiæque regnum tribuisse; atque vt is, qui sceptrum accepit, intelligat, sed id à me, non à maioribus suis, accepisse, hocque beneficium grata memoria prosequatur.* Anacharsis Philosoph⁹ genere fuit Schyta: cumque eam ob rem barbarus & aduena à quopiam esset appellatus, respondit, *Patria mihi, tu patriæ dedecori es.* Audiens Agesilaus Persarum Regem ab Asiæ incolis magnum appellari, *Quomodo,* ait, *is me maior est, si non iustior est, & temperantior?* Caius Marius, humili loco natus, sed animi magnitudine & rebus præclarè gestis tātus. vt septimū Cōsul fuerit; & in maximis bellorū periculis Romanā rēp. egregiè defenderit, cū primū Consul factus est, plurimos cōpetitores habuit, nobilissimis familiis ortos, qui egerrimè ferebant, aditum ad tantos honores nouis & plebeiis hominibus ante id temporis obstructū, in Mario fuisse patefactum. Marius autem, causam suam tutatus, hanc ad populum habuit orationem: *Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam. mihi fortuna, illis probra obiectantur. quāquam ego naturam vnam & communem omniū existimo, sed fortissimum quemq; generosum esse. At si iam ex patribus Albini aut Bestiæ quæri posset mene an illos ex se gigni maluerint, quid respōsuros creditis, nisi sese liberos quā optimos maluisse? Quòd si iure despiciunt me, faciāt idem maioribus*

Plut. in Apophth.

Sallust. in bell. Iugur.

suis, quibus, vt mihi, ex virtute nobilitas cœpit: Inuident honori meo, ergo inuideant labori, innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illũ cœpi. Verùm homines corrupti superbia ita ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant; ita hos petunt, quasi honestè vixerint. Nã illi falsi sunt, qui diuersissimas res pariter expetunt, ignauiæ voluptatem, & præmia virtutis. Atque etiam cùm apud vos aut in Senatu verba faciũt, pleraq; oratione maiores suos extollunt; eorum fortia facta memorando, clariores sese putant, quod cõtra est: nam quanto vita illorum præclarior, tanto horũ socordia flagitiosior. Et profectò ita se res habet, maiorum gloria posteris quasi lumen est, neq; bona eorum, neq; mala in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior, Quirites: verùm, id quod multò præclariùs est, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte quàm iniqui sint: quod ex aliena virtute sibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt: scilicet quod imagines non habeo, & quia mihi noua nobilitas est, quam certè peperisse, quã acceptam corrupisse, melius est. & paulo pòst: *Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut Consulatus maiorum meorum ostentare; at, si res postulet, hastas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; præterea cicatrices aduerso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc mea nobilitas; non hæreditate relicta, vt illa illis; sed quæ ego plurimis meis laboribus & periculis quæsiui.* & rursus: *Sordidum me & incultis moribus aiunt: quia parum scitè conuiuium exorno, neque histrionem vllum:*

vllum:

vllum, neque pluris pretij coquum, quàm villicum, habeo; quæ mihi lubet cōfiteri, Quirites: nam ex parente meo & ex alijs sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem conuenire; omnibusq; bonis oportere plus gloriæ quàm diuitiarum esse: arma, non supellectilem, decori esse. Cùm ergo quod iuuat, quod carum æstimant, id semper faciant; ament, potent; vbi adolescentiam habuêre, ibi senectutem agant, in conuiuijs, dediti ventri, & turpißimæ parti corporis; sudorem, puluerem; & alia talia relinquant nobis, quibus illa epulis mundiora sunt. Verùm non ita est: nam vbi se omnibus flagitijs dedecorauêre turpißimi viri, bonorū præmia ereptum eunt. Hæc omnia Marius in ea oratione. M. Tullius Cicero, Marij municeps, virtute sua ex humili loco ad Consulatus dignitatem euectus Sallustio sibi generis ignobilitatem obiicienti respondēs, *Ego* inquit, *meis maioribus virtute mea præluxi; vt, si priùs noti non fuerint, à me accipiant initium memoriæ suæ: tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras; vt, etiamsi fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionem.* Demosthenes, qui fuit Atheniensis Cicero, vt Cicero Romanus Demosthenes, *De nobilitate*, inquit, *pauca licet dicere: nam qui virtute præditus est, eum nobilem reor; at qui vitijs indulget; etsi Iouis patris & melioris filius est, hunc & sordidum & ignobilem duco.* Refert ex Platone Seneca, neminem Regem non ex seruis, neminem seruum non ex Regibus duxisse ori-

Cic in Sall.

Demosth. Olymp. 1.

Epist. 44.

 gnem;

ginem; & ſubdit: *Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus. Nemo in noſtram gloriam vixit; nec, quod ante nos fuit, noſtrum eſt. animus facit nobilem, cui ex quacunq; condicione ſupra fortunam licet ſurgere.* Idem alibi, *Quidã,* ait, *auitas paternasq; flagitijs obruerunt imagines, quidam ignobiles nati fecêre poſteris genus. In illis, non ſeruare quod acceperant, maximum dedecus; in his, quod nemo dederat feciſſe, laudabile. Si poſſent homines ſibi ſortem facere naſcẽdi, nemo eſſet humilis, nemo egenus; vnuſquiſq; felicem domum inuaderet. Sed quàm diu nõ ſumus, natura nos regit, & in quemcunque vult caſum nos mittit. hinc ſumus æſtimandi, cùm ſumus noſtri.* Hæc ex ethnicis ſcriptoribus in medium adduxi, vt virum nobilẽ Chriſtianis inſtitutis imbutum ſuæ pudeat inertiæ, ſi parentum ſuorum filius, quàm æmulus & imitator, eſſe malit; cùm videat Gentiles inflatos ſuperbiæ vento & honoris ac laudis auidiſſimos, parui ſplendidum genus, magni virturẽ æſtimaſſe.

Part. 2. tit. 9 l. 6. Quam ob cauſam quædam lex Partitarum ſic ait: *Nobilẽ facit & familia, & virtus: & quanquam genus eſt præclarum quid, ac nobile; eo tamen ſuperior virtus eſt: qui verò vtrumque poſſidet, hunc virum beatum iure dixeris, cùm à gente ſit diues, & à virtute vir perfectus.* Cum his tam ſapientibus dictis ſanctiſſimi Doctores noſtri conſentiunt.

Hier. epiſt. ad Celant. *Neſcit,* inquit D. Hieronymus, *Religio noſtra perſonas accipere, nec condiciones, ſed animos inſpicit ſingulorum; ſeruum &*

nobilem

nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas est, non seruire peccatis: summa apud Deũ est nobilitas, clarum esse virtutibus. & alibi: *Non est quòd aliquis sibi de generis nobilitate blandiatur, si ex meliori parte sit seruus.* Idem in Matthæum, & refertur dist. 56. *Dominus*, ait, *noster* Dist. 56.
IESVS *Christus voluit non solùm de alienigenis commistionibus, sed etiam de adulterinis nasci, nobis magnam fiduciam præstans, vt, qualicumque modo nascamur, dum tamen vestigia eius imitemur, ab eius corpore nõ separemur, cuius per fidem mẽbra effecti sumus.* Et B. Chrysostomus *Quid* Chrysost. in
prodest, inquit, *ei, quem sordidant mores genera-* illud Matt.
tio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem 4. Pat hab. Abraham.
mores adornant? Ipse enim se vacuum ab omnibus Vide etiam
ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit hom. 45. in
Cham, quòd fuerit Noë filius? Nonne separatus de Matt. c. 12.
medio filiorum, qui secundùm carnem frater fuerat natus, secundũ animam factus est seruus? nec familia sancta eius potuit defendere impios mores. Quid Timotheo nocuisse creditur, quòd fuit ex patre Gentili? aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrẽ habuit Thare, luteorũ Deorum cultorem? & paulo pòst: *Melius est, vt in te glorientur parentes,*
quàm vt tu in parentibus glorieris. Iephte de ma- Iudic. 11.
tre fuit meretrice, eamq; ob rem à fratribus domo paterna eiectus, nulla hereditatis parte attributa. Hic vbi tẽporis successu singularis fortitudinis specimen dedisset, populariũ omniũ rogatu delectusq; Dux & Princeps suorum creatus, victis fortiter Palæstinis,

&

& Ammonitis, salutem suis restituit. Primi quos delegit Deus & populo Israelitico Reges præfecit, fuêre Saul & Dauid. Illum perditas patris asinas perquirentem Samuel vnxit; hunc ex agro, vbi paternarũ ouium curam in sudore vultus agebat, euocatum Regem creauit, vt D. Gregorius Nazianzenus annotat; qui etiam refert, D. Basilium Præfecto Ponti ita respondisse: *Non personarum dignitate, sed fide, Christianismus insignitur.* scripsitque elegantissimos versus in nobilem vitiosum, in quibus ita ratiocinatur: *Etenim si quis tibi oris deformitatem aut odoris fœditatem per contumeliam obijceret, nihilne aliud responderes, quàm quòd pater tuus formæ pulchritudine excelluisset, aut suauissimè olere solitus esset? Agè verò, si quis te vt timidum & ignauum cauillis incesseret, nihilne aliud dicturus esses, quàm quòd maiores tui sæpenumerò in olympo vicissent? Perinde si quis te improbitatis & amentiæ conuincat, ne mihi parentes tuos, ne cadauera proferas. Accidit enim haud rarò, vt quis pulcherrimam auroq; vndique tectam citharam habens pessimè fides pulset; alius contrà à vili ac vulgari egregios modulos fundat. Vtrùm porrò horum meliorem citharœdum esse censes? nonne eum qui eruditis pulsibus concentum seruat?* tandemque concludit: *Qui malus, hic seruus; quisquis bonus, hic mihi liber. Quid facit ad clarum mens nimis alta genus?*

1 Reg. 10. & 16.

Orat. in fu. Basil.

Si Principem in augustias cõiectum necessitas cogeret dimicare, aut ad manus cũ hoste veni-

venire; dubium non est, quin ad conflictum & pugnam veteranos potiùs, quos experientia, fortitudo, scientia belli commendaret, quantumuis infimæ sortis essent, quàm nobiles qui molles essent, delicati, & vitiis infames, assumpturus esset. Quòd si ad laborem, ad pericula, ad pugnam, ad patriæ defensionem illos potiùs quàm hos eligeret; cur non eosdem ad honores & præmia, quæ labori sudoríque debentur, adhibebit? Et si Princeps famæ & gloriæ cupiditate trahitur, an non eam longè maiorem consequetur, si inopem virtute præditum potiùs amet, & honestandum suscipiat, quàm diuitem vitiosum? si priùs ornet splendidè facta & gloriosa facinora, quàm inane nobilitatis nomen, vanosque & falsos honoris titulos? qui licet ab virtute profluxerint; eius tamen radicibus non sustentantur. Iustitiæ tenax Princeps nullum honestum officium sine mercede, vt nec maleficium vllum impunitum abire sinet. nam præmiis & pœnis velut æqualibus ponderibus stat & ordinatur Respubl. quibus sublatis, vt sapientes ac Philosophi iure optimo sentiunt, magna communium rerum perturbatio & confusio necessariò consequetur. Quare prudentiores quidam id cōsilij dant Principi, vt codicem apud se semper habeat, in quo negotiorum maioris momenti ad statum imperij pertinentium compēdiariam summam describat,

scribat, & (quod potissimũ est) in eundẽ insignium virorum regni sui nomina & magis illustria facta referat. ita enim fiet, vt pleriq; quòd intelligant in hanc curam incumbere, sic autq; officiosis seruitiis præmia cõstituta, animum transferant ad Principẽ demerendum; quod alioquin facturi non erant. Cùm

Esther 6. noctem quandam præpotens Rex Assuerus insomnẽ duceret; iussit sibi adferri historias & annales priorũ temporum: quæ cùm illo præsente legerẽtur, ventumq; esset ad illum locum in quo scriptum erat, quomodo Mardochæus Iudæus insidias eunuchorum Regem Assuerũ iugulare cupientium nuntiasset, percunctatus est Rex quid pro hac fide honoris & præmij Mardochæus consecutus esset: cumq; intellexisset nihil omninò mercedis accepisse, illum honorari, & omnibus regni proceribus præponi iussit; neq; passus est tantum beneficium sine prẽmio relinqui: vt hinc disceremus, nullum in Principẽ, aut, (quod perinde est) in Remp. exstare meritũ debere absque præmio. Idq; curare permultùm Principis interest: licet enim naturalis in suum Principem propensio plurimũ possit, & bonum subditum moueat incitetq; vt illi obsequatur: plus tamen virium ad hanc rem habet propriẹ ac priuatæ vtilitatis commoditas, & præmij pro laboribus susceptis consequendi spes; qua sublata, nescio quomodo studia iacent, torpet animus, elanguescunt

guescunt vires, & ille ipse ardor vigorq; retunditur atque euanescit, quo in Principem nostrum ferebamur. Romanos nulla alia res sic extulit, & eorum Remp. ita nobilitauit, quàm honorifica & ampla præmia quæ cuique pro meritis & dignitate tribuebant, arcessentes ab aratro & ligone qui fierent Imperatores & Dictatores; (qui illius Reipub. summus erat magistratus) amplissimos & clarissimos triumphos iis decernentes, qui victoriis insignibus essent potiti; veteranis militibus ea quæ ad senectutē cum honore traducendam & ad familiā alendam necessaria erant, abundè suppeditātes; iis qui pro patria vitam profudissent, honores, statuas, laudes, monumenta æterna deferentes, ponentes, tribuentes, consecrantes. Itaq; Honori & Virtuti Templum dicârunt, quod interiecto pariete diuiserunt; vt omnibus innotesceret, honorē & virtutem res quidem diuersas esse, ac distinctas, ita tamen inter se iunctas, vt virtus causa, honor effectus sit virtutis; illa meritum, hic præmium; illa radix, hic fructuosissimæ radicis fructus. Quæ vt manifestiùs significarēt, in Honoris Templo nullum erat ostium, nullus nisi per Virtutis Templum in illud aditus. Ianua enim ad honorē ipsa virtus est, sine qua verus, solidus, ac diuturnus honos esse non potest: & qui virtutem honore priuat, is homines priuat virtute, vt Cato Censorius dicebat.

Valer. Max. lib. 1. cap. 1. Ioan. Rosin. lib. 2. de antiq. Ro. c. 8.

CAP.

CAPVT VIII.

Quædam Principibus seruanda in præmijs rependendis.

TRIVM hîc mihi monendi videntur Principes. Primum est, vt sibi caueant à non iusta, sed innata tamen propemodum affectione animi, quæ communiter in hominibus, sed magis in Principibus dominatur; qua in vindictam & vltionem magis, quàm gratificationẽ & beneficentiam sunt propensi. Vt enim scribit Cornelius Tacitus, *Proniores ad vindictam sumus, quàm ad gratiam: quia gratia oneri, vltio quæstui habetur.* nam officiorum remuneratio ex eo fermè nascitur, quòd Princeps se debitorẽ recognoscit; quæ res illi grauis est, & permolesta: cupit enim, vt & alij omnes se ei obligatos cognoscant, & ipse se nulli agnoscat obstrictum. At vindicta in ea debitione fundatur, qua reus & nocens deuinctus tenetur; & in eo quòd velit debitum hoc à sonte sibi dissolui, satisque fieri. Alterum est, vt non tam petentium negotiosis & importunis rogationibus, quàm virtute & veris meritis, impellantur ad dandum. Quocirca diligenter elaborent, vt hæc promerita sibi cognita sint, & explorata; & eum, qui illa habet, inuestigent, ac ex domo sua educant, aut in illa remunerẽtur, & præmia sibi debita non flagitantem. Sunt enim nonnulli (licet rari) qui meliùs norunt seruire

uire & mereri, quàm importunè mercedem extorquere: pudet enim illos tot libellos supplices dare, Principis ministrum & intimè familiarem sequi, vrgere, & vi quadam iustum præmium sui laboris extrahere. Contrà verò permulti inueniuntur, qui negotiosa contentione & importunis precibus id quod meriti non sunt consequuntur; & cùm forent pœnis multandi, afficiuntur præmiis, alienique officij & laboris fructum percipiunt. Postremum est, vt ita beneficia collocent, vt ij, in quos contulerunt, ipsis, & non eorum ministris atque familiaribus, accepta ferant; omnesque intelligant Principem dominum præmiorum, ac munerum distributorem, eaq; pro sua voluntate dispertiri; nec quidquam profutura dona & munuscula, quę tanquam retia tenduntur, eiusque ministris ac seruis offeruntur, Curent etiam, vt, quæ munera donant, citò, libenter, & hilari vultu largiantur; vt hac animi propensione noui velut incrementi accessio muneribus fiat; & qui donum accipit, non tam munere, quàm benignitate & egregia voluntate offerentis, Principi obstringatur. Qua de re inter cæteros Principes Ioannes secundus Lusitaniæ Rex maximè laudatur.

Nonnes. in Eduard. de Regib. Lusit.

CAPVT IX.

De iuſtitia Principi obſeruanda in vectigalibus & tributis; & quid inter Regem & tyrannum interſit.

SICVT in honoribus & bonis Reip. diſpartiendis æquitas Principi tenenda eſt, quemadmodũ ſuperioribus Capitibus declarauimus: ita in oneribus ſubditorum humeris imponendis ac diſtribuendis eiuſdem iuſtitiæ & æquitatis magna habenda eſt ratio. ac in primis certum debet eſſe Principi, ſe non eſſe dominum fortunarum & bonorum quæ populares poſſident, nec ea poſſe pro libito illis adimere, vt Politici quidam & nequiſſimi homines docent, Principibus vt blandiantur, & Reip. adminiſtrationem ordinemque confundant, & diuinas ac humanas leges peruertant, ac ſpecie & nomine iuſti Principis crudeliſſimũ, exſecrandum, deteſtabilemque tyrannum forment. Etenim ſi fortunarum & bonorum populi proprius eſſet penes Reges dominatus, & ad poſſidentẽ ſolus vſus ac poſſeſſio ſpectaret; non eſſet cur regnorum conuentus celebrarentur, in quibus agatur de Regũ indulgẽtia, & nouæ viæ perquirantur ad nũmarias difficultates explicandas; nec, quod in eiuſmodi comitiis datur Regibus, obſequiũ, ſubſidium gratuita donatio, aliiſque nominibus appel-

appellaretur. quæ apertè monſtrant hoc genus officij non tam debitum eſſe, quàm ſubditorũ voluntate ſuſceptum. Et certè ſi conſideremus quæ à falſis illis magiſtris docentur, inueniemus illorum omnia conſilia & præcepta eò referri, vt non iuſtum & moderatum Principẽ, ſed inuiſum, deteſtabilem, ac ſanguinarium inſtituant. Aſſentatori cuidam, dicenti omnia Regibus honeſta & iuſta eſſe, reſpondens Antigonus *Omnino,* inquit, *barbaris quidẽ Regibus: nobis ſola honeſta pro honeſtis, ſola iuſta pro iuſtis ſunt habenda.* Atque vt hæc omnia ſemel meliùs intelligantur, decreui hoc loco exponere quid diſcriminis ſit inter iuſtum & Chriſtianum Regem, de quo nobis eſt ſermo; & tyrannum, de quo Politici loquuntur. Rex verus Dei naturæque legibus obtẽperat: tyranno non alia lex quàm propria voluntas. Rex pietatis, iuſtitiæ, & fidei cuſtodiam profitetur: tyrannus Deum, fidem, & æquitatem contemnit. Ille communis & publici boni populique defenſioni adſtrictus eſt: hic ſui amans, quidquid agit, in commodum & vtilitatem propriam transfert. Ille modos omnes quærit, quibus ſubditos locupletet: hic ex eorum ruina domum ſuam & familiam amplificat. Ille iniurias Deo & Reip. factas vindicat, ſibi illatas cõdonat: hic ſumma crudelitate ꝓprias vlciſcitur, alienas remittit. Ille honeſtarũ mulierũ honori & caſtimoniæ cõſulit: hic de earũ

Plutarch in Apophth.

Bodin. de Repub. lib. 2. cap. 4.

expugnata pudicitia triumphum agit. Ille errore aliquo lapſus liberam monitionem, atque etiam modeſtam reprehenſionem, lubens & lætus admittit: hic à nulla re magis abhorret, quàm à viro graui & virtutis ſtudioſo; à quo liberè moneri & reprehēdi periniquo animo fert. Ille ſibi obedientium pacem atque concordiam conſeruare nititur: hic inimicitiarum zizania & ſemina diſcordiarum ſpargit in ſubditos, vt ex oppreſſorum proſcriptis ac publicatis bonis rem augeat. Ille ſubditorum amorē & beneuolentiam, hic odium & offenſionem permagni æſtimat. Illi caritate & quadā animi propenſione, huic ſolo terrore & metu ſui obſequuntur. Illius probitate, quę grauia ſunt, leuia redduntur: huius malitia & improbitate res leues graues fiunt, ac moleſtæ. Ille optimis & ſelectiſſimis regni ſui viris imperia & magiſtratus decernit: hic nefarios quoſque magiſtratibus præficit, vt iis tanquam ſpongia vtatur, quæ ſicca perfunditur & turget, madefacta verò & tumens exprimitur. Ille gratis ciuilia munia demandat, ne magiſtratuum emptores, dum damna ſarciunt, populum vexent, & tanquam hirudines ſugāt: hic honores & poteſtates venales proponit iis qui plus dāt numeratæ pecuniæ, vt Reip. adminiſtratoribus occaſionem prębeat ſubiectum populū furto & rapinis exhauriendi, & in extremam paupertatem redigendi,

quo

quo faciliùs possit eiusmodi publicos fures iubere suspendi, ex eorum bonis ditari, & iusti viri existimationem ac nomen comparare: Ille quàm paucissima potest tributa & onera suis popularibus imponit, nec nisi cũ cõmunis necessitas hoc exigit: hic subditorum sanguinẽ bibit, arrodit ossa, medullam exsugit, vt viribus & robore destituti deficiant. Ille populi mens est & vita, sicut in lege quadam Partitarũ dicitur; corporis Reip. *Part 2. tit. 10 l. 2.* quasi caput, & cuiusque ex ciuibus parens: hic suis gladius est, carnifex, atque tortor. Illum omnes amant & colunt: hunc, vt omnes odit, odio prosequuntur omnes. Ille secura quiete & quieta securitate perfruitur: hunc conscientiæ angore & solicitudine vexatum grauis timor dies noctesque excruciat. Ille laborum suorum fructum æternam in cœlis beatitudinẽ sperat: hic (nisi mores emendet) sempiterna apud inferos supplicia non effugiet (Illum viuentem videntemque reuerentia & obsequio, vita functum desiderio & lacrymis omnes prosequuntur: hunc, quàm diu est inter viuos, metuunt & honorantr; ebus humanis exemptum aspernantur atque proscindunt. Hoc est discrimen inter Regem & tyrannum, inter iustum & Christianum Principem, de quo nos sermonem instituimus; & inter violentum & iniustum, de quo tractant Politici. quod vno eodemque loeo exponere volui, tum vt meliùs

intelligatur quid inter illos interſit; tum vt vſui eſſe poſſint cæteris virtutibus, quę in ſequentibus Capitibus ſubiicientur. Sed vt ad id, quod initio Capitis propoſitum nobis erat, reuertamur; intelligat Princeps, ſe non eſſe abſolutum & perfectum dominum fortunarum ſubditorum ſuorum, vt antea diximus. ſi enim illi ius plenum competeret, nunquam in ſacris Litteris tam ſeuerè repre-
3.*Reg*.22. henderetur Rex Achabus ob vineã Nabothini raptam, quam à parentibus hæreditate acceptam noluerat vẽdere. nec verò Rex de eius emptione fuiſſet ſolicitus, ſi tã iuris ſui eſſe exiſtimaſſet. quin potiùs mortẽ merebatur Nabothus, ſi vineam, quæ Regis eſſet, eidẽ nõ reſtituiſſet. Sed quia Rex probè nouerat Nabothi eſſe, hunc precariò rogauit, vt illam ſibi vel venditione vel permutatione manciparet: quod cùm ille facere recuſaſſet, Rex, conſilio & induſtrio aſtu impiæ Reginę Iezabelis vxoris, hunc falſo teſtimonio, quaſi Deum fuiſſet exſecratus, inſimulatum interfecit; & vineam eius abſtulit. In cuius criminis vltionem Regem & Reginam morti tradidit Deus, & illorum ſanguinem canibus lambendum dedit, ſicut per Eliam Vatem prædixerat. Quanquam verò Pro-
1.*Reg* 8. pheta Samuel libro primo Regum de iure Regis, quem populus poſtulârat, differens dicit, *Agros quoque veſtros, & vineas, & olıueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis*: tamen his verbis

bis non significabat (sicut sancti Doctores exponunt) hoc fore ius & legem regni, & posse pro suo arbitratu Regem illa omnia iure auferre; sed voluit innuere quod à Regibus animi potiùs impetũ quàm rationem sequentibus, & qui potiùs quod possunt; quàm quod debent, faciunt, fieri solet. quod Samuel populo idcirco dixit, vt eum reuocaret à voluntate & desiderio Regem efflagitandi. Quamobrem S. Gregorius, illustris admodum Ecclesiæ Doctor, dum locum illum primi libri Regum explanat, hæc habet: *Cùm ergo ius Regis prædicitur, nimirum in vnius carnalis Præpositi conuersatione ostenditur, quod carnales cæteri ex tyrannide acturi sunt, non quod electi debeant imitari. nam in eadẽ Regũ historia legitur, quia cùm Rex Achab Naboth vineã abstulit, iram Dei omnipotentis incurrit: hîc verò cùm ius Regis prædicitur, agri, vineæ, & optima oliueta tollenda esse memorantur. Cùm ergo hîc prædicitur, quod cõmissum illic punitũ est, ostẽdit quod diuino iudicio non iubetur. Quare & electus Rex Dauid, cùm ad ædificandũ altare Domino Ornan Iebuzæi aream peteret, regio illo tyranni iure vti non voluit, cùm eam accipere nullatenus acquiesceret, nisi antè pro ea pretium iustũ dedisset. quia igitur ea quæ in iure regio continentur, vitãda potiùs quàm imitanda prædicuntur; eo subtiliùs considerãda sunt, quo vitari nequeunt, si nesciantur.* Hactenus S. Gregorius. Ex causis quibus impulsus est D. Ioannes Chrysost, ad perstrin-

Greg. lib. 4. c. 2. in c. 8. 1. lib. Reg.

3. Reg. 21.

1. Par. 21.

Leo August. orat. de vita Chrysost. Bar tomo 5. anno 401. gendam Imperatricem Eudoxiam, Arcadij Imperatoris vxorem, vna hæc fuit, quòd legis cuiusdam prætextu vineam à vidua abstulisset: & propterea, cùm videret Pontifex lenia medicamenta frustra adhiberi, iussit illam ab ingressu Templi arceri. S. Ambrosius in cōcione quam habuit ad populū, *Cap. 21.* & priori huius Operis libro citauimus, alloquens Imperatorem Valentinianum iuniorem, *Epist. 33.* *Domum*, inquit, *priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam?* In *2. Part tit. 1. l. 2.* legibus Partitarum scribitur, Imperatorem ac Regem, etsi verè domini sint, non posse tamen subdito sibi populo ad arbitrium suū & libidinem fortunas auferre, nisi quid perpetret, ob quod ex legum præscripto bonorum suorum dominatum amittat; ibiq; hæc subduntur: *At si fortè aliqua re Imperator indigeret ad rem quampiam faciendam, quæ in communem vtilitatem patriæ cederet, iure est obstrictus ad eam permutationem, quæ tanti aut maioris sit pretij; ita vt, bonorum ac prudentium virorum arbitrio, satis superq; factum sit ei, à quo rem illam sumpserit.* Cuius ratio eò loci etiam assignatur. Rex equidem est supremus regni sui dominus ac caput, & ei, qui talis est, obsequium & obedientia debetur, vt illud meliùs procuret atque tueatur. Quam in rem habet patrimonium suum, suos reditus, tributa ac vectigalia. cùm autem in his non est satis subsidij ad necessarios sumptus & commu-

communem imperij administrationem, vel Religionis defensionem, vel ad res alias publicas, quæ officium Regis requirunt: æquissimum est, vt, qui sub eius sunt potestate, illi opibus suis ac fortunis opitulentur ac subseruiant, cùm in publicum regni bonum redundet. Cùm ergo isthæc necessitas vrgebit, noua tributa, exactiones, aliaque onera licebit imponere, obseruatis tamen circumstãtiis & modis: quæ, vt recta sint, ex virorum sapientium ac doctorum sententia (ad quos lectorem mitto) tenenda sunt, consideratis etiam attentè documentis quæ proximo Capite tradentur.

CAPVT. X.

Documenta quædam Principibus obseruanda in oneribus populo imponendis.

INTER alia nomina q̃ Spiritus sanctus & sapientissimi viri Regi ac iusto Principi dãt, maximè proprium & accommodatum est pastoris nomen: nam reuera Principis munus est, subditos sibi populos pascere, regere, ac gubernare; quomodo pastor gregem suum pascit, & à luporum laniatu defendit, scabiem curat, & in eius commodo & bono procurando noctes ducit insomnes. Sed vt pleraque alia boni Principis & pastoris consimilia munera prætermittam, vnum ex

Ezech. 34. Ierem. 23. Plato de leg. lib 26. Arist lib. 8. Ethic. ca. 11. Dion. Chrysost. orat. 4. Philo libro quòd omnis probus sit liber.

Basil hom. 26 de S. Mamante mart.

potissimis est id de quo agimus; quodque in oneribus ac tributis reipub. imponendis versatur. Vt enim pastor tondet & non deglubit pecus: (ita enim lanam sibi decerpit, & quotannis nouâ tonsurâ veluti vsurâ fenerationis fructus & commoda reportat, quibus priuaretur, si pelle detracta oues exanimaret veriùs quã tonderet) sic boni Principis est, ea ratione onerare plebem, cũ necessitas exigit, vt modicè abradat, non expilet. Quam ob causam dicebat Tiberius Imperator: *Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere.* Eiusdem sensus est, quod celeberrimus Rex Cyrus respondit quibusdam, qui ei consilium dabant vt largitiones & beneficia cõtraheret, maioraq; exigeret vectigalia. Sed multò apertiùs rem eandem per Salomonem docuit Spiritus sanctus his verbis *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.* Atque hoc quidem, præterquam quòd ad iustitiæ officium spectat, vtilissimum est ipsi Principi, & reipublicæ vniuersæ: non solùm quia plebs non habet cur turbas faciat, & nouandis rebus studeat, atque à Rege suo deficiat, vt olim decem tribus Israël à Roboamo, Salomonis filio, defecerunt; sed etiã quòd cum regni opes Regis sint facultates, si abundet, vrgente graui aliqua necessitate, ad populariũ fortunas recurrere possit, illiq; Regi suo subsidium ferre. Ideo Cõstantinus

Suet. in Tiber. cap. 32.

Prouer. 27.

3. Reg. 12.

Pol. Virgil. hist. Angl.

Impe-

Imperator, Constantini magni pater, solitus erat dicere, meliùs opes à priuatis possideri, quòd apud illos fructum redderent, in arcis verò Principum clausæ steriles essent, & infructuosæ. Quòd si inops egensque sit regnum, & velut abstracta pelle nudum: nec lanam dabit, qua se Princeps vestiat; nec cætera largietur, quibus vrgētem depellat necessitatē. Cùm puteus plenus est, facilè hauritur aqua, immo & exhauritur: at si venæ & occulti meatus, per quos humor influit, exsiccentur, & fons, ex quo dimanat, exarescat; nulla arte aut industria restituetur. propterea lex Partitarum, hac de re agens, hæc in verba loquitur: *Etsi Rex popularium suorū dominus est, vt illos in iustitia contineat, & illorum opibus & diuitiis vtatur; ita tamen illos conseruare debet, vt eum non deserant, cùm illis indigebit: nam, vt Alexandro dixit Aristoteles. Optimus Regis thesaurus, & qui tardißimè perditur, est populus, cùm diligenter custoditur.* Cui dicto cōsentit illud Iustiniani Imperatoris: *Tunc regnum & Imperatoris aut Regis fiscum & ærarium opibus affluere, cum populus ei commissus diuitiis abundat, tellusque fecunda est, ac ferax.* Et verò huic magistri consilio obsecutus Alexander Magnus, cū inopia ac necessitate semel premeretur, ob immodicos sumptus quos in rē militarem faciebat, amplissima dona quæ in suos profundebat, & rarissima spolia quæ ex deuictis hostibus in ærariū thesaurosq; referebat;

lib.2. Eutrop. lib. 10. cap.1.

Part.2. tit. 5. l.14.

rebat;

rebat; essetque homo leuis & assentator aliquis, qui nouis vectigalibus grauandum populum censeret; dignam Alexandro hanc protulit sententiam: *Holitorem odi, qui radicitus herbas excîdat.* quibus verbis significauit, regnum esse sicut hortum, populares verò arborũ & plantarũ instar; (vt etiã dicit lex q̃dã partitarũ) & quidẽ quãdiu radix viuit, colligi fructus posse; exsecta verò, mox plantã arescere. Hoc igitur primũ est documentum Principibus obseruandũ, vt ne plebi nimia onera imponãt, nec aures præbeãt adulatoribus, q̃ suis cõmodis studẽtes, nouas quotidie rationes inquirunt, ac insolentes modos excogitant, quibus ita regnum atterant, eneruent, atque exsangue relinquant, vt ꝓpè exanime, in quauis belli difficultate, labore, aut qualibet alia infirmitate, nihil roboris ac virium habeat ad resistendum. Certum enim & exploratũ est, quidquid regno obest, etiam Regi nocere. S. Ludouicus Galliæ Rex grauissimè cuidã ex suis succẽsuit, quòd illi auctor esset vt à regno noua tributa exigeret, præscripta etiam exigendorum ratione. Nec iniuria præstantissimus Rex iniusto exactori indignabatur: nam hanc crudelitatem seuera Numinis vltio solet subsequi, vt per Prophetam Michæam testatur Deus, his verbis Principes alloquens: *Audite Principes Iacob, & Duces domus Israel. Numquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum,*

Part. 2. tit. 10. l. 8.

Michaa. 3.

& diligitis malum; qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum? qui comederunt carnem populi mei. & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. Ob quod scelus pœnam hanc subiungit: *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons Templi in excelso syluarum.* Documētum alterum quod Principiante oculos obseruari debet, cùm onera regno imperat, hoc est, vt, quo subditi maiori cum patientia exactionis labores ferant, & non repugnanter ac grauatè fortunas suas cōferāt, curet intelligant, non voluntatis, sed ingruentis necessitatis hoc esse vectigal; illudque eas in res impendi, in quas coactum est, & collatū. Nam si viderint abundare Regem, vel, cùm egeat, superuacaneas & immodicas expensas facere, opesque dissipare ac malè perdere largitionibus aut beneficiis extra modum & ordinem conferendis, (quę frequenter non virtutis causa, sed pro affectione & libidine nō meritis, sed flagitiosis & supplicio dignis obsequiis tribuuntur) mirum quātum affligentur, & à Principe auersi odium concipiant: quod quæ sibi detrahunt, & in quibus moderatè temperant, vt ei subueniant, ex iis alij prorsus indigni pinguescunt & turgent. Fit etiam plerumque, vt Princeps, qui largitor est & prodigus, alienarum opum acerri-

mus

mus ereptor & violentus possessor existat; vt dicit lex duodeuigesima Partitæ secūdæ, titulo quinto, & longior vsus iam nos edocuit. Talis fuit Imperator Caligula, qui paucis imperij sui annis in res inanes & superfluentes sexcenties septuagies centena millia aureorum insumpsit. Talis Nero, qui quatuor annis, quibus imperio præfuit, quingéties quinquagies centena millia nummorum lenonibus, scortatoribus, libidinis ac impurissimæ cupiditatis ministris, & carnificinæ crudelitatisque adiutoribus dedit. Quæ duo prodigiosa naturæ portenta in tãtam paupertatem & inopiam redacta sunt, vt, cùm totius imperij rapinæ & expilationes eis satis non essent, famosas & contaminatissimas se sustentandi rationes exquirerent &, ne vetera memorem, à nõnullis scriptoribus proditum est, quendam Regem spatio vnius anni, qui fuit ab ortu Christi octogesimusquartus supra sesquimillesimum, suis parasitis & assentatoribus quinquagies centena millia aureorum esse largitum; & nihil sacrum aut profanum, sæculare vel Ecclesiasticum manus eius effugere potuisse, cùm ex infantium ortu & defunctorum sepultura vectigalia exigeret: quam ob causam, & alia sua vitia, in maximum totius regni odium & offensionem incurrit. Æquum sanè est, Regem opibus & fortunis abundare, & repositos haberere thesauros, vt ministros suos

Suet. in Cal. cap. 37. Dion. Cass. lib. 58.

A mortuo tributum exigere Vide Adagia.

ſuos remuneret, inopia & neceſſitate oppreſſos iuuet, malos caſtiget, hoſtium conatibus obſiſtat, eoſque coërceat, & veluti freno iniecto ne bellum inferant contineat, vtpote non ignaros illi copias ſuppetere, quibus belli molē ſuſtinere ac inimicorum impetū propulſare poſſit. Cæterùm opes cogēdæ non ſunt expilando, & in paupertatem redacto regno: vt enim Auguſto Imperatori familiaris eius Męcenas dixit, *Opes amplæ meliùs colliguntur paucis expendendis, quàm multis accipiendis.* & Cicero affirmat parſimoniam magnū eſſe vectigal, & optimam augendorum fructuum rationem, ſi qua expenſarum inanitatem amputet ac circūcidat. Theodoricus Rex Oſtrogotthorum dicebat: *Magna ex cauſa paupertatem fugimus, quòd ſtimulus ſit inſani appetitus: & in Principe pernicioſa eſt admodum;* iureque dixit Sapiens quidam, *Regem pauperem animal eſſe periculoſum.* Sed ſicut expedit Regem diuitem eſſe, ita oportet eum videre diligenter, tum quibus modis opes colligat, tum etiam diligentiùs qua ratione illas expendat. Deinde vt Rex ſit opulentus, aut certè ne cogatur noua vectigalium impoſitione popularibus ſuis moleſtus eſſe, & grauis, neceſſariū eſt, vt, quoad fieri poteſt, à collybo & ære circumforaneo abſtineat, & argentariorum menſas fenoraque declinet. Licet enim turpi eiuſmodi nundinatione in præſens vrgenti neceſſitati

Dion. Caſſ. li. 52.

Cic. in Parad. & lib. 4. de Rep.

Caſſiodor. lib. 1. Var.

eatur

eatur obuiam, eam tamen postea augent eiusmodi vsuræ, & reipublicæ exitium ac vastitatem important. Nam præter alia multa exempla, quæ ante oculos nostros versantur, scribit Bodinus, mercatores, cùm Regi Galliæ bis centena & quadraginta nouem millia librarum) quod est monetæ apud Gallos genus) fenori dedissent, post aliquot annos accepisse ducenties quadragies quater centena millia, & ob hanc causam ex toto Galliæ regno pulsos fuisse, primùm à S. Ludouico anno post Christi ortum 1254. & postea à Philippo Pulchro anno 1300. & denique à Philippo Valesio anno 1347. qui cùm illos de hoc maleficio conuicisset, eorũ bona fisco adiudicauit. Ad hęc, ne tributis cogatur vexare populum, Princeps curare debet vt pecuniæ ac bona sine fuco & fideliter expendantur, auroque & argento suus sit valor, Idque per paucorum manus: nam quo pluriũ manibus contrectantur, eo plus deteruntur, & põderi decedit. siquidem experientia docet; tot quæstores, ærarios, coactores, exactores, & regij census administratores, bona Regis ita conficere atque absumere, plebemque sic exhaurire, vt magna pars regiarum opum in illorũ sumptus impendatur, & pro decem nummis, quos Regi soluere debuisset populus, ob sumptus & impensas 25. aut 50. pendere tam seuerè & violẽter grauiùs ferat damnũ ꝙ cõtrahit ex colle-

Libro 6. de Rep. cap. 2.

collectione & exactione quæstorum, quàm capitis sortisve solutionem: tantumque gratiæ & fauoris in hos permolestos exactores & publicæ pecuniæ pręfectos confertur, vt scribat Ioannes Bodinus se Comitiis quibusdam apud Tectosages habitis anno Christi 1556. interfuisse, in quibus supplicatum Henrico II. Galliæ Regi, vt hirudines has & ærarij depeculatores ab ea prouincia amoueret: nã obstricta fide pollicebantur se ad diem præscriptum vectigalia soluturos, & in eam regni partem, quam regia maiestas designaret, integra fide, ne obolo quidem desiderato, suis sumptibus delaturos; sicque fore vt Rex maioribus impensis parceret, debitum aurũ reciperet, & Tectosages ab ea molestia & molestatione ac miseria eximeret, quas vectigalium coactores & ęrarij infligebant. Regi æquã & rationi consentaneam postulationem visam, non tamẽ admissam, aut approbatam, ob vana quædã argumenta, quæ ii quorum rapinæ damno futura erat eiusmodi concessio, & quidam ex Regis intimis qui illis suffragabantur, attulere. additque idem auctor, cum habere coactores malum sit necessarium, optimum esse, vt (quemadmodum dicebat Seuerus Imperator) huius mali quam minimum habeat respublica: & regnum quidem Galliæ ob ingẽtem exactorum multitudinem bonis omnibus funditus euersum esse. Hoc

Libro 6. de Rep. c. 2.

ergo aduertendum & procurandum prudenti & cõseruationis imperij studioso Principi, vt rebus eiusmodi medeatur & prouideat, fideles, & qui se ab cupiditatis sordibus puros in eius bonis administrãdis præstant, officiosè remuneret; qui verò secus faxint, vt depeculatores & publicos fures, exemplo seuerè, nulla spe veniæ, castiget. Vt enim dicebat Cato, & refert A Gellius, *Priuatorum fures in neruo & compedibus ætatem agunt, publici in auro & purpura visuntur*. Romani, qui prudentiæ laude claruerunt, vnũ tantũ quęstorem in singulis prouinciis habebant, apud quem pecuniam publicam deponerẽt, & cui vectigalium cogendorum curam committerent: quod munus obibat aliquis Eques Romanus, vt reip. seruiret, ac sui specimẽ aliquod daret, & ad maiora officia magis habilis & aptus euaderet. Vt verò suam integritatem ac innocentiam probaret, collegam non habet; &, ne pecuniis tractandis corrumperetur, hæc eius prouincia anno definiebatur. Si rei administratæ bonam rationem redderet, erat in honore, & ad alia grauiora munera gradum faciebat: sin secus, ignominiæ labe contracta, in reliquam vitam aditum sibi ad alios honores præcludebat. Præter hæc illud etiam solicitè attendẽdum & enitendum Principi, vt in omnes ex æquo sic onera diuidãtur, vt plus oneris ferat, qui plus ferre potest; minus, cui ad ferẽdum

A Gell. lib. 11. cap. vlt.

Vide

dum

dum vires minores. Neq; idcirco denegatur Principi, quin possit, immo debeat, omniũ vectigalium ac tributorum immunitatẽ ei cõcedere, qui præclaris suis in remp. officiis hoc fuerit promeritus: sicut Saulis beneficio 1. Reg. 18. Dauid eiusque familia à tributo exempta fuit, quòd gigãtem Goliam de medio sustulisset. Iustissimum enim, & reip. rationibus valde conducit, vt eiusmodi præmiis homines excitati ei seruiant, & eius causâ nullum vitæ discrimen reformident. Verùm eò curæ Principis intendendæ sunt, vt ne (quod fit cõmuniter) pauperes; exhausti ærumnosique homines opprimantur; cùm non habeant qui eorum rationem ducant, quique defendendos illos tuendósque suscipiant. Debet enim Christianus Princeps pupillorum esse pater & tutor, viduarũ iudex, egentium perfugium, afflictorum consolatio & fomentũ, in eoq; Deum, qui talis est & dici ac haberi vult, imitatione exprimere. Henricus III. Castellæ Rex, cognomento Valetudinarius, Ioannis II. pater, de populi tributis sermocinans dicebat, *Diras & exsecrationes subditorũ se magis reformidare, quã hostiũ arma.* S. Ludouicus Galliæ Rex in suo [a] testamento Philippũ hæredẽ ac filium suũ in hęc verba alloquitur: *Fili mi, ante omnia in eam curam incũbe, vt Deum cultu & amore prosequaris: animo sis pio & humano erga mendicos & ærumnosos homines, illisque pro viribus opem*

a Seruatur hoc testamẽtum in thesauro Frãc.

feras: iustas tui regni leges obserues: ne subditis tuis tributa imperes, aut imponas onera, nisi necessitas vrgeat, teq́ manifesta vtilitas regni compellat; idque non vltro, sed graui de causa facias. si secus faxis, non Rex, sed tyrannus habeberis. Sanctus Eduardus Angliæ Rex dæmones sacco pecuniæ ex tributis collectæ insidentes videre visus est: quo viso, pecuniam iniustè exactam intelligens, eam restitui populo iussit. Nam verissima est B. Gregorij Pontificis sententia, qui scribens ad Constantiam Augustam, illamque obsecrans vt Imperatorem maritū suum doceret de miseriis & calamitatibus Italiæ, quæ tributis & vectigalibus sic opprimebatur, vt vix respirare posset, hæc habet: *Scio quoniam dicturus est* (Imperator scilicet) *quod nobis in Italia expensis transmittitur, quidquid de prædictis insulis aggregatur: sed ego suggero, quod, etsi minùs expensæ in Italia tribuantur, à suo tamen imperio oppressorum calamitates non mitigantur, nam idcirco fortasse tantæ expensæ in hac terra minùs ad vtilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admistione colliguntur. Præcipiant ergo Serenißimi Domini, nihil cum peccato colligi.* Denique bono & publicæ vtilitatis cupido Principi in hoc laborandum est, vt regnum diuitiis abundet, & ampla re instructum sit, lætumque & sua sorte contentum viuat; vt, cum necessitas exiget, faciliùs onera ferat, quemadmodum proximo capite dicturi sumus.

In Registro libro 4. epistola 33.

CAP.

CAPVT. XI.

Prouidendum Principi vt regnum abundās sit, & diues; & vt agricolis mercatoribusque faueatur.

CVRARVM & cogitationũ cæterarũ, in quibus versari debet Princeps, ea (vt cęperamus dicere) nõ est postrema, vt regnũ diues sit, opibusq; abundet: nã si locuples sit, & opulentũ, Rex etiã abundabit, poteruntq; cũ fortunis suis subditi iuuare, si quãdo necessitas id postulauerit. Opũ autem habetur copia, vel quia aliunde cõuehuntur, ex auri argentiq; fodinis extractę, & hominũ industria meliores reddidæ; sicut in Castellam ex Indiis ad Occidentẽ vergentibus, & in Lusitaniam ex mina aut aliis partibus importari solent; vel quia cõmerciis negotiationibusque cõparantur: vel quia soli ipsius & terræ beneficio tamquã naturales habentur; quæ tãto copiosiores & meliores reddit, quanto diligẽtiùs & accuratiùs fuerit culta. Vt igitur omittã quintam partẽ & alia iura quæ Regi Hispaniæ reddũtur in vtraq; India, atque ingẽtes thesauros quos illi Deus mittit, (hæc enim aliam curam & ꝓuidentiam non requirũt, quàm vt statis temporibus classis sit parata, & à militibus aliisq; rebus sic instructa vt mari imperet, & sine vllis hostiũ impedimẽtis cursum suum teneat) de duobus aliis, modis q̃bus regno opes accrescunt, agamus,

ac primũ de agricolis, posteà de mercatoribus, quos omnes fauoribus ꝓsequi & propẽso studio fouere debet Princeps, vt regnũ abundet plenũ sit, & opulentũ. Ac nullæ operæ meliùs impendũtur, quã quæ ponuntur in agris colendis: nã huiusmodi labores honesti, iusti, salutares, vtiles, necessarij sunt, & sine quibus vitã transigere nequimus; ad omnes etiam pertinent, agricolarũ corpus exercent, animumq; conseruant, & à multis vitiis abstrahũt, victũ & alimentũ reip. suppeditãt. Nã ex aliis rebus, quas opificum & mercatorũ industria subministrat, multę sũt quæ cõmunibus rebus nocent, &, qui illis vtũtur, effeminãt, & delicatos ac molles reddũt. Præterea, si belli necessitas vigeat, agricola ad arma capessenda cõmodior est quã mercator, faciliusq; militiæ labores tolerat, molestias caloris & frigoris, famis & sitis perfert, armis tectꝰ incedit, humi cubat, ad hæc enim longo vsu factus est, & quodammodo obduruit: cumq; alias opes non possideat, præter eas quas illi tellus fũdit, pro illa pugnat, illamq; tuetur meliùs quã negotiator: qui cũ facultates à loco in locũ facilè asportare possit, nũc huc, nunc alio hospes defertur, quocumq; lucri commodique tempestas illum rapuerit. Qua de causa olim apud Romanos ab agris accersebantur non milites solùm, sed Consules etiam, atque Dictatores, & primi magistratus Reip. atque ex a-

Franc. Patric. de inst. reip. lib. 1. tit. 7.

ratro

ratro & ligone summi Duces& viri præstantissimi prodierunt, qui post devictos hostes, & ingentes illorũ copias fusas ac deletas, ad agriculturam redierunt, vt Cincinnatus, Fabricius, Curius Dẽtatus. Ex potioribus laudibus quas Romani alicui suorum ciuiũ, etiam primario viro, tribuere solebãt, illa vna erat, eum bonum esse ciuẽ, & bonum agricolã, vt dixit Cato Cẽsorius: cui summæ laudi datum est, vt optimus Senator, optimus Orator, optimus Imperator, optimus Agricola diceretur, cum cæteris officiis honoratissimis agri colendi munere coniuncto. Itaque pulcherrimum etiã librum de agricultura conscripsit. Cyrus minor Rex Persarum, etsi summus & fortissimus Princeps, tantùm tamen in agro colendo studij posuit vt gloriaretur agrum se admirabili ordine& artificio sua manu conseuisse. Diocletianus Imperator, postquã imperium per aliquot annos summa cũ maiestate administrasset, in priuatum õrdinẽ se redegit, & in patriam suam cõcedens horto colendo studuit, quo, vt & lactucis quas ipse seuerat comedendis, tantopere delectabatur, vt, licet multorum precib9 ad imperium reuocaretur, numquã tamen induci potuerit vt iterum illud capesseret. Quin etiam Delphicum oraculum Aglaum quendam, senem & pauperem virum, qui paruum prędium colebat, illiusq; frugibus vitam tolerabat, feliciſſimum

Cicer. lib. de Senectute.

Eutr. lib. 9.

omniū mortaliū ꝓnuntiauit. De qua exco-
Cic. lib. de Senectute lēdi terras arte Cicero, Virgilius, Horatius,
Virg. lib 2. Georgic. & plures alij graues auctores mira scripse-
Horat. Epod. od. 2. rūt. Hæc adduxi, vt intelligatur quantā ve-
teres illi sapiētissimi viri semper habuêre ra-
tionē terræ, tamquam cōmunis matris; quæ
nō solùm præbet quibus alamur, sed etiā a-
nimos nostros reficit & leuat multitudine &
varietate tot & tā admirabiliū & saluberri-
marū rerum, quas ad miserrimæ vitæ nostræ
conseruationem, salutē, & delicias munificè
largitur. Hæc itaq; recogitās Princeps Chri-
stianus, colonis & agriculturæ multum fa-
Lib. 7. Polit. cap. 9. ueat: nam etsi Aristoteles agricolas non vult
ciuitatis partem esse, & illos à magistratibus
& publicis muneribus obeundis reiicit; sunt
tamen pars ciuitatis Christianæ, fundamen-
tumque & neruus totius reipub. quæ sine il-
lis conseruari non potest; neque ii qui diui-
tiis & potentia præstant, sine illorum indu-
stria vitam sustentare queunt. Ex quo facilè
perspicitur illud à D. Chrysostomo verissi-
mè dictum, locupletem sine paupere vitam
degere non posse, pauperem verò sine diui-
te posse; & pauperem magis diuiti esse ne-
necessariū, quàm pauperi diuitem. Quam-
obrem solicitè curet Princeps, ne pars vlla
terræ, quæ coli possit, inculta relinquatur,
faueat illis qui agrorum cultui diligentem
operam nauant, ignauos & negligētes casti-
gari iubeat. Vt autem omnes excitentur, &
colle

collectis animis alacriùs in rẽ tanti momenti & tam difficilem ac laborioſam incumbant, priuilegiis & immunitatibus eos pelliceat, neque permittat vt illis aliqua vis inferatur, aut ij, quibus vectigalium cura eſt demandata, illos exhauriant, accenſi vexent, onera omnia illis imponantur; ſed potiùs prouideat vt præ cæteris ſubleuentur, cùm maximum Reip. pondus ſuſtineant. Quam in rem tantùm diligentiæ aliquot Luſitaniæ Reges contulerunt, vt (auctore Hieronymo *De inſtit.* Oſorio) quidam illorum, propter propen- *Princip.* ſas in agricolas voluntatem, Agricolæ cognominati fuerint. Imperatori etiam Au- *Sueton. in* guſto laudi tribuitur, quòd colonos & mer- *Octa. c. 42.* catores cura ſua complecteretur & foueret. Atque hoc modo affatim erit frumenti ac fructuum è terra naſcentium, quæ ſunt potiores opes, & diuitiæ magis naturales: regnum etiam à neceſſariis rebus abundè inſtructum erit, nec compelletur frumentariis mercatoribus, & iis qui cibaria ſubminiſtrant, obnoxiũ eſſe, & in eos facultates ſuas effundere, ac in paupertatem idcirco redigi, quòd annonæ difficultate & rerum ad victum neceſſariarum inopia laboret. Poſt agricolas Principis benignitate fouendi ſunt mercatores & negotiatores: nam illorum induſtria exportantur ea quæ in regno redundant; quæ verò deſunt, importantur, & regnum rebus ad vitam neceſſariis abundat,

ac inter diuersas nationes mutuum est commercium, mercibus vicissim permutatis: namque nauigationis beneficio vniuersus terrarum orbis commune quodammodo fit emporium, omniũ copia refertissimum, fruunturque omnes re qualibet quæ illi inest; nouæ pręterea regiones explorantur, diuersi gentium ac regnorũ mores patefiunt; multa admiranda & nunquam visa in lucem proferuntur, & è regno pedem non efferẽs potest quis effici totius mundi ciuis & accola. Præterea ex cõmercio fit vt fortunæ subditorum crescant, regius fiscus augeatur, & regnum (vt diximus) opibus circumfluat. Sed Principi videndum est, ne per hanc occasionem in regnum importẽtur res redundantes & superuacaneæ, carissimæ & lautissimę, aut ad humanos vsus ineptissimæ: nam perniciem adferunt; homines enim molles, effeminatos, & delicatos reddunt, optimos indigenarum mores peruertunt, & non sine notabili Reipub. detrimento, pecuniis, opibus (vt ita dicam) substantialibus, & rebus vtilissimis aut necessariis regnum exhauriunt. Quoniam verò perdifficilè est omnino vetare hasce splendidas, lautas, & sumptuosas merces; grauissimis quibusdam & prudentibus viris visum est, eas vectigalibus sic augendas esse, vt vel non conuehantur in regnum, aut tanto pretio veneant, vt eis vtendi solis potentibus ac locupletibus viris fa-

ris facultas ſit. Ita enim immoderata mortalium cupiditas coërceretur, & aliæ merces atque res ad hominum vitam vel neceſſariæ vel vtiliſſimæ magis immunes eſſent, & in magnum Reipub. commodum viliori pretio ſtarent: cumque tributum aut vectigal, quod illis imponitur, exiguum eſſet, aut certè moderatum; exportarentur quæ exportari debent; & quæ ſunt inferenda in regnum, maiori cum abundantia inferrentur; atque ita compenſaretur maior acceſſio quæ fieret reditibus, ſi maius vectigal ex illis rebus exigeretur; (nam ex magno rerum exiguarum numero magna ſumma exſiſtit) & oneris moleſtia ſuauiùs toleraretur.

CAPVT XII.

De Iudicibus à Principe eligendis, & illorum virtutibus.

ATQVE hæc dicta ſint de iis quæ Principi prouidenda ſunt, vt honores & onera ſeruata æquitate diſtribuat, & regnum opulentum ac rebus neceſſariis abundans poſſideat: ſupereſt iuſtitiæ pars altera, quæ cōſiſtit in ſontibus & facinoroſis puniendis, & in ea cura adhibēda, vt omnibus ex æquo reddatur, & vt ne quis vim aliis inferat, aut ab alio quopiam iniuriâ afficiatur. Et quoniam non poteſt Princeps per ſe hoc iuſtitiæ munus exſequi, ſeligendi ſunt illi miniſtri

ac Iudices, qui officiũ hoc obeant, & æquabile ius administrent. aduigilandum etiam vt bonos & iustos præmiis, malos ac iniustos Iudices suppliciis afficiat. in ea institutione, quam ad Iustinianum Imperatorẽ scripsit Agapitus Diaconus, his verbis illũ alloquitur: *Terrarum orbis à Deo cùm concreditum tibi sit regnum, caue ne aliquo vtaris ex prauis ad rerum administrationem: quæ enim perperam fecerint, eorum rationem reddet Deo, qui peccandi facultatem illis indulserit. Æquale reor esse malum, peccare, & non cohibere peccantes. Ad delictum*, inquit S. Isidorus, *pertinet Principum, qui prauos Iudices contra Dei voluntatem populis fidelibus præficiunt. nam sicut populi delictũ est, quando Principes mali sunt: sic Principis est peccatũ, quando Iudices iniqui exsistunt.* qui (vt idem vir sanctus ait sequenti capite) peiores sunt latronibus, & quasi crudelissimi quidã lanij carnem appendunt subditorum domino, qui iudicandi potestatem illis contulit. Quid prodest sessorem equitandi peritissimum esse, si freno non obtemperet equus? quid dominum nauis prudentem esse, si gubernator amentissimus sit, præceps & temerarius? quid Regem esse fortissimum, si summo cum imperio ab eo exercitui præfectus animo fracto sit, & ignauo? Eodem prorsus modo parum admodum prodest, Principem amatorem esse iustitiæ, nisi operam det vt ex omni suo regno maximè insignes & præstan-

Agapit.

Isid libro 3. Sent. c. 54

Ibid. c. 55.

præstantissimos seligat, quos iuri dicendo præficiat, &, postquam selegerit, super illos excubet: nam, vt Diocletianus iam priuatus dicebat, *In paucorum est potestate, nisi sint quales oportet, Principem fraude circumuenire & irretire.* &, *Bonus, cautus, aptus, venditur Imperator.* Alexander Seuerus Imperator, vbi aliquos voluisset vel rhetores prouinciis dare, vel propositos facere Procuratores, id est, Rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt, si quid haberent criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis. tantoque odio ardebat improborum Iudicum, vt diceret se semper habere paratum digitum, vt ei, qui malus esset, oculum erueret: & in id hominum genus adeò concitabatur, vt, si eos casu aliquo videret, commotione stomachi choleram euomeret, toto vultu inardescente, ita vt nihil posset loqui. Vt ergo declaremus, quibus virtutibus oporteat bonos Iudices instructos esse, & quid in illis eligendis perpendere debeat iustus & pietatis studio incensus Princeps, videamus primùm quid in sacris scriptis diuinus Spiritus dicat. Iethro Moysis socer (vt in Exodo legimus) genero suo auctor fuit, vt reseruatis sibi grauioribus negotiis, & iis quę ad Dei cultum pertinebant, onera in alios partiretur, iisq; reliquas controuersias cognoscendas traderet; & eum sic alloquitur: *Prouide autem*

Flau. Vopisc. in Aurel.

Lampr. in Seuero.

Exod. 18.

autem de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam; & constitue ex ijs qui iudicent populum omni tempore. In Deuteronomio iubet Deus Iudices constitui; & quæ sint eorum partes, declarat his verbis: *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas; & iudicent populũ iusto iudicio, neque in alteram partem declinent. Non accipies personam, neque munera: quia munera excæcant oculos sapientũ, & mutant verba iustorũ.* Ex libris præterea Paralipomenon discimus, Regem Iosaphat Iudicibus in vrbium quaque à se constitutis hæc dixisse: *Videte quid faciatis; non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini; & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum vestrum iniquitas, neque personarum acceptio, nec cupido munerum.* Ex tribus his, quos adduximus, & ex aliis sacrarum Scripturarũ locis colligendum nobis est; tum quibus animi dotibus ac virtutum ornamentis Iudices præditos esse oporteat; tum quid sit iusto Principi illis deligendis maximè prouidendum. Primùm ergo requiritur vt sint viri potentes, id est, qui magno & forti sint animo, & audeant nobilem, copiosum, dominantem aliis aggredi & comprehendere, contrudere in carcerem, &, si res postulet, supplicio coërcere.

Deuter.16.

2.Par.19.

nam

nam idcirco Spiritus sanctus dicit: *Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Sint etiã constantes & firmi, (quemadmodum lex quædam Partitarum dicit) *ita vt à legitimo iure nõ discedant, nec à vero abducantur, nec in contrarium flectantur, quocunque cõmodo vel incommodo.* quod quatuor modis accidere potest: nam, vt ait Isidorus, *Iudicium humanum peruertitur timore, cupiditate, amore, odio.* Timore nimirum amittendi vel beneuolentiam eius qui apud Principem gratiâ multum potest, cuiusque ope iuuari se posse sperat; vel facultates, honorẽ, aut etiam vitam; quòd is, quem sua sententia cõdemnare deberet, magna potestate præditus est, & copiis ac opibus affluens. Corrumpuntur cupiditate, id est, quæstus atq; vtilitatis auiditate; quam Spiritus sanctus tantopere inculcat, & ab ea Iudices dehortatur, eos à capiendis donis omniq́ue auaritia auocans: *quia* (inquit) *munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.* quibus verbis ostendit, lucri & cõmodorum appetitionem non ignaros tantùm ac malos Iudices, sed etiã sapientes & iustos cupiditate occæcare, sicque mentis oculos perstringere, vt iudicij veritatem non cernant, & longè secus, atque antea fecissent, muneribus acceptis de lite iudicent atque pronuntient. Cùm enim naturæ quodam impulsu, qui beneficium accipit, obstringatur, & debitorem se agnoscat

Eccles. 7.

Part. 2 tit. 9. l. 18.

Libro 3. de sum. bono, c. 58.

Deuter. 16.

ei à quo id acceperit: consequens est, vt Iudex, qui donum aliquod admittit, arbitretur se debitorem ei esse, à quo accepit; aut si vtraque pars eum muneribus deliniat, illi se magis deuinctum putet, à quo pluribus & maioribus donis affectus est: ex quo innata nobis omnibus lucri cupiditate permotus, & proprię vtilitatis captus dulcedine, legum religionem perfringet, & eas, à vero sensu detorquens, ad suam libidinem inflectet. Proinde leges diuinæ & humanæ prohibent oblata munera: donorum enim acceptatione, iustitiæ fundamentum euertitur, Iudicis mens immutatur, & tam cæcis tenebris offunditur, vt, à qua parte ius stet, diiudicare non possit. Hinc fit, vt vir diues, licet criminosus, euadat ex iudicio, quia habet quod largiatur; pauper, etsi innocens & culpæ expers, Iudicis sētētia condēnetur, quia non habet quod offerat; vt inquit S. Isidorus. *Lib. 3. de sum. bon.* Quæ fuit causa, cur veteres iustitiæ effigiem manca manu pingebant, vt muneribus accipiendis non esse porrigendam significarent. *Plato lib. de leg.* & Plato grauiter condemnat, atque etiam morti addicendum censet Iudicem qui munus aliquot accipit, nō solùm vt ius corrumpat, sed etiam vt illud administret & reddat. *1. Reg. 8.* Propterea etiam Prophetæ Samuelis filij reiecti sunt, quia, muneribus acceptis iudiciū corrumpentes, sanctissimi patris sui vestigiis non insistebant. *Deut. 16.* & in Deuteronomio

hæc

hæc leguntur: *Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis: & dicet omnis populus, Amen*, id est, Fiat. & Isaias inquit: *Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Propter hoc, sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit, & germen eorum vt puluis adscendet.* Tertium quod iudicium inquinat & corrumpit, amor est, & affectus, quo Iudex cognatum, affinem, amicum, vicinum, aut aliqua necessitudine coniunctum complecti solet: vel maleuolentia, odium, aut alia perturbatio, qua in eum fertur, qui cum eo aut eius amico simultatem & inimicitias gerit; quam D. Isidorus quarto loco ponit. Nam quemadmodũ ad cibũ gustandũ & de sapore diiudicandum linguam perpurgatam & nullo alio sapore infectam esse oportet: sic, vt iustè de iure partium Iudex statuat, necesse est vt ab omni gustu affectuque sit liber ac nudatus, & tanquam æquatum stateræ examen in neutram partem propendeat. cuius rei significandæ gratia antiqui iustitiam cæcam pingebant: oculos enim non habeat oportet, quibus amicum videat, aut inimicum; indigenam, vel peregrinum; nobilem, vel ignobilem; pauperem, vel locupletem. nam, vt inquit S. Petrus Rauẽnas, qui in iudicio personam amici nouit, iusti Iudicis exuit, & habet stateram dolosam, cõtra legem Dei pręcipien-

Isaiæ 5.

Pet. Chrysologus.

Leuit. 19. cipientis vt statera iusta sit, & æqua, Leuit. 19. his verbis: *Non consideres personam pauperis, neque honores vultum potentis: iustè iudica proximo tuo.* & in Deuteronomio: *Quod iustum est, iudicate; siue ciuis ille sit, siue peregrinus. Nulla erit distantia personarum; ità paruum audietis, vt magnum: nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.* etsi, quando diues & pauper lite decerrant, adeoque dubia est causa, vt eius veritas nulla via internosci possit, debeant Iudices in pauperem magis inclinari: non tantùm quòd miserior est, & dignior misericordia, sed quòd natura propensior est homo in diuitem, à quo aliquid cōmodi exspectat, quàm in egentem, quem scit beneficij compensandi facultatem nō habere, sed aliorum potiùs opem & fauorem requirere. Et verò cùm tanta est iuris æqualitas & ambiguitas, non obscurum signum videtur, æquiorem esse causam pauperis & imbecilli hominis quàm diuitis & potentis. atq; hanc ob causam Deus ipse, qui tam seuerè præcipit Iudicibus ne personarum rationem habeant, frequenter cum eisdem queritur & expostulat, quòd tam paruam curam gerant pauperum, aduenarum, pupillorum, ac viduarum, qui communiter à diuitibus & potentibus obruuntur. Vnde hæc Spiritus sancti sententia: *In iudicando esto pupillis misericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altißimi obediens, & miserebitur tui magis*

Deut. 1.

Ecclesi. 4.

gis quàm mater. & per Ieremiã his verbis conqueritur: *Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudiciũ pauperum non iudicauerunt.* Quæ ratio iudicandi maiori etiam solicitudine & diligentia seruãda est; quando lis est Regi aut Principi cum subdito, & Iudici cõtrouersia anceps videtur: tunc enim meritò credere potest, æquitatem causæ penes subditum esse, non penes Regem. tanta enim Iudices cupiditas tenet Principi gratificandi, vt hæc illos excæcet & abripiat, nisi contrarium ius liquidò cõstet. Propterea Catholicus Rex Ferdinandus V. Consiliariis suis, vt ita facerent, summa cum prudentia & caritate mandabat. Quæ quidem res admodum certè consentanea est legibus, bonorum Principum exemplis, ipsiq; adeò rationi. Modestinus enim sic ait: *Non puto delinquere eum, qui in dubijs quæstionibus contra fiscum facilè iudicauerit.* Traianum etiam, quòd sub eo cõtra fiscum iudicaretur, Plinius laudat huiusmodi verbis: *Quæ præcipua gloria tua est, sæpius vincitur fiscus; cuius mala causa nunquã est, nisi sub bono Principe.* Vt enim dicere solitus erat idem Imperator Traianus, *Fiscus quasi lien est; quo crescente, reliqui artus contabescunt.* Ideo Iulius Capitolinus refert, Marcum Antoninum, Philosophum dictum, in causis compendij & quæstus nunquam fauisse fisco, vt annotauit doctissimus Couaruuias, Episcopus Segobiensis, & Castellæ

Ierem. 5.

Leg. non puto ff. de iure fisci.

In Panegyr.

Variar. resol. lib. 1. cap. 16.

ſummo prætorio præfectus. Et quanquam Iudicum eſt exſequi quod lex ſtatuit, nulla perſonarum habita ratione; tamen ad clementiam & moderationem animi propendere debent magis quàm ad ſeueritatem, & magis ad cõmiſerationem quàm ſummi iuris acerbitatem: atque hanc miſericordiam iis præſertim impertientur, qui pro infirmitate naturæ impetu potiùs non voluntario peccant, quàm his qui cogitatò & malitia culpam contrahunt: iis etiam magis, quibus grauis fuit occaſio in vitium labendi, quàm qui flagitium obſident; quique maleficiorum anſas aucupãtur, & alios etiam in fraudem inducunt: denique magis ijs qui cùm antea virtutis fuerint ſtudioſi, pacis & quietis amantes, & quorum perſpecta probitas exſtiterit, pro humana fragilitate prolapſi ſunt, quàm ſeditioſis, factioſis, & turbulentis hominibus, qui exemplo malo aliis perniciem adferunt, Rempubl. ſemper exagitant & perturbant. Potiſſimùm autem adhibenda eſt lenitas, ſi noxa non ſit ex eo genere peccatorum, quæ diuinum honorem lædunt, & noſtram Religionem imminuunt: hæc enim & alia flagitia, quæ ſunt aliis offendiculo, & Rempub. inficere poſſunt, celeriter ſupprimenda ſunt, & in aliorum exemplum ſeuerè punienda.

Cap.

CAPVT XIII.

De aliis rebus quæ debent ineſſe Iudicibus.

VT ad propoſitum ſibi ſcopum Iudices colliment, ante oculos habeant quod Spiritus ſanctus dixit, & nos ſuprà retulimus, Numinis timorem; intelligantq́;, iudicium, quod exercent non hominum eſſe, ſed immortalis Dei, qui Regis miniſterio iudicandi munus illis dedit, &, tanquam ſupremus ac omnium communis Iudex, ab iis rationem ſeuerè repoſcet, & ſtatuto tempore non ſolùm iniquitates & iniurias factas diiudicabit, ſed etiam de æquitate iuſtitiaque examinabit: multa enim ſunt, quæ in oculis hominum iuſta videntur, & vulgo creduntur, quæ cùm in diuino examino & iudicio expenſa fuerint, vt iniqua probabuntur, & meritis afficientur ſuppliciis. Præter hũc Dei metum, quo, vt primo fundamẽto, iudiciorum æquitas ſuſtinetur, & vnde exſiſtit animi firmitas & conſtantia, qua pręſtare debet bonus Iudex, requiritur etiam vt intellectas habeat leges communes & proprias, Imperatorias & ciuiles ſanctiones, iura municipalia, publicos & receptos mores, ac regni cõſuetudines, ſecundùm quas debet ſententiam ferre: nam alioquin errabit plurimùm, eritque ſimilis medico, qui ignarus legum medicinæ, ægroto, quem curandũ ſuſcipit,

necem adfert. Neque satis est sciat tantùm quid in genere legibus sanciatur, nisi etiam à magno rerum vsu paratus ac prudentia instructus sit; vt, quod lex generatim statuit, priuatis ac singularibus causis, quæ in iudiciis agitari solent, applicet. Nam vt medicum ægri oculos curantem generales de oculorũ curatione præceptiones affectis infirmisque oculis hominis, cui medicinam parat, aptare oportet: ita Iudicem, si errare nolit, necesse est scire, quonam modo generales sanctiones legum iis rebus, quę factum singulare, quod in quoque iudicio discutitur, circumstant, sint accõmodandæ. Quam ad rem opus est longis & multis experimentis, magna prudentia, peracri certoque iudicio. Hinc ferè fit, vt iuuenes inepti sint ad Iudicum munus obeundum, quia illis deest experientia adeò necessaria, vt in singularibus casibus propositum finem consequamur. Sanctus etiam Spiritus dicit speciosum esse canitiei iudicium. Quin & Aristoteles tradit, iuuenes non esse deligendos ad ea, in quibus prudentia requiritur, sed ad ea quæ robur corporis animique fortitudinem postulant. Immo verò omnis hæc prudentia satis non est, nisi ad eam accedat iudicij subiectio, sese legibus submittẽtis. Sunt enim quidã qui proprio iudicio ita cõfidunt, vt leges corrigant, & ad suam opinionem flectant ac detorqueant; & subtilibus, acutis, & verosi-

Eccles. 25.
Lib. 3. Top. cap. 2.

milibus

milibus interpretationibus verũ earum sensum, eiusq;, qui leges tulit, mentem, peruertunt; & eo doctiores Iurisconsultos se putãt, quo minùs intelligitur quod adferũt, & fallaci quodã nouitatis splendore mentes audientium excæcant, aciemque perstringunt. Alij volunt esse legis non interpretes ac exsecutores, sed domini; vt ad suam libidinem eam interpretentur ac perfringant. Et licet interdum Principi supremo & latori legum id permittatur, immo verò etiã debeat, cùm singularis res aliqua incidit, quę lege vel non comprehenditur, vel ab ea eximi soluiq; debet; tamen promiscuè & cõmuniter loquendo grauiter errant inferiores Iudices, cùm à lege discedunt, vt opinionem propriam sequantur. Vt enim auctor est Aristoteles, & scribit D. Thomas, melius est Iudicẽ legem sequi, & eius decreto stare, quàm ab ea discedere, & arbitrio suo ferre sententiam. Leges enim longa & accurata animaduersione, & multis prudentibus viris in consilium adhibitis, scribuntur: at Iudices sæpe prudẽtia nõ valent, nec satis temporis habent vt rem omnem secum versent, & maturè expendant: melius autem examinari & ad veritatis normam exigi solet, quod diuturno tardoque multorum consilio decernitur, quàm quod subita repentinaq; vnius hominis sententia definitur. Lex semper eadem est, non varia aut dispar; Iudices mutantur subinde, &

Polit. lib. 2. cap. 7. & 1. Rhet. ad Theod. c. 1. D. Thom. 1, 2. q. 95. art. 1. ad 2.

ferendo iudicio ſuum quiſque genium ſequitur; & quot capita, tot & tam variæ ac diſcrepantes ſunt ſententiæ. Lex cùm iubet aut vetat, rem ſolam ab omni perſonarum ratione nudatam conſiderat, vacua eſt & libera ab amore & odio, maleuolentia aliuore, expers omnis affectus, qui Iudices in caſibus ſingularibus occæcat, &, quod rectum eſt, videre non ſinit. Poſtremò expedit Iudici vt ex legum præſcripto iudicet; ita enim faciliùs querimonias, expoſtulationes, ſimultates ſuſpicionesq́ue vitabunt: nemo enim de iniuria conqueri poteſt, cùm Iudex legem ſequitur. quòd ſi à lege recedat, multorum querelis obiicitur. His & aliis de cauſis conuenit, vt & Iudices in iudiciis ſententias ſuas ad legis normam exigāt; & ſummi Reges ac Principes, qui ſuperiorem nō agnoſcunt, multam adhibeant tùm cautionem; cùm quis legibus ſoluendus ſit; tum diligentiam, vt earum ſanctitas in tribunalibus, & extra ea, inuiolata cuſtodiatur.

CAPVT XIV.

Vigilantia Principis circa Iudices ſuos & adminiſtros.

NON ſit ſatis Principi, magna cum diligentia & cura hominibus, quos probitatis opinio, doctrina, prudentia, ſuiq́ue ſtatus integritas commendat, iudicandi munus

nus demandasse, & illis legum custodiam summa cum seueritate commisisse: sed quoniam cordis humani abditi sunt recessus, & munus ipsum virum ostendit, fitque occasionibus vt offendamus & labamur, moresque mutem⁹; idcirco necesse est vt Princeps animo excubet, atque eo magis, quo res maioris est momenti, ex qua reip. salus dependet, quæque est fundamentum ac stabilimen quo regnorum & imperiorum conseruatio tranquillitasque stat & fulcitur: in eum vero Iudicem, qui à ratione iuris & æquitatis discedet, id seueritatis exēplum edet, quod reliquis documento sit, vt in officio permaneant. Cambyses Rex persarum cum resciisset quendam ex iudicibus suis contra ius & æquitatem in re graui sententiam tulisse, idemque aliàs frequenter factitasse, autem viuo detrahi iussit, pellemque detractam, quo sedere solebant Iudices, tribunali intendi atque consterni: cumque postea patris magistratum filio contulisset, eū admonens, Vide, inquit, quo loco ad iudicandum sedeas. Idem fecisse legimus Rogeriū Siciliæ Regem; nec immerito sanè: nihil enim est quod reip. maiorem pestē aut perniciem adferat, eamque labefactet, quā si Iudex iudicādi potestate ad iniurias, ad furta, ad rapinas & violentiam abutatur. Est enim Dei vicarius, qui ei hanc facultatem cōcessit, vt (quemadmodum ipsemet dicit) co-

Herod. l. 3.

Deut. 1.

gitet iudicium illud, quod exercet, non esse suum, sed Dei iudicium, pro inde curandum sibi esse, vt, quantum potest, rectissimam Dei iustitiam imitetur, nec se sinat cupiditate animique perturbatione sic excęcari, vt iudicium peruertat, & per summã impietatem ac blasphemiam Deum, cuius personam gerit, quantum in se est, iniquum & mendacẽ faciat. Quinimmo Alexander Seuerus, laudatissimus Princeps, hac cognitione & luce cælesti destitutus dicebat, non satis dignè in malum iudicem vindicari, si magistratu priuaretur, sed grauioribus etiam suppliciis multandũ. Constantinus Magnus tanta cura tantoque studio cupiebat nosse quonam pacto Iudices & alij magistratus ius administrarent, vt in hęc verba legem tulerit: *Si quis est, cuiuscumq; loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcunque Iudicum, Comitum, amicorum, vel Palatinorum meorum, aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè atque iustè gessisse videatur, intrepitus & securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam: & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Dicat securus, & bene sibi cõscius dicat. Si probauerit, (vt dixi) ipse me vindicabo de eo qui me vsque ad hoc tempus simulata integritate deceperit: illũ autem qui hoc prodiderit & comprobauerit, & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi summa Diuinitas semper sit propitia, & me incolumem præstet, vt cupio sit felicissima, florente rep.*

C. Theod. lib. 9 tit. 1. de accusat. Sigon. lib. 3. de Occid. imper.

Publi-

Publicatũ 15. *kalend. Octob. Nicomediæ, Paulino & Iuliano Coss.* Hactenus lex. Sed illud in primis ad excitandos bonos iudices & malos coërcendos valeret plurimũ, si Princeps interdum, cùm de rebus grauioribus sentẽtiæ feruntur, iudiciis interesset: sicut Lusitaniæ Reges cui⁹libet hebdomadis certo die, Carolus Dux Burgundiæ, cognomẽto Audax, diebus tribus, multis verò antè sæculis Carolus Magnus die vno, faciebant. verùm hic volebat vt se pręsente illæ tantum causæ agitarentur, in quibus ei ministri ius dicere noluissent, &, qui litigabant, iniuriam sibi facta quererentur; vt, hoc freno coërcitis Iudicibus, integra & inuiolata iustitia staret.

Hier. Osor. libro 7. de Reg inst.
Iac. Meier. lib. 17. Annal
Iust. Lips. de Rep. lib. 2. cap. 11. in annot.

CAPVT. XV.

Principem fidem datam inuiolabilem seruare oportere.

IN partibus iustitiæ est fides, & pactorum promissorumque constantia; eoque magis, si iusiurandum accesserit. Et quamuis stare promissis cuiusuis sit hominis, etiam de media plebe; tamen longè accuratiùs cauẽdum Principi ne fidem datam violasse videatur: nam vel nuda Principis verba oraculorum instar esse debent; quibus plus insit firmitatis & cõstãtię, quã alteri cuiuis obligationi. Quare Isocrates, in prima oratione quam ad Nicolẽ de Regis institutis scripsit,

Isoc. orat. 2.

hæc ait: *Perpetuò tantum studium & reuerentiam præ te fer, vt tuis verbis maior sit fides, quàm aliorum iuramentis.* Hanc fidem tanti fecerunt olim Romani, vt prope Iouis simulacrum eius imaginem in Capitolio religiosissimè collocarint; de qua hæc Silius Italicus:

Cato Cens. quem citat Lips. lib. 2. de Rep. c. 14.

Silius Ital.

Ante Iouem generata, decus Diuûmq; hominũq;,
Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt;
Iustitiæ consors, tacitumq; in pectore numen.

Cùm verò Machiauellus doceat, Principem interdum debere mentiri, fidem datam fallere, in condicione & pacto non manere, & hanc doctrinam nostri temporis Politici factis exprimant; admodum conueniens atque adeò necessarium est, vt Princeps Christianus multam cautionem adhibeat & attentissimè consideret quid dicat, promittat, iuret; sed postquam auctoritatem suam adstrinxerit, eam non negligat, sed firmè & cõstanter promissum & iusiurandum seruet: hocq; sibi certò persuadeat, in fide maximũ positum esse momẽtum ad dominationem retinendam, & nominis existimationem, ad opes parandas, ad inferiores obedientiæ metusque freno comprimendos. Et primùm quidem ad famam existimationemq; valet: quoniam de eo Principe, quem fidei religionem colere norunt, præclarè omnes sentiunt. Ad opes remq; augendam prodest: nam vt qui æs alienum rectè dissoluit; sic Princeps, cuius verbo fides tribuitur,

non

non suarum facultatum duntaxat est dominus, sed & alienarum. frequenter enim incidere solet, vt exercitus longè distans pecunia, commeatu, aliisque rebus necessariis instruendus sit; nec pecuniæ tam cito cogi aut illuc transmitti possint, quàm res & occasio postulant: qua difficultate se facilè explicabit Principis fides; illi enim quiuis (si in fide & promisso constantem nouerit) suas pecunias sponte dat mutuas, eiusque verbum pro certis magnisq; pignoribus arbitratur: alioquin sibi quisque consulit ac cauet, ac facultates suas diligenter recõditas asseruat. Hinc nascitur vt Princeps habeatur potentior, maiori obseruantia colatur: & timeatur magis: quæ omnia ad dignitatis statum conseruandum maximo sunt adiumento. Conducit etiam Principis fides ad rectam conscientiam, ad auctoritatem: & vt alij Principes eius verbis fidant, populares verò illustre admodũ exemplar habeant, quod in re tanti põderis imitentur. Hæc autẽ eo magis necessaria est, quo corruptiora sunt nostra tempora, in quibus homines nullo Numinis metu passim iurant peierantque. Gentiles, etsi ligneos Deos colebant, in eis tamen, cùm per falsos Deos iurarent, tantum reuerentiæ ac honoris erga iusiurandum inerat, vt peierantem morte damnerent; quemadmodum Ægyptios fecisse constat. Itaque iura-

Plaut in Rudente.
Cicero pro Flacco.
Iuuen. satyra 14.

Plato lib. de leg. dial. 12. Iust. lib. 14. iuraturi Templum petebant, aram manibus apprehendebant; vt hoc ritu ac cæremonia & quasi præsentia Numinis ad considerandum attentiùs quid rei gererent, impellerẽtur. *Plin. lib. 31. cap 1. Macr. lib. 5. cap. 19. Leon. lib. 2. cap. 6. Var. histor.* Quin etiam scriptis mandatum est, quẽdam Bithyniæ fluuium, olim cæteris hominibus salutarem, periuris solis mortẽ ac exitium attulisse. In rep. Romana Pontifices in periuros grauiter animaduertebant. Quin & Machiuellus affirmat, Romanos à iureiurando violando, quàm à legibus negligendis, *Lib. 1. disc. cap. 11.* maiori metu deterritos fuisse; quòd eos minus hominum quam Deorum potentia commoueret. Et, vt ad priscos nostræ Religionis professores veniamus, legimus morẽ fuisse, apud Sanctorum reliquias adigendi eos ad iurandum, qui grauiorum criminum re facti non potuissent conuinci, vt hoc iureiurando ab omni peccati suspicione seipsos liberarent: quos, si iuramentum mendacio temerassent, sceleris vltor Deus acerrimè puniebat. Id fieri consueuisse tum Nolæ ad S. Felicis corpus, tum Mediolani ad Martyrum reliquias; D. Augustinus est au- *Epist. 137.* ctor. Et Gregorius Magnus, de Sanctorum *Hom. 32. in Euang.* Processi & Martiniani corporibus loquens, hæc habet: *Ad exstincta namque eorum corpora viuentes ægri veniunt, & sanantur; periuri veniunt, & à dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt, & liberantur.* Idem de S. Pancratio narrat *De gloria Marc. c. 39.* Gregorius Turonensis; & seuerè in Roma-

na vr-

na vrbe à Deo punitos, qui manibus ad sacrum corpus admotis peierassent. Sed quid vetera cõmemoro? hac ipsa nostra ętate Romæ multis videre licuit viros duos, non vno tempore, lentis ac tardis incendiis ad consumptionem vsque conflagrantes flãma veluti ab Sancto profiliente, quòd ad aram Templi D. Antonio dicati, & Fano S. Mariæ ad præsepe vicini, peierassẽt. Ad externa redeo. Decem ex militibus Romanis, qui in potestatem Hannibalis venerant, eius concessu ad negotia quędam transigenda Romã sunt ea lege profecti, vt intra tempus constitutum in castra Punica redirent. Octo ex eis, ne fidem fallerent ad Hannibalẽ regressi sunt, duo reliqui Romę manserunt. eos tamen qui iusiurandum violassent, ita vulgus hominum contempsit, odioque habuit, ac tot & tantis affecit ignominiis, vt præ tædio vitæ necem sibi consciuerint. Maximopere laudant scriptores Attilij Reguli fidem, qui suppliciis exquisitis ac crudelissima morte maluit à Carthaginensibus affici, quã vel latum vnguem à promissis discedere. Nec minorem fidelitatis laudem adeptus est Sextus Pompeius, Magni Pompeij filius. Is aduersus Octauium & Marcum Antoniũ, qui Romanum imperium inter se diuiserant, funestum bellum gerebat: quos postea in pacis societatẽ receptos amicitiæ conseruandæ gratia ad cœnam inuitauit, in præ-

Valer. Max. lib. 2. c. 4. Gell. lib. 7. cap. 18. Corn. Nep. lib. 5. Exẽp.

Valer Max. lib. 1. c. 1.

Plut. in Vita Ant.

toria naui, quæ sex remigum erat. Illis in Põpeij verbis tantum fiduciæ fuit, vt cenaturi nauim intrauerint. Ibi cum essent, Menas Pompeio in aures insusurrans admonuit, posse illum orbis vniuersi dominum fieri si vellet; competitoribus suis, quorum vitam habebat in potestate, morti datis. Pompeius vt eum audiuit, & rem secum perpẽdit paulisper, *Facere*, inquit, *Mena, oportebat me non præmonito; nunc præsentibus rebus acquiescamus: neque enim meum peierare, fidemque meam imperio postponere.* Quod singulare profectò est magnoq; honore dignum exemplum. Nec Romani eo fuerunt contenti, si fidem ipsi suam seruarent integram atque incorruptã; sed nec in bello victoria potiri voluerunt, si

Valer. Max. lib. 6. c. 5.

alij fidem suam violassent. Quare Romanorum Dux Camillus, Faliscos circũsedens, abuti noluit magistri perfidia, qui nobilium filios suæ fidei commissos ei tradebat; sed hunc vinctum pueris dedit, &, vt eorum pa-

Valer. Max. lib. 5 c. 5.

rentibus pœnas lueret, in Vrbem remisit. Medicum etiam, pollicentem se Pyrrhum

Plutarch. in Pyrro, & in Apophth.

veneno necaturum, ab eo consilio deterruit C. Fabricius, & Pyrrum commonefecit vt ab insidiis suorum sibi caueret. Atque hinc vtrique Romanorum plus æquitas iustitiæ seruata profuit, quàm fides violata profuisset: & Romana resp. clarior facta est, quòd fraude vincere noluisset, quos dolis facilè

Lib. 6. ca. 6.

superare poterat, vt Valerius Maximus scri-

ptum

ptum reliquit. Suadebat aliquando Alexandro Parmenio nescio quid, quod à fide ac decoro planè alienum erat: cui respondens Alexander, *Facerem id quidem*, ait, *si Parmenio essem; verùm Alexandro neutiquam id facere licet*. Sapientissimum profectò responsum: nã vt non eadem est condicio Principis & priuati, sic actiones longè diuersæ esse debent. quod idem Alexander satis ostendit: cũ enim Perillo cuidam ex amicis, dotem filiabus suis petẽti, talenta quinquaginta numerari iussisset, & ille satis esse decem diceret, *Nẽpè tibi*, inquit, *accipere, mihi verò non satis donare*. Idem Dario persarum Regi bellũ inferens, summoperè cupiebat Iaddum summum Iudæorum Sacerdotem à Darij societate diuulsum ad suam amicitiam adiungere; itaque per litteras eum rogabat vt amicitiæ societatem secum iniret iisdem ipsis cõditionibus, quibus antea cum Dario fœdus icerat: sed respondit Pontifex, sacramento se obligatum Dario, quod violare nefas esset. quod responsum dedit humanam neutiquam secutus prudentiam, quæ eo rerũ statu postulare videbatur vt tempori cederet, & ad voluntatem tã potentis Regis, iuuenis, natura præferocis, victoriis insolẽtis, sese accõmodaret. Cæterum etsi hac responsione accepta iratus Alexander ciuitatem Ierusalem se æquaturum solo minitaretur; Deus tamen, ad quem iusiurandum

Plutarch. in Apophth.

Iosephus de antiq. l. 11. cap. 8.
Bodin. lib. 5. de Rep.

eaque caussa pertinebat, ita mentem eius mutauit, vt ad Sacerdotis, cui fuerat infensior, sacris vestibus induti, pedes accidens, magna cum animi demissione eum honorarit. Octauianus Imperator publica præconis voce decies sestertiũ millia nummum aureorum promisit se ei daturum, qui sibi Corcotam, latrociniis insignem, & prædonum ducem, adduxisset. hoc vbi resciuit Corcota, Imperatorem addiit, & se Crocotam esse dicens, ac in eius potestatem se tradens, petit sibi pretium dari, quod tradenti Crocotam spopondisset. Fecit Imperator, aurum dedit, in suam fidem conciliatum admisit: tum vt pollicitis staret, tum quòd tanta fiducia Crocota se ad eius pedes abiecisset. Quid dicam de Almenore Mauro, Toletano Rege? quãta cum humanitate Regem Alphonsum sextum à fratre Sanctio ad se fugientem excepit! qua fide conseruauit, & magorum cõsiliis restitit, qui ad necẽ Alphonso inferendam hortabantur, quòd eum Toletanæ ciuitatis euersorẽ fore diuinarent! quanta etiam constantia & fidelitate non modò liberum abire permisit, sed etiam muneribus auxit, postquam cognouit hereditario iure Sãctij regna ad Alphõsum peruenisse! Quæ omnia prȩstitit Arabs, vt promissa seruaret ei, qui tãta fiducia eius se fidei potestatique tradidisset.

Dio lib. 56.

In Chron. Cid. c. 50. 51. & 67.

Ante-

CAP. XVI.

Antecedentis Capitis continuatio.

ÆQVVM non est, vt à solis Mauris & Gentilibus tam præclaræ virtutis exépla petamus; quasi nemo fuerit Christianorũ Principum, qui eadé ceteris præluxerit. Ille ipse Alphonsus sextus, cui Maurus tam constanté fidem præstiterat, fidelitatis, qua in eum ipsum vsus est, quem tam benignum in se fauentemq́; senserat, exemplum prębet. Cùm enim in Oliæ opidulo in eius potestatem Maurus venisset, id in primis curauit, vt iurisiurandi, in quod adegerat cùm in eius esset arbitrio, se religione solueret: quo facto, de integro renouatam amicitiam nouo sacramento firmauit, & in fide data integrè incorrupteque perstitit. quæ ideo fecit, vt ostenderet se non duci promissi pœnitentia; sed ad regiam spectare dignitaté, id vt præstaret generosa quadam ac spontanea mẽtis inductione, non coactus, aut iuramento alligatus. Guido Flandrię Comes bellum mouens in Philippum Pulchrum Galliæ Regem, ab eo captus est; eaque condicione in Flandriam dimissus, vt in fidem Regis alienatos Belgas reduceret, interposito iureiurando, rediturum se, nisi eos permoueret: rediit; carceri se restituit, in eoq; paullo pòst mortuus est, vitæ commodo fidei religionem anteponens. Idem fecit Ioannes Rex

Fulg. lib. 6. Meyer Anal. lib. 10.

Polyd. Virg. hist. lib. 10. Meier Annal. lib. 17.

Galliæ, qui ab Eduardo VValliæ Principe, Regis Angliæ filio ac hærede, data fide in Galliã rediit, ad ea paranda quæ ex pactione debebat: quæ cùm perficere non posset, in Angliam reuertit, vt pactis staret; breuiq; morbo oppressus è vita excessit. Æquum nõ est, vt Petrum Ansurium, Equitem Castellanum, fortitudine ac generis antiquitate insignem virum, silentio prætercam. Hic cùm præfectus esset quibusdam Castellani regni præsidiis & arcibus, & in Vrracæ Reginæ Castellæ, Alphonsique Aragonum Regis, eius viri, verba iurasset, vtrique se castella munitionesque conseruaturum; orto postea inter Regem Reginamq; dissidio, existimauit suum esse, arces & loca munita Reginæ, ad quam iure pertinebant, restituere: & quia non poterat Alphonso, cui simul iurauerat, arces tradere; laqueo in collũ iniecto Regẽ adiit, &, Procerũ turba spectãte, supplex orauit vt sacramẽti non tã spõte quã quadã necessitate quadã violati à se pęnas reposceret. Non minus admirationis peperit constans fides Marci Guterrij, arcis Aguilaris nomine Didaci Lopetij Præfecti; quam Alphonsi Legionensis Regis copiis ac militibus cinctam septem annos strenuè propugnauit. cæterùm cùm mortuis præsidiariis militibus ipse etiam inedia & fame conficeretur, arcis clauibus collo appensis, humiq; iacens, integra fide mori cupiebat; verũ hostes

Chron. general. Hisp. parte 4.

stes in arcem ingressi, Marcum exanimem ac prope fame enectum reperientes, adhibitis remediis curarunt. at postquam ad se rediit, ingemuit, ꝙ in defensione præsidij se mori prohibuissent, vt datam fidem integrè seruasse videretur. Hæc & alia id genus inuenimus retinendæ veritatis exempla: ex quibus discãt Principes ac viri nobiles fidei promissorũque constantiam; eoque magis, si iusiurandũ (ꝙ diuinum sacrumque est quiddam) verbis pactisq; accesserit. Qui enim secus faciũt, grauibus suppliciis à Deo plecti solent, vt Caput insequens declarabit.

Cap. XVII.

Supplicia & pœnæ quibus iurisiurandi violatores Deus aliquando constrinxit.

Zacharias Vates Deum loquentẽ inducens, *Vnusquisque*, inquit, *malũ contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus*. Quantum verò ab hac perfidia abhorreat idem Dominus, aliquando ostendit. Iosuæ Israëlitarum Ducem, Chananæos armis infestantem, vbi cõuenissent Gabaonitæ fingentes se ex ea gẽte non esse, callidè à decepto impetrarunt, vt non ille solùm, sed omnes etiam Principes ac prima populi capita eis se perniciem exitiumque non allaturos sanctè iurarent.

Zach. 8.

Iosua 9.

quamquam verò fraude postmodum cognita ad cædem eos plebs deposceret, Iosue tamẽ, ne iusiurandum violaret, eis periculo mortis exemptis vitam ea lege concessit, vt conuehendis lignis, aquaq; in vsum & ministerium altaris cõportanda, populo deseruirent: quo in seruitio ad vsq; tempora Saulis Regis perseuerarunt; qui pietatis & Religionis obtentu cupiditate quadam illectus, neglecto iureiurando quo se & posteros Iosue adstrinxerat, Gabaonitarum vrbes occupauit, pluribus eorũ occidi iussis. Qui ex tãta cæde superfuerunt, videntes se affligi & torqueri miserrimè, nec ab hominibus auxilium sperantes, oculis manibusq; in cælũ sublatis Deo supplicarunt, vt in hominibus perfidis tantum facinus vindicaret. Nec frustra fusæ preces: nam Deus, tantæ perfidiæ pœnas sumpturus, famem immisit in terrã tribus annis iugiter, & è populo multos inedia consumpsit. Porrò Dauid, qui Sauli in regno successerat, ignarus quodnam maleficium ac scelus tam dira fame, velut communi supplicio, Deus vlcisceretur, consuluit oraculũ Domini: dixitq; Dominus, propter Saul & domum eius sanguinum, & quòd violato iurisiurandi sacramẽto Gabaonitas occidisset, eam sterilitatem rerumque omnium egestatem accidisse; nec finem fore tãntæ plagæ & calamitati, quoad pro iniuria Gabaonitis illata satisfecissent. Qui necem suo-

2. *Reg.* 21.

ſuorum non auro aut argento, ſed eorum, qui ex familia Saulis erant, ſanguine compenſari voluerunt. Itaque ſeptẽ ex eo genere ſibi iuſſu Domini à Dauide traditos patibulis affixere: qua ſatisfactione placatus eſt Deus, famesq́; ceſſauit. Quo ex facto ſatis intelligi poteſt, quantũ gloriæ ſuæ atq; honoris tenax ſit Deus; & quàm acerbas perfidiæ pœnas ab eis exigat, qui iuratã fidẽ fefellerunt, quam vel à ſe vel ab alio datam ſeruare debuerunt: quantumuis ij, qui ſacramentum dixerint, Reges ſint, &, quibus fides datur, obſcuri, & rerum inopia abiectiſſimi. Aiſtulphus Longobardorum Rex, initio regni ſui pacem cum Zacharia Pontifice Romano, deinde cum eiuſdem ſucceſſore Stephano II. innouatam iuramento confirmarat; ſed, quoniã ambitio & imperij latiùs propagandi cupiditas tantum iuris in animis Principum habet, iureiurando per ſummum facinus contempto, & exarchatu Rauẽnate in ſuam poteſtatem redacto, Romã armis laceſſere cœpit, vt eam, ſi poſſet, ſuæ ditioni adiungeret: cumq́ue multis fruſtra tentatis ad fidem ſeruandam induci placarique non potuiſſet, ſanctiſſimus Pontifex Stephanus ad Deũ ſupplex confugit, vt orationibus & lacrymis obtineret, quod ab impio Rege impetrare nõ poterat Mandat ergo iuriſiurandi ab illo præſtiti formulam tabulis exceptam ad Crucem prælatam *Sigon. lib. 3. de reg. Ital.*

aſtigi:

affigi: ipse verò cum populi Romani clerique instructo agmine in solemni publicæ supplicationis pompa nudis pedibus incedens, multis Antistitum comitantibus, Seruatoris imaginem miraculis illustrem humeris gestabat. Tam religiosas preces sic exaudiit Deus, vt armis Pipini Galliæ Regis coactus Aistulphus reddiderit Ecclesiæ quidquid per vim abstulerat, & non multo post miserandum in modum è viuis excesserit, excussus & ab equo præceps lapsus, vel (vt alij narrant) ab apro dilaniatus. Ludouicus Bosonis filius, ortus ex Caroli Magni stirpe, regnabat in Prouincia. Hic à quibusdā Italiæ Principibus Berengario infēsis solicitatus, & potissimùm ab Adelberto Berengarij genero spe Italici regni illectus, montes trāscendit; initoque prœlio, in eas angustias à à potentissimo hoste redactus est, vt eius potestati se traderet. Eum Berengarius, ex Italia excedere cupientem, ꝑ sua clementia liberū atque incolumem in patriam redire permisit, iureiurando tamen adactum, se Italicis rebus tēperaturum, nec deinceps arma moturū. Sed Ludouicus iurisiurandi immemor, & clementiæ ac benignitatis, qua in eum vsus fuerat Berengarius, oblitus, deceptus cupiditate regnādi, & vana quadā spe, quā ex primatibus Italiæ quidā ostentabant, delusus, in Italiam reuertit, & post varios incerti Martis euēt⁹, cū esset Veronæ, in hostis

Sigon. lib 6. de reg. Ital.

manus

manus iterum incidit, à quo in perfidiæ & ingrati animi pœnam non oculis tantùm erutis, sed vsurpato per iniuriam regno priuatus est, Iustinus Imperator, cùm bellum contra Persas gereret, Hunnos, gentem bellicosam, armorum socios sibi adiungere cupiens, auxilium ab eorum Rege petiit: qui, acceptis stipendiis & muneribus ab Imperatore submissis, opem promisit: sed cùm à Persa etiam Hunnorum Rex amicitiam societatemque coëundam & arma communiter inferenda inuitaretur, ad illum adiit, spe maioris cōmodi incitatus. Hoc vbi comperit Iustinus, Persarum Regem de re tota certiorem factum, ne Barbari promisso fideret, commonefecit. Persa, veritate facti diligenter inuestigata compertaq́;, Regem eiusque milites interfici iussit; illum vt hominem perfidiosissimum, istos vt socios cōsciosque periurij. Sanctius Castellæ Rex, quem ex insidiis Vellidus Dolfus occidit, fassus est tam fœda morte se Deo perfidiæ vindici pœnas luisse: violauerat enim iusiurandū, ad quod eius pater Ferdinandus eum adegerat, se regnorum diuisionē à patre factam seruaturum. Sanctij frater Garcias Rex captus, ferreis vinculis in pedes iniectis, post nouemdecim annos carceris defunctus est; quòd contra iuratam fidem sorori suæ Vracæ ditionem, quam illa à patre acceperat, auferre tentasset, vt scribunt auctores qui

Zon. part. 3. in Iustino.

Chron. Cid. & Hisp.

Cidi & res Hiſpanicas litteris prodiderunt. Sed hanc veritatem, tot exemplis confirmatam, non minùs probat, quod in hiſtoria de rebus Hungariæ refert Bonfinius. Compoſitis inter Regem Vladiſlaũ & Amurathem Turcarum Imperatorem rebus omnibus; Rex Hũgariæ, violato fœdere, prior in Turcam bellum mouit: initoq; prœlio, Turca, cùm ſuos in pugna non ſine magna cæde fugari conſpicaretur, ad expianda fidei violatæ piacula, ad vlciſcendam Chriſtianorum perfidiam, & ad vindicandum ius reſciſſæ pacis, depromptum è ſinu codicem initi ſanctiſſimè fœderis explicat, intentisq; in cœlum oculis, *Hæc ſunt*, inquit, IESV *Chriſte fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſere. Per numen tuum ſanctè iurârunt; datamq; ſub nomine tuo fidem violârunt, perfidè Deũ ſuum abnegârunt: nunc, Chriſte, ſi Deus es, (vt aiunt) & nos hallucinamur, tuas measq; iniurias, te quæſo, vlciſcere: his, qui ſanctum tuum nomen nondum agnouêre, violatæ fidei pœnas oſtende.* Vix hæc dixerat, qui vltimum in ſe impetum exſpectabat, cùm prœlium, quod anceps ac dubium diu fuerat, inclinare cœpit: nam camelorum onerariorum interuentu à cæde ad prædam Hungari animos conuerterant. tandem, trucidato Rege Vladiſlao, Hungarì in fugam coniecti nobilem victoriam Amurathi reliquerunt. Nec ſanè eſt cur miremur, ſi ſeueriſſimum Iudicem & acerrimum

Bonfin. de rebus Hung. decad. 3.

vltorem

vltorem se præbeat Deus, vt enim fidelissi-
mus est ipse, eoq; nomine gloriatur, seq; talẽ
ab omnibus haberi cupit; sic optat vt homi-
nes inter se Deo fidem seruent, intelligantq;
Deum nunquã icta fœdera rupturum, nisi
priùs ea mortales fregerint ac temerârint.
Cuius rei plenæ sunt sacræ Litteræ; passimq;
veteris ac noui Instrumenti paginę prædicãt
& inculcant frequentiùs, Deum fidelẽ esse.
Moyses nunc illum vocat fortẽ & fidelem; *Deut. 7. & 32.*
nunc ait Deum esse fidelem, & absq; vlla ini-
quitate. Dauid appellat fidelem Dominũ in *Psalm. 144.*
omnibus verbis suis. Isaias ait: *Adorabunt pro-* *Isaia 49.*
pter Dominum, quia fidelis est.[a] D. Paulus iden-
tidem in suis epistolis, & Apostolus[b] quem *a 1. Cor. 1 & 10.*
Christus diligebat, hoc insigni & glorioso *2. Cor. 1.*
titulo ac epitheto Deum exornant, vt signi- *1. Thess. 5.*
ficent quàm verè fidelis sit, & eadem virtute *2. Thess. 3.*
nos cupiat quàm ornatissimos, quàm deniq; *2. Tim. 2.*
seuerè in perfidos & periuros Principes ani- *b 1. Ioan. 1.*
maduertat. Propterea primis illis nascentis *Hebr. 2 3, & 10.*
Ecclesiæ incunabulis Christiani veri & reli- *Apoc. 1. & 3.*
gione ac caritate feruentes, tanquam Domi-
ni sui discipuli atque imitatores, antiquissi-
mam hanc fidem habuerunt: de quibus ad
Traianum Imperatorem scribit Plinius, soli- *Epistola ad Traian.*
tos ante lucem conuenire, carmenq; Chri-
sto quasi Deo dicere, seque sacramento non
in scelus aliquod obstringere, sed ne furta,
ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne
fidem fallerent. Quo loco ethnicus scriptor
recen-

recenset fidem tanquam rem maximi momenti inter eas virtutes, quæ in priscis illis Christi sectatoribus efflorescebant.

CAPVT XVIII.

De clementia qua instructus esse debet Christianus Princeps.

ET hæc quidem pertinent ad iustitiam, cui comes adiungenda est misericordia: nam inter alias Principis virtutes multum potest & maximè grata est clementia & animi lenitas quædam, qua (sicut affirmat Seneca) nihil est regenti magis decorum. Hæc delictorum veniã sontibus dat, & animaduersionem suppliciumque vel omnino vel aliqua ex parte remittit. Nam vt misericordia sine iustitia contractior est, ac vituperatione digna: sic iustitia absque misericordia non est iustitia, sed crudelitas. Itaque necesse est (quemadmodum ait regius Propheta) misericordia & veritas occurrant sibi, & se complectantur, iustitia & pax osculentur, & fœdere atque amicitia inter se copulentur. *Homines* (inquit Cicero) *ad Deos nulla re propius accedunt, quã salutẽ hominibus dando.* Nihil enim est, quod homines quibusdam quasi vinculis amoris, reuerentiæ, ac pudoris magis deuinctos constructosque teneat, quàm dum Princeps illis dat impunitatem, cùm iure in eos possit animaduertere: nam non

Sen lib 1. de clem. c. 19.

Psalm. 18.

Orat. pro Ligar.

solùm

ſolùm ij, quibus venia & vita data eſt, Principem de ſe quàm optimè meritum amore & obſequiis proſequuntur, ſed etiam reliqui omnes mirificè diligunt, eiuſque manſuetudinem & clementiam admirantur & celebrant. Non aliter atque medicos non ægroti tantummodo caros habent, qui ab iis ſalutem acceperant, ſed etiã ſani & valentes honorant, tum propter artis peritiã, tum quòd eorũ induſtria, cùm opus fuerit, ſe aliquando vſuros ſperent. Cùm etenim regia poteſtas ingenuus ſit quidam in liberos homines dominatus, & ſubditorum obtemperatio libera ſit quædam nobiliſque ſeruitus: nobiles & generoſi animi lenitate potiùs quàm auſteritate flectuntur, & facilitas ac manſuetudo regnis ſtebilitatem adfert. quod teſtatur his verbis Spiritus ſanctus: *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.* Quare Theodoricus Italiæ Rex, dum Clodouæo ob victoriam de Germanis partam gratularetur, eum ſimul monuit vti moderatè ea vteretur, his verbis: *Illa mihi bella feliciter euenerunt, quæ moderato fine peracta ſunt.* Antiqui pingebant in ſceptro regio ciconiam, quæ pietatis ſymbolum eſt & nota; & ſub ea hippotami, animalis crudeliſſimi, effigiem: vt ſignificarent, ſupplicij ſeueritatem ita Principi temperandam, vt in ea ſemper benignitate emineret. nam (auctore Seneca) non minùs Principi turpia ſunt multa ſuppli-

Prouer. 20.

Sig. li. 16. de Occid. Imp.

Libro 1. de clem. c. 24.

supplicia, quàm medico multa funera. Verumtamen videndum est Principi diligenter quorum delictorum veniam det, & quibus hominibus, quove modo ignoscat. cùm enim venia & animaduersio ad Reip. bonum, vt scopum, referantur; ad hunc finem, vt ad regulam, earum modus sic exigendus est, vt castigentur sontes, vel iis tribuatur impunitas, cùm è publica re fuerit. Qua de re disserens Seneca, *Tam omnibus*, inquit, *ignoscere crudelitas est; quàm nulli.* Debet tamen Princeps ad mansuetudinem, quàm ad seueritatem, sponte sua esse propensior, magisque pronus ad ignoscendum criminibus quæ in personam suam, quàm quę in Deũ aut Rempublicam viderit commissa. Quoties igitur ob crimen aliquem plectet, ita plectet, vt intelligat quiuis, iustitiæ studio, non ira aut vlciscendi cupiditate incitatum, reum punire. nam ira præceps animique acerbitas in Principe turpis est, & perniciosa: siquidem, vt in quadam lege Partitarum scriptum est, *Ira ita hominis mentem perturbat, vt ei quod verissimum sit deligendi locum non præstet. Præterea corpus tremefacit, gignit insaniam, colorem ac decorem oris inuertit, corporis aptum gestum & decentiam immutat, senectutem & mortem immaturam adfert.* In ea verò quæ proximè sequitur, hæc scribuntur: *Quoniam Regis ira eò perniciosior est, quò se faciliùs vlcisci poßit; idcirco Regem oportet animo parato semper esse, vt eā ratione com-*

Libro 1. *de clem. c.* 2.

Part. 8. *tit.* 5. *lib.* 21.

Part. 2. *tit.* 5. *l.* 12.

ne comprimat, tolerantiaq; concoquat. Clementia, qua Cyrus in Crœsum Regem Lydorum vsus est, non minùs victori (vt ait Iustinus) quàm victo vtilis fuit: hoc enim facto Græcorum omnium, qui amicitia Crœso erant coniuncti, voluntates sibi conciliauit. Philippus Macedonum Rex, Alexandri Magni pater, cognito se à nobili quodam viro, cui nomen Nicanor, maledictis appeti; multis eum beneficiis prosecutus est: cumq; iidem, qui nobilem illum apud Regem detulerant, tanquam stupentes & admirabundi Regi dicerent, Nicanorem apud omnes laudes ipsius prædicare; respondit: *Videtis igitur in nobis esse situm, vt bene aut malè audiamus.* Cùm ad Augustum Imperatorem delatum esset, L. Cinnam, nobilem & Romanum ciuem, Cnæi Pompeij necessariũ, insidias ei struere; illum ad se accersiuit: & rem totam à se inuestigatam atque compertam cùm ostendisset, *Vitam tibi*, inquit, *Cinna, iterum do, priùs hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat: cõtendamus, vtrùm ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas.* & vt reipsa comprobaret, quòd ex animo cuperet se illi amicum, & illum sibi perpetuò deuinctum esse, anno proximo Cinnam Consulem fecit: qui se totũ in posterum Augusto mãcipauit, eiq; fidelissimus fuit, &, cùm excederet è vita, omniũ suarum fortunarum hæredem illum nuncupauit.

Iust. lib. 2.

Plutarch in Apophth.

Senec lib. 1. de clem. c 9. Dion l 55.

Atque

Atque hęc clementia tam egregia in tantam admirationem rapuit ciues Romanos, imperiumque vniuersum, vt summopere cuperent ei obsequi, qui iustam puniendi libidinem refrenare, & mortis reo vitam dare tam probè nosset. Vnde ab scriptoribus animaduersum est, ex quo Augustus Cinnę tanto mansuetudinis exemplo pepercit, neminem toto imperio exstitisse qui illi necē machinaretur; cùm antea multos, qui in eum conspirauerant, occidi iussisset, nec suppliciorum metu coniurationi aut insidiis, quibus impetebatur, viam præcludere potuisset. Eadē propè lenitate in duos patricij generis adolescentes vsus est Titus Imperator, qui imperandi cupiditate pellecti de nece illi inferenda cogitabant. Vocatis enim ad se eius rei, quam moliebantur, turpitudinem ostendit; dixitque, hac via ad imperium non iri, eo quòd imperia Deorum munere & cōcessu darentur; ac monitos rogauit; vt ab huiusmodi cogitatione desisterēt, & mores emendarent: quo facto, impunitatem eis dedit. & ne alterius mater angeretur, existimans filium ab Imperatore accersitū vt sceleris pœnas daret, misit ad eam qui significaret ne de filio solicita esset, illum ei saluum & incolumem demissurum. Sed & postridie in theatrum ludos spectandi causa profectus, eò deductos duos adolescentes in ea parte sedere iussit, qua possent ab omnibus conspi-

Sueton. in Tito, c. 9.

conſpici: hoc facto omnium animos ac beneuolentiam ſic concilians, vt amor & deliciæ humani generis meritò ſit appellatus. Adrianus Cæſar, quos priuatus inimicos habuerat, eos peculiari cura Imperator fouebat: cumque poſt iam aſſumptam purpuram vnum ex illis timidũ & formidoloſum conſpiceret, ad illum conuerſus hilari vultu dixit, *Euaſiſti*: bonoque animo eſſe iuſſit. Iulius Capitolinus ſcribit, Antoninũ cognomento Philoſophum caſtigãdis criminibus ſupplicia per leges conſtituta temperaſſe. Dion etiam auctor eſt eundem Imperatorem clementiſſimum fuiſſe; & qui contra ſe coniurauerant, in eos eximia beneficia contuliſſe, ac incredibili benignitate vſum in liberos Auidij Caſſij, qui bellum illi inferebat, & imperio ſpoliare nitebatur. Conſtantinus Imperator Princeps fuit admodum prestans, & in eo clemẽtiæ virtus inſigniter enituit. Huius ſtatuam turpiter deformatã furioſi quidam deiecerant: cumque Imperatoris familiares ac domeſtici quidam ei dicerent hanc iniuriam in ipſum factam, & eum inſtigarẽt ad exemplum ſeueritatis in illos edendum; ſubridens, manuque per vultum ducta, *Ego*, inquit, *nullum vulnus ſentio*. Imperator Theodoſius legem ſanxit, cuius hæc eſt formula; *Si quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo petulantiq; maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentia turbulentus ob-*

Sabel. Ennead. 7. l. 4.

Iul. Capit.

Dion.

C. Theod. l. 9. tit. 4 l. Si quis Imper.

obtrectator temporis fuerit; eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid neque asperum sustinere: quoniã si id ex leuitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus ad nostram sententiam referantur; vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrùm prætermitti an exquiri debeat censeamus. In qua lege non solùm Theodosij magna clementia & benignitas elucet, sed etiam prudentiæ magnitudo in eo apparet, quòd voluit, si quid eiusmodi accideret, ad se referri: vt hoc quasi freno audaciam maledicentium cohiberet, & iniecto pudore petulantes & inuerecundos comprimeret. nam (vt grauiter dixit Seneca) *Verecundiam peccantis facit ipsa clementia regentis.* Verbis autem clarissimi & clementissimi Principis facta mirificè congruebant: etsi enim naturâ ad iram erat propensior, & bile efferuesceret; facillimè tamen iracundiam remittebat, in lenitatem, quàm seueritatem propensior. propterea historici magnam illi benignitatis & clementiæ laudem tribuunt. Themistius etiam Philosophus ethnicus illum ob eandem virtutem commendat: de qua Chrysostomus mira dicit. Cùm enim populus Antiochenus missum à Theodosio Præfectũ leui de causa peremisset, & eam ob rem ex illis multi detinerentur in custodia, multi profugissent, & reliqua ciuitas periculo cõsternata in magno

Senec. lib 1. de clement. c. 22.

Chrysostom. hom. 20 ad popul. Ant.

gno esset metu. Flauianus Episcopus Antiochenus, omnium ciuium nomine legatione fungens, Imperatorem adiit, pro remissione criminis supplicaturus. Pepercit clementer Theodosius; factaque condonatione, vrsit vehementer Episcopi ad suos reditum, ne ex reditus sui tardatione tristitia prolongaretur, sed de venia certiores, ab anxietate & dolore, quo tabescebant, respirarent. qua benignitate Theodosius non tantùm Antiochenorum ciuium, sed etiam omniũ qui imperio eius parebant, animos ad sui amorem & beneuolentiam pellexit; & Principis non minùs pij & clementis, quàm fortis & magnanimi, gloriam consecutus est. Victorias multas & incruentas, quas Theodosius iunior de Persis, Saracenis, & aliis gentibus barbaris reportauit, eius clementiæ summæque Religioni historici acceptas ferunt. Inter cætera virtutum ornamenta, quibus claruit Alphonsus Neapolitanus Rex, eluxit maximè ea clemẽtia, qua vsus est in hostem suum Antonium Caldoram, filium Iacobi Caldoræ, celeberrimi quondam Ducis & Regi, prout & filius, infensissimi. Cùm ergo multi auctores & suasores essent Regi, vt bello captum tanquam hostem, hostisque filium, qui datæ fidei iura sæpenumero temerasset, capite plecti iuberet; non acquieuit, verùm vita & pristina dignitate donatũ, & magno affectum honore, in aulicorum & *Theod. lib. 5. cap. 36.*

Pand. Coa-nut. lib. 6. hiſt. Niapol. cap. 8.

intimorum ſuorum numerum retulit. Notant autem hiſtoriarum ſcriptores, hanc clementiam Alphonſo Regi, vt regno Neapolitano potiretur, multum profuiſſe: nam hac benignitate non amici tantùm in eius obſequio confirmati ſunt; ſed & hoſtes plurimi, tam ſingulari manſuetudine victi, vt leniſſimi & mitiſſimi Principis imperio colla lubenter ſubdiderunt.

CAPVT XIX.

Nimia ſeueritate nonnullos Principes imperia ſua perdidiſſe.

Hier. Surit. lib. 4. Annal. c. 23.

E Contrario videmus, Principes ſeueros & crudeles odioſos eſſe omnibus, & deteſtabiles; & dum funem nimiùm trahunt, illum rumpere, in magnum diſcrimen imperia coniicere, eaque frequenter amittere: ſicut Carolo Siciliæ Regi accidit. Is enim, poſtquam ab illo regnum defecerat, Gallis in peruulgato illo veſpere, quem Siculũ vocant, contrucidatis, Meſſanam cum exercitu venit, eamque arctè obſeſſam ſic preſſit, vt Meſſanenſes, cùm Caroli Regis viribus & copiis obſiſtere non poſſent, deſperãtes defenſionem, Legatos de impetranda venia ad eum miſerint, & honeſtis quiſdam ac leuibus cõdicionibus ſimpliciter poſtulatis deditionem obtulerint. Sed Rex illos in extremam neceſſitatem redactos videns, ſuaſque

manus

manus effugere non poſſe, preces eorum reſpuit, & iracundum ac ſtomachi plenum reſponſum dedit. Meſſanenſis ciuitas, ſtomachoſæ reſponſioni indignata, in eam deſperationem venit, ſtatuerit vt antè flammis ardere, & funditus euerti, quàm ſe tam inhumano & immani Regi ſubdere. Egreſſi igitur ciues, & ſeipſos cohortantes, cum exercitu Regis prœlium ineunt, legiones diſſipant, hoſteque fuſo & deuicto obſidionem ſoluunt. Ex quo factũ, vt vniuerſum Siciliæ regnum, in libertatem vindicatum, temeritate ſua Rex Carolus amittens, in Petri Aragoniæ Regis poteſtatem venerit, ſub qua ad hoc vſque tempus pluſquam trecentis annis permãſit. Sed Ludouici Maleani, Comitis Flandriæ, exemplum maximè eſt memorabile, & ad rem, de qua agimus, confirmandam accommodatiſſimum; de quo hæc apud hiſtoricos legimus. Cùm Gandauenſem vrbem, quæ ab eo deſciuerat, non longè ab ea caſtris poſitis Comes obſideret, in magnum populum Gandauenſem rerum neceſſariarum penuriam coniecerat. Itaque, ſpe auxilij deſtituti, miſſis oratoribus ſupplices rogarunt, vitam vt ciuibus donaret; cætera voluntati ſuæ reſeruaret. Ludouicus ad hæc ſuperbè reſpondit, nullam ſe conditionem aliam admittere, quàm vt in omnibus Principis ſui poteſtati ſe ſubmitterent, & miſtæ viris mulieres pedibus

Fulgoſ. lib. 5. Meier. lib. 15. Annal.

nudis abiectis exterioribus veſtimētis, fune collo inſerto, extra vrbem ad eius pedes veniam poſtulaturi ſe abiicerent: id cùm egiſſent, deliberaturum ſe quid facto opus eſſet. Quo reſponſo tam acerbo cōmota ciuitas, decreuit in acie potiùs fortiter mori, quàm per ſummam contumeliam tam ſuperbo & crudeli Principi ſe dedere. Eruptione igitur facta, cùm quinque millium hominum numerum non excederent, magnamq́ue tormentorum vim in curribus, & ſimul paucorum dierum cibaria ſecum deferrent; Chriſtiana priùs confeſſione luſtrati, Deo eiusq́; iuſtitiæ ac orationibus & lacrymis afflictiſſimæ ciuitatis confiſi, aduerſus Comitem & Dominum ſuum agmen direxerunt: qui, munitis iam caſtris, cum circiter triginta hominum millibus in eos impetum fecit: ipſi verò, omnibus tormentis vno tempore in Comitis exercitum exploſis, caſtris ſimul egreſſi, ſublato ingenti clamore, tanto animorum ardore in eum irruerunt, vt temporis momento non abſque ſanguine omnes eius copias fuderint ac profligauerint: fugientes autem inſecuti, ſuperueniente nocte cum eis Brugenſem vrbē ingreſſi ſunt. Nec abfuit multum, quin ipſe Comes caperetur: ſed nocte & vili pauperculæ mulieris caſa tectus, miraculo velut quodam elapſus eſt. Amiſit in ea clade, præter Brugenſem vrbem, alias plures ſui principatus ciuitates.

Nam

Nam qui cupit omnia, amittit omnia: vultque Deus eiusmodi successibus instructos Principes, quid sibi faciendum sit; & quanto plus firmitatis habeat amor quàm timor, lenitas quàm austeritas, clementia quàm seueritas; & denique quantum cum veritate congruat illa Sancti Spiritus sentẽtia, quam suprà citauimus, Regis thronum clementia ac misericordia roborari. *Errat enim*, inquit Seneca, *si quis existimat tutum ibi esse Regem, vbi nihil à Rege tutum est. securitas securitate mutua paciscenda est.* & subdit: *Non opus est construere in altum editas arces, nec in adscensum arduos colles emunire, nec latera montium abscindere, multiplicibus se muris turribusq; sepire: saluum Regem in aperto clementia præstabit. Vnum est inexpugnabile munimentum, amor ciuium. Quid pulchrius, quam viuere optantibus cunctis, & vota nõ sub custode nuncupantibus? si paulum valetudo titubauit, non spem hominum excitari, sed motum? nihil esse cuique tam pretiosum, quod non pro salute Præsidis sui commutatum velit?* Huic affine est, quod Agisicles, Lacedæmoniorum Rex, cuidam quærenti quemadmodum quis sine satellitibus imperare tutò queat, respondit: *Si ita popularibus imperet, vt liberis genitores.*

Prouer. 20.

Lib. 1. de clem. c. 19.

Plutarch. in Apophtheg. Lacon.

CAPVT XX.

De Principis liberalitate & munificentia.

AMABILEM etiam Principem reddit liberalitas, quę largè & munificè temporarias & caducas facultates distribuere docet, conuenienter tamen rationi & legibus, perpensis etiam iis omnibus, quæ, vt aliqua actio honesta & ab virtute profecta dicatur, circumstare debent. Dubium non est, quin iuxta Christi Seruatoris nostri dictum,
Act. 20. quod S. Paulus retulit, dare sit res nobilior, præstantior, iucundior etiam atque suauior, quàm accipere. Certum & illud, homines liberales vniuerso populo gratissimos esse, vel ob beneficium acceptum, vel ob spem ali-
Agapit. ad Iustin. quando accipiendi: nam (vt dicit Agapitus) *Solius beneficentiæ thesaurus stabilis est possidentibus eum: nam dando accipimus, & spargendo colligimus, & bonarum actionum meritum ad auctores retorquetur.* Principes etiam magis beneficos & liberales esse conuenit ob imperium quod obtinent: tum quòd bona, quæ possident, Reipub. sint; (vti diximus) tum quòd illos, dum munifici sunt, populos caros & acceptos habet, illisque libenter obsequitur; in quo firmissimum ad rectam administrationem & dominatus incolumitatẽ præsidium cõstitutum est, vt Alexandro Magno
Part. 2. tit. 5. l. 18. dixit Aristoteles, quem citat lex quædã Partitarum, docens quibus circumstantibus liberalis Principis donatio debeat fieri. In dando enim animaduertere debent, cui, quid, & quomodo largiantur. Cui donent,

vt,

vt merenti dent, & quantum Principem pro suo statu dare conuenit. Quid donent, ne maior sit benignitas quàm facultas. Quomodo donent, ne ab vno extorqueãt, quod in alium conferant; ne ereptione violenta sint graues, vt inaniter profundant, exsiccantes liberalitatis fontem, & radicem, qua stat munificentia, exscindentes. Sed hæc Principis liberalitas & iuuãdi suos cura circa inopes maximè cerni debet, vt eorum paupertatem leuet, & communes miserias ac reipub. calamitates adiuuet. Hoc enim proprium Christiani Principis munus est, & quædam diuinæ misericordiæ & benignitatis imitatio. Deus namque passim in sacris scriptis vocat se pauperum tutorem ac defensorem, qui rebus illorum consulit, & incommodis medetur: quam etiam curam grauissimè Principibus mandat. Adde quòd hac ratione sceptrum suum & coronam stabiliunt, popularium animos sibi conciliant, & perpetuis quibusdam vinculis amoris ac beneuolentiæ deuinciunt. Itaque videmus magnos ac pios omnes Principes & Imperatores, vt Constantinum, Theodosium, Carolum Magnum, & alios (quos, ne longior sim, prætereo) in pauperes liberalissimos fuisse. Illud non prætermittam. Robertum Galliæ Regem, Hugonis Capeti filium, eleemosynis coronam Galliæ in sua familia stabiliuisse: nam mille *Bod. lib. 6. de Rep. c. 2.*

egenis victum quotidianum præbebat; & cùm aliò curiam transferret, illis iumenta, plaustra, ac rhedas dari iubebat, vt comites essent, & pro ipso Rege cõtinuas preces Deo funderent. Sanctus etiam Ludouicus, Galliæ Rex, centum & viginti pauperibus, per dies verò Ieiunij quadragenarij centum ac quadraginta, res ad victum & vestitum necessarias suppeditabat, eisq; frequenter ipse ministrabat, & magno cum pietatis & caritatis affectu cibo, qui superfuerat, vescebatur. Quin & olim Gallicanis sanctionibus primum caput expensarũ ad pauperes subleuandos, alterum ad alendã regiã domum, tertiũ ad palatia & arces reficiendas spectabat. Hebræi pro certo & explorato habent, bonorũ cõseruationem in eo positam, quòd ex eis aliquid in egenos erogetur: itaq; affirmant, partem vt minimum decimã eorum, quę possidentur, in Deum pauperesq; distribuendam. Etsi verò hæc omni tempore curãda sint Principi, tum tamen maximè, cùm graui aliqua clade Respublica vexatur, vt cùm fame, peste, incendio, eluuione, bello, vel eiusdem generis incommodis, quæ Deus castigandis peccatis nostris immittit, exercetur. Cùm enim hæc accidunt, debet Christianus & pius Princeps se Reip. patrem ostendere, & hãc occasionem quasi quandam pietatis suæ ac liberalitatis materiam ac segetem sumere, Titi Imperatoris exemplum

Suet. in Tit. cap. 8.

secu-

ſecutus: is enim, cùm acerbiſſimæ calamitates Rempubl. vexarent, tanta cura & ſolicitudine perfugium ac ſolatium afflictis hominibus præbuit, egenorum neceſſitatibus remedium adhibuit, tam pro parentis affectu aliorum ærumnis opem tulit, vt nó immeritò (ſicuti ſuprà dixi) humani generis deliciæ ſit appellatus. Quòd ſi tantæ ſint calamitates, vt illis in integrum adferre remedium Princeps non poſſit; ſaltem verbis, litteris, & aliis quibus poterit ſignis declaret, quàm doleat Reip. vicem, & quantopere cupiat ſubditis ſuis laborantibus ſubſidio eſſe.

CAPVT XXI

De temperantia virtute Principi neceſſaria.

TEMPERANTIA docet vt maximè effrenatis voluptatibus, quæ guſtatu tactuque percipiuntur, modum adhibere, & immoderatas cibi potionisque delicias ad mediocritatem reducere, atque luxuriem, libidines, obſcenasq; cupiditates coërcere. Ad eandem, aliasq; virtutes quæ ex illa tanquam ex fonte oriuntur, pertinet, vt, quod in omni re nimium eſt, reſtringat ac moderetur. Hæc virtus Principi ſummè neceſſaria eſt, & permagni ponderis ad tuendam & conſeruandam dominationem. Et ſanè ſi quis attentiùs hiſtorias annaleſque euoluerit, & rerumpublic. caſus imperiorumque

euer-

euersiones considerauerit, planè intelliget, voluptates immodicas & intemperantiam hisce cladibus ferè semper initium attulisse. Dubium enim non est, temperãtia absente, prudentiã cæcari, robur frangi, iustitiã corrumpi, cæterasque animi & corporis dotes splendorem suum ac viriditatem amittere, atque animum effeminatum, victumq; voluptatum illecebris, nec seipsum aliósve regere posse, nec insolentibus appetitionibus, vel externis hostium irruptionibus obsistere; deinde multa aliis incommoda violenter inferre, si facultatem & occasionem nanciscatur, & exempli sui contagione bonos mores corrumpere, Rempub. inficere, & armis omniq; præsidio denudare. In re tam perspicua longiùs non excurram, eò cõtentus, si dicã, inuictas Hannibalis copias, quæ tribus cruentis prœliis pæne extremam vastitatem imperio Romano intulerant, Capuanis illecebris & lenociniis captas pristinum robur amisisse; quòd Titus Liuius his verbis testatur: *Iam tunc minimè salubris militari disciplinæ Capua, instrumentum omnium voluptatum, delinitos militum animos auertit à memoria patriæ.* Valerius quoque Maximus ait, luxuriam inuictum armis Hannibalem illecebris suis complexam vincendum Romano militi tradidisse: illã vigilantissimum Ducem, illam exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragran-

Libro 23.

Lib 9.c.1.

fragrantia, Veneris vſu laſciuiore, ad ſomnũ & delicias euocaſſe, atque Punicam ferocitatem ſic fractam ac contuſam fuiſſe; additque: *Quid his ergo vitijs fœdius? quid etiam damnoſius? quibus virtus atteritur, victoria langueſcunt, quæſita gloria in infamiam conuertitur, animiq; pariter & corporis vires expugnantur, adeò vt neſcias ab hoſtibus, an ab illis, capi pernicioſius ſit*. Quin etiam imperium Romanum, quod orbi vniuerſo terrorem iniecit, tot prouincias armis deuictas ſubiugauit, de tot ac tam potentibus regnis triumphum egit, poſtquam ex Aſia à Paulo Æmilio victa luxus Romam accerſitus eſt, ita mutatum eſt, vt cæteræ nationes in ſpem venerint, ſe poſſe omnium victricem vrbem vincere; & armis in ſeruitutis iugum eos ducere, quos iam voluptas fregerat & ſubiugârat. quod innuere voluit Iuuenalis, dum ita cecinit: *Gula & Luxuria incubuit, victumq; vleiſcitur orbem.* Itaque nationes omnes à Romanis priùs ſuperatæ euerſæque, poſtea de Roma victa & euerſa triumphârunt, vt ex hiſtoriis liquet. Tam grande tamque commune ac pernicioſum eſt hoc malum, vt, niſi Chriſtianus Princeps aduigilet, & prouideat diligenter, ne qua eiuſmodi labes popularium ſuorum mores peruadat, non poſſit, cùm velit maximè, medicinam adferre. Etenim tanta eſt tamque inſita nobis ad lenocinia voluptatum propenſio, quam carnis noſtræ corru-

ptio parturit, tot illecebræ ac incitamenta vitiorum, tot mala exempla, & exemplis lōgè deteriora consilia, (etiam eorum qui nobis remedio esse deberent) quæ nos pertrahunt, & quasi oleo iniecto cupiditatum flāmas alūt, vt, nisi magna vi & summo conatu obnitatur, indies serpant magis, & latiùs lōgiusque sese diffundant, in iis maximè ciuitatibus & regionibus, in quibus ob commercia & rerum venalium copiam plures sunt hostes qui oppugnent, & plus escæ qua capiamur. Quin & in magnorum Principū aulis & palatiis, ad quæ variarum nationum fit concursus, in periculo versatur ea moderatio, quam temperantiæ virtus nos docet. Cùm enim nationibus suæ cuique virtutes & vitia insint; & quæ recta sunt, difficulter discantur; quæ praua, facilè adhærescant, & ad sensus affluant ac illabantur: vsu venit, vt, vbi multarum nationum frequentia est, ibi assidua communicatione earū vitia impressa & insculpta relinquantur. Quamobrem refert vt maximè, Principem imperij conseruandi & regendi cupidum attentè & vigilanter in id incumbere, vt omnem in vestium cultu & lautitia luxum amputet, conuiuiis & epulis modū statuat, in ludis & iucunditatibus intemperantiā resecet, mulierum leuitatem & licentiam circumcidat, sublatis immodicis sumptibus & impendiis, quæ in earum dotes, monilia, & ornatum
fieri

fieri solent; denique tollat quidquid animos delinit, bona fortunasque consumit, bonos mores corrumpit, Remp. deprauat & inficit: & in hanc rem multum operæ & studij in vniuerso regno suo cōferat, sed maiorem curam in sua curia adhibeat; tum quia Regis curia instar speculi est, in quo se intuentur omnes; tum quoniam inde in cæteras regni prouincias bonum malumque facillimè diffunditur; tum denique quod nobiles viri ac Magnates cōsueuerint filios in regiam mittere, vt à Rege cognoscantur, & vrbanitatis, modestiæ, & temperantiæ leges discāt. Proinde conuenit vt aula regia schola sit, in qua hæc doceantur; & non pernicies ac corruptela morum & integritatis, quæ ex parentum ædibus in aulam detulerunt. Propterea Isocrates his verbis Nicoclem affatur: *Cura patrimonia priuatorum, & cogita prodigos de tuis sumptus facere, & rei amplificandæ intentos tuas opes augere. Bona enim in vrbe habitantium omnia ad familiam pertinent Regum qui bene imperant.* Christianus ergo Princeps, tanquā Reip. caput ac supremus dominus, præ cæteris operam det, vt subditos ad omnem temperantiā ac moderationē exemplo suo concitet. Plus namq; in bono Principis exemplo ad virtutem aliis probandam ac persuadendam virium inest, quàm in quacunq; legū sanctione, & alia quauis industria. Nobiles enim & Magnates regni in Principe,

Orat. 1. ad Nicoc.

vt in

vt in ſpeculo, ſe intuentur, & eius effigiem quandam moribus exprimere conantur; à quibus in cæteros omnes bonum malumque dimanat. Quare Nicoclem Iſocrates his verbis admonet: *Non poſtules vt alij modeſtè viuant; Regibus petulanter viuere liceat; ſed tuam temperantiam alijs exempli vice proponito: nec enim ignoras totius ciuitatis mores ad exemplum Magiſtratuum conformari.* & paucis interiectis, *Impera*, inquit, *tibi ipſi non minùs quàm cæteris: idq; maximè regium putato, ſi nulli voluptati ſeruias; ſi cupiditates magis in poteſtate habeas, quàm ciues tui.* Sicut enim magis in facie quàm in alio quouis corporis membro næuus aliquis ac deformitas notari ſolet: ſic peccatum & offenſio Principis (qui tanquam facies quædam Reipub. eſt) plus turpitudinis, quàm priuati cuiuſque, habet; & in illo, vt in panno optimo, macula fœdior eſt, magiſque conſpicitur.

Oratio 1. ad Nicoc.

CAPVT XXII.

Quàm præſtans ſit in Principe virtus temperantiæ.

ETSI temperantia tanquam in ſubiecta materia in moderandis cupiditatibus, regendiſque animi motibus, eo, quo ſuprà diximus, modo verſatur, eaque de cauſa minùs quàm iuſtitia & fortitudo, quæ commune bonum reſpiciunt, exiſtimatur excellere; hæc

hæc tamen in Principe, ob multas delicias & caussas intemperantiæ quas habet, tam difficilis est, tantamque adfert vtilitatem ad coërcendos hominum impetus, quos præcipites agit immoderatus appetitus: & hisce temporibus tanta remp. peruasit morum corruptio ac deprauatio, vt nobilissima & præstantissima ac planè diuina virtus iure in Principe censeri debeat temporãtia; ac speciatim ea pars, quæ ad castimoniam pertinet, in qua præter ceteros excellere debet Princeps, vt tamquam miraculũ quoddã habeatur in terris, & à subditis diligatur & obseruetur, illosq; exemplo suo corrigat & emendet, atq; etiam vt ab iis se periculis eximat, in quæ dissoluti & effrenati Principes incurrunt, vitam pariter & imperium amittentes. Turpis enim & inhonestus amor, rationis quædam est obliuio, stultitiæ frater, hostis animæ, consiliorũ perturbator, generosæ mentis infractio, qui sublimes & altas cogitationes deprimit, & ad opera sordida & vilissima abiicit. Et quis, precor, enumeret damna, quibus hæc luxuriæ pestis remp. afficit? nam bona fortunasq; dilapidat, famã & existimationem perdit, valetudinẽ lædit, vitam minuit, maturat senectutem, memoriam obtundit, ingenij aciem perstringit, rationem turbat, voluntatem corrumpit, ex animo tranquillitatem & pacem exterminat, inimicitiarum, cædium, & motuum

ſeminarium, remp. inficit, hoſtibuſque prodit; quos poſſidet, (etiamſi Reges ſint potẽtiſſimi) libertate priuat, eoſque vilis mulierculę aut abiectiſſimi ſcorti ſeruos facit, priùs libidini, delirationi, ac inſaniæ ſubiectos. At verò nihil eſt quod in amorem ſui magis rapiat, quàm virtus: & inter virtutes maiorem admirationem concitat ea quæ plus laboris & difficultatis habet, cuius generis eſt caſtitas; quia cũ carne pugnat, quæ hoſtis eſt perpetuus, domeſticus, præfractus, & contumax, potiſſimùm in Principe deliciis innutrito, quem colũt omnes, cui tantis cum lenociniis famulantur, cuiuſque voluntati, obſiſtente nèmine, par eſt facultas. Qua de cauſſa cùm è Principibus quempiam videmus caſtum ac pudicũ, qui honeſtiſſimarũ mulierum pudorem ac pudicitiam defendit, diſſolutarum libertatem caſtigat, intemperantiam & turpitudines in repub. amiſſas vlciſcitur; non poſſumus nõ admirari, & peculiari ac tenero quodam affectu illum diligere atque laudare. Quantam laudem conſecutus eſt Alexander Magnus, cùm, Dario Rege victo, longè nobiliorẽ & illuſtriorem victoriam de ſeipſo reportauit, Darij vxore (egregia pulchritudine femina) quaſi ſorore, filiabus verò tamquam propriis reuerenter admodum ac honeſtè habitis! Quantam Scipio Africanus, capta Carthagine, in Hiſpanorũ animis admirationẽ excitauit, pe-

Plutarch. in Alex.
Q. Curt.

Plutarch. in Scip.
L. Flor. lib. 2. cap. 6.

perit beneuolentiam! agens enim annum quartum & vicesimũ, repertam in ea ciuitate admirandæ formæ virginem, nobili cuidam ac primario viro nomine Indibili desponsatam, cùm illi tamquam victor illudere potuisset, noluit attingere, sed accersitis eius parentibus tradi iussit, & magnam auri argentiq; copiam, quam virginis parẽtes in animi grati signũ offerebant, repudiauit, & vna cum puella nomine dotis, eius sponso dari præcepit. Quo facto sic voluntates Hispanorum sibi adiunxit, vt magis illũ diligere & obseruare cœperint, quàm armis coacti vel metuissent, vel eidem obsecuti deseruissent. Rupto itaq; cũ Pœnis fœdere, in Romanorum partes sponte concessêre: quoniam, vt ait Eutropius, *machinis opidorum muros euertebat, corporis castitate ciuiũ animos subiugabat*. Non absimilis fuit Pompeij Magni bello Mithridatico continentia, dũ multas feminas eximia specie præstãtes, quas apud se captiuas habebat, ad earũ parẽtes integras ac intactas donisq; onustas remisit. Totilas etiã Gothorũ Rex licet barbarus, captis Cumis, eodẽ modo in plerasque ex Romanis matronis se gessit, gratis illas restituens ipsarum parentibus & maritis. Selymus quoque immanis & ferus Turcarum tyrannus, qui dominãdi cupiditate patrem fratresq; interemerat, mulierum pudori tãti cum modestia consuluit, vt cùm Ismaëlem Sophi, Per-

Lib.3.c 5.

Carol. Sig. de Occid. Imper. l.19.

Illescas in Vita Leonis decimi.

ſarum Regem, cruento prœlio fregiſſet, & in illius caſtris multas & peruenuſtas feminas reperiſſet, ab illis abſtinuerit, eaſque ad ſuos maritos redire iuſſerit: quę continentia ad curſum victoriæ perutilis fuit. Quid de magno Duce Gundiſaluo Ferdinando dicã? cui cùm impurus pater, nobilis tamen, raræ formę filias duas obtuliſſet, rat⁹ hac via paupertati occurrere ſe poſſe, abuti occaſione noluit, ſed duobus nobilibus viris in vxores datis, & hominis egeſtati opem tulit, & earum honori meliùs quàm pater conſuluit, relicto non minùs ſummæ continentiæ quàm fortitudinis ſuæ ac magnanimitatis exemplo: qui etiam in omnibus bellis, quæ geſſit, mulierum honeſtatem ac pudorem, parentis inſtar, tutatus eſt. At è contrario videmus frequenter contingere, vt vitæ imperiíque iacturam faciant Principes, dum effrenatè deliciis ſe tradunt, & voluptariæ ſenſuum appetitioni more belluarũ obſequuntur. Cùm enim iniuria quæ honeſtis feminis infertur à Principe, dum per vim illarum caſtitatem expugnat, ad earum maritos, patres, fratres, & conſanguineos ſpectet, & communis omnium cenſeatur; omnes communiter illũ exſecrantur, & odio accenſi de illo ſe vindicare conantur: quod vt aſſequi poſſint, ſe quibuſuis vitæ infamięq; periculis obiiciũt. Idcirco Dionyſius, licet ſæuus ac immanis tyrannus, cùm ac-

In eius Vita, cap. 72.

Plutarch in Apophtheg.

cepiſ-

cepisset filium suum per vim constuprasse mulierem Syracusis, rogauit eum, ecquid tale vmquam in se comperisset. Respondēte adolescente, *Nempe tu patrem non habuisti Regem*; *Nec tu*, inquit, *nisi factis istis temperes, filiū habebis Regem*. Quid Reges Roma, expulit? nōne Tarquinij turpitudo? Quid ex eadem vrbe Decēvirum magistratū sustulit? an non violentia qua in Virginiam vsus est Appius Claudius? Quid Imperatorem Caligulam interfecit? Quid Theodisclum Gothorum Regem? quem ob intemperantiam Hispali peremere. Quid aliud Valentinianum III. Imperatorem vita spoliauit, quàm stuprum quod Maximi coniugi per vim intulit? Quid Hispaniam euertit, & infidelibus ac barbaris prodidit? an non iniuria qua Rodericus Rex Cauam affecit, & quam Cauæ pater Iulianus Comes vindicauit? Quid Bolessaū II. Poloniæ Regem in amentiā redegit, & in belluam sic transmutauit, vt sanctissimum Stanislaum Antistitem, à quo ob fœdas suas libidines reprehendebatur, occiderit, & tandem huiusce sceleris pœnas luens mortem sibiipsi consciuerit, aut (vt alij scribunt) à canibus discerptus & dilaniatus obierit? Quid aliud Ducem Aurelianēsem vita priuauit, quàm quòd Ioannis Burgundiæ Ducis vxorem in adulterij turpitudinem solicitauit audaciùs? Quid memorandum ac miserandum illum vesperēSicu-

Niceph. lib. 15. cap. 11. Zon. tom. 3.

Sig. lib. 13. de Occident. imper. Mart. Cromer. lib. 4. hist. Polon.

Iac. Meyer. lib. 15. Annal.

lum celebrauit, & tantum Gallici ſanguinis fudit;ipſoſq; tandem regno exuit? nõne eorum, qui neci traditi ſunt, effrenata libido? Quid tandem aliud in Æde S. Stephani, & eodem ipſo die qui eidem martyri eſt ſacer, Galeacium Mariam, Ducem Mediolanenſem, mactauit, quàm quod ignominia & dedecore nonnullas nobiles feminas matrimonio iunctas affeciſſet, & id iactabundus prædicaret? Horum & ſimilium exemplorum plenæ ſunt hiſtoriæ: quibus proinde in medium adducendis ſuperſedeo, ne lectori tædium pariat inutilis rerum apud omnes ita peruulgatarũ repetitio, præſertim cùm minimè neceſſaria ſit ad id quod his in libris propoſitũ mihi eſt, nimirum vt virtutes eas declarem, quarum præſidio imperiorum ſuorum cõſeruationem Reges & Principes procurare debent; inter quas tẽperantia magnam & admirabilem vim habet ad amorem Principi conciliandum, (vt ſuprà diximus) multumque valet vt exemplo ſuo Principes iis vulneribus medeantur, quæ rebuſpublicis infligit voluptatum turpitudo;& vitioſorum ac deliciis deditorum hominum proiectos ad libidinem effrenatoſque impetus retardent.

Mõbr. Ruſc. in hiſt. Neapol. in addit. ad Collen. lib. 7. c. 1.

Cap. XXIII.

De Principis prudentia.

MORALIVM omnium virtutũ Christiani Principis ducem & magiſtram oportet eſſe prudentiam, quæ eas dirigat, modumq; & menſuram præſcribat. Hęc (teſte Cicerone) viuẽdi eſt ars, vt ſalutis medicina. Res etiam omnes ſeruire prudentiæ; *Libro 5. de fin.* auctor eſt Menander: additque Sophocles, *Apud Stobæum.* reginam ac dominam omnium eſſe, quoniam (vt ille dicit) nec fallere vult, nec falli poteſt. adeò vitæ humanæ neceſſaria, vt non defuerit ex Philoſophis quidam, qui omnes morum virtutes ad prudentiam reuocauerit, nec aliam virtutem eſſe aſſeuerauerit. ſed in hoc falſus eſt. Verè tamen illud dicitur, prudentiam omnium virtutum ducem & magiſtrã eſſe, (vt antè diximus) quæ doceat, in qua conſiſtant, mediocritatem; quæq; ſit peculiaris quædam & à ceteris diſtincta virtus, & tamquam oculus eorum qui alios regunt: nam ceteræ virtutes (vt A- *Lib. 1. Polit. cap. 3.* riſtoteles ait) ſuperiorum inferiorumque ſunt communes. Plato quoque affirmat, ne- *Plato in Menone.* minem, niſi prudentem, alios bene regere poſſe. Vt enim ſcribit Aurelius Victor in *Aur. Vict. in Traiano.* Traiani vita, duo ſunt quæ ab egregiis Principibus exſpectantur, ſanctitas domi, foris fortitudo, vtrobiq; prudẽtia. Hãc ob rẽ Deo tantopere placuit Salomon, quoniam non *3. Reg. 3.* honores, non diuitias, non ſalutem, non de inimicis vindictam, ſed, vt regnũ ſibi ab eo creditum rectè adminiſtraret, ſapientiam

& prudentiam, tanquam rem ad regium munus præclarè obeundam vtilissimam, ab eo postulauit. Hæc autem prudētia vera esse debet, non simulata; Christiana, non Politica; solida virtus, non fallax astutia; vt à nobis initio huius secundi libri dictum est: cuiusmodi etiam oportet esse omnes Christiani Principis virtutes. Prudentiæ consequendæ maximū adiumentū ac subsidium in eo positum est, vt exemplo Dauidis, Salomonis, Iosaphati, & aliorum Regum quibus inerat Numinis metus, hæc à virtutum omnium ac bonorum fonte auctoreque Deo petatur, & animus virtutibus excolatur, Vt enim gustatus corruptus de saporibus malè iudicat; sic animus aliqua perturbatione deprauatus excæcatur, & de rebus rectè iudicare nō potest. Quæ caussa impulit Aristotelem vt diceret, prudentem illum esse nō posse, qui non sit virtutis cultor. Et licet ad hoc probandum nulla alia suppeterent exempla, (quibus certè abundamus) Salomonis tamen satis superque est: quandoquidem vt sanctum Dei timorem abiecit, statim in magnam delirationem amentiamque prolapsus est, ex omnium mortalium sapientissimo insanissimus factus. Certumque illud, qui non est in seipso regendo prudens, eum in familia gubernanda, ciuitatibus, prouinciis regnisque administrandis minùs gnarum prudentemque futurum. Propterea ad

hanc

hanc rem multum conferunt artes ac morum disciplinæ, quæ moderandorum affectuum animi & familiæ ac Reipubl. gubernandæ præcepta tradunt. Historiarum præterea lectio magna est prudentiæ magistra, cùm ex præteritis futura cōiiciamus. Quamobrem conandum est Principi, vt memoria teneat, quæ antecedentium Regum temporibus acciderunt, quando quibusve præsidiis & adiumentis fuerit illud sapientiùs administratum, vt eisdem vtatur. Nam eædem causæ eosdem communiter effectus producunt; quique fuerunt, erunt aliquando. Nec minùs illi cognita esse debent, quæ mali Reges adhibuerunt; vt ab iis sibi temperet; ne in eas calamitates incidat, in quas prolapsi sunt, &, dum regna vexat, amittat, sicuti aliqui perdiderunt. Quæ omnia Princeps cùm ex cōmuni aliorum regnorum ac Prouinciarum historia discet; tum maximè ex regnorum suorum monumētis: in quorum lectione versatū esse oportet Principem, qui propositum sibi scopū optat attingere. Sed secundùm Deum Principem Christianum iuuant vt maximè cōsilia hominum sapientum ac fidelissimorum, quos ardēs studium Principi suo obsequendi & boni publici cura tenet: quos lateri suo affixos semper habere debet, si officio velit rectè fungi; eosque in consultationem admittere, non quæ de rebus leuibus ac facilibus, vsuq; notissimis,

ſed quæ de grauibus, difficillimis, & obſcuris ſuſcipiatur. nam, illorum conſilio & ductu neglecto, in magnum ſeipſum regnaque ſua perdendi diſcrimen Princeps coniiciet. Sed, vt hoc argumentum expediamus, oſtendamus proximo capite quàm neceſſarium ſit Principi conſilium, acturi in aliis in ſequentibus de virtutibus & qualitatibus Conſiliariorum Principum, & iis quæ præſtare debent, vt probè officium ſuum exſequantur.

Capvt XXIV.

Quàm neceſſarium ſit Principi conſilium.

In lib de ſacri conſ. conſul p. 1. q. 1.

Gabriel Paleottus, eruditiſſimus & ampliſſimus Cardinalis, admirabiliter probat, conſilia Principibus eſſe perneceſſaria, trahiturque hæc neceſſitas in primis ex hominis miſeria & imbecillitate; quæ adminiculis & auxiliis multis indiget. Vnuſquiſque, licet priuatus ſit, in rebus quibus pondus magnum ac difficultas ineſt, conſilio eget, ſibique fidere non debet, tam ob ſui ingenij debilitatem, quàm ob vim magnã perturbatîonum quæ mentem excæcant, & voluntatem præcipitem agunt. Vera prudentia non tantùm docet vt per nos agamus quæ nobis ex officio ſunt præſtanda, ſed ab aliis etiam adiumenta & cõſilia quæramus, quod ſignum eſt animi docilis, blandi, & diſcipli-

næ amantis. Atq; hæc docilitas pars eſt pru- dentiæ, vt Ariſtoteles & D. Thomas docent. Qui verò regulam hanc non ſequitur, ſibi nimiùm placet ac præſidit, Deumque tentat, dum ab ipſo relicta ſubſidia negligit, nec viam ingreditur, quam, ne laberemur, præmuniuit. Sicut enim Deus cùm poſſit omnia per ſe facere, nec creatis ad agendum indiget: iis tamen, vt bonitatem ſuam magis oſtendat, mediis & adiutricibus ac veluti inſtrumentis quibuſdam in regendis inferioribus rebus vtitur: ſic homines tanquã miniſtros adhibet ad opem aliis ferendam, atque etiam ne quis ſic rebus omnibus inſtructus munitusque ſit, vt aliorum ſubſidia non requirat, ſed potiùs inopiam & infirmitatem ſuam cognoſcens ſubmittat ſeſe, aliorumque ſuccurrat egeſtati, & Domini benignitatem admiretur, qui mutuis adiumentis hominem erigit, iuuat, & fulcit. Propterea Spiritus ſanctus ait: *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Item: [a] *Qui autem ſapiens eſt, audit conſilia.* & alibi: *Fili, ſine conſilio nihil facias.* Ea de cauſa S. Bernardus, *Omnia*, inquit, *illi deſunt, qui nihil ſibi deeſſe putat.* & ſanctus Auguſtinus: *Homo dum ſibi ſufficere delegit, ab illo, qui verè ei ſufficit, defecit.* S. Paulus de Deo loquens; *Quis*, inquit, *conſiliarius eius fuit?* Ex quibus colligit D. Ioannes Chryſoſtomus, ſolius DEI proprium eſſe, nullius egere conſilio; omnes autem homines aliorum conſi-

Ariſtotel. 3. Eth. c. 3.
D. Thc. 2. 2. q 49. art. 3.
Prouer. 3.
a Prouer. 12.
Eccl. 32.
Libro 2. de conſid.
Lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 13.
Rom. 11.
Chryſoſt. hom. de feren. repreh.

consiliis vti debere. atque hæc est prima causa cur cōsilium ab aliis capere debeant Principes, cùm eadem, qua cæteri, imbecillitate atque ignorantia laborent. Cæterùm huius rei efficacior ratio ex eo sumitur, quòd Principes personæ sint publicæ, Reipubl. capita, supremi Domini Magistri & duces cæterorum, quorum potestati vita & mors subditorum populorum subiecta sit. Quòd enim aliquis Princeps sit, Rex magnus, orbisque Monarcha, non propterea eo ipso maiori prudentia instructus est, sed occasionē habet breui tempore vsu & experientia illam faciliùs consequendi, quàm qui eadem potestate nō pollent. Idcirco tenetur Princeps, cùm se res graues offerunt, in consilium adhibere homines scientia excultos, & præclara conscientia, quando ex illorum deliberationibus Reip. salus aut pernicies dependet. Vt enim nō potest Princeps per se ipsum expedire omnia quæ ad regnum suum pertinent, sed opera & auxilio eget Proregū, Præsidum, Legatorum, Gubernatorum, Administrorum: sic ex seipso omnia cognoscere, atque ita comprehendere nequit, vt nullo indigeat, qui consiliis eius lucem afferat, & auxilietur. Quare sunt qui Principis consilium animam, rationem, mentemque Reipub. vocēt; hinc vt intelligamus, sicuti corpus sine anima corrumpitur, & homo absq; mente & ratione mutæ animanti simillimus est,

est, ita Rempubl. sublato consilio, vita priuari atque interire. quam in sententiã à poëta Horatio dictum: *Vis consilij expers mole ruit sua.* Theopompus, Lacedæmoniorum Rex, quærenti qua ratione quis fidele & perpetuum seruaret regnum, *Si amicis*, inquit, *iustam admonendi libertatem concedat, ac subditos, quatenus efficere possit, nõ negligat lædi.* Hoc impulit Alexandrum Seuerum Imperatorem, nullam vt grauiorem constitutionem sanciret sine multis Iurisperitis, & doctissimis ac sapientissimis viris: quos cùm audisset, ita; vt res poscebat, emẽdabat ac corrigebat quod antea statuerat: cumq; mater ei diceret, debiliorem sibi & contemptibiliorem imperij potestatem fecisse; ille respondit, *Sed securiorem atque diuturniorem.* Hãc etiam ob caussam Theodosius ac Valentinianus Imperatores ad Senatum ita scripsere: *Bene cognoscimus, quod vestro consilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri imperij & ad nostram gloriam redundare.* Quin & Polycrates scribit, fieri non posse vt Princeps Rempubl. bene administret, nisi à prudentibus viris consilium petat. & Aristoteles in epistola ad Alexandrum Magnum, *Rerum humanarum*, inquit, *augustißimum est, consultatione vti: nam eius ope, quod melius ac vtilius est, inuenitur.* Plato consilium rem sacram appellat. Sed præter has rationes alia est etiam, quæ ex vsu sumitur & consuetudine nationum omnium, ac

Lib. 3 Car. ode 4.

Plutarch in Apoph. Lac.

Lamprid in Seuero.

L. human. C. de leg.

In Rhet. ad Alex. in ep. operi præfix.

Pla. in Theog. siue de sapient. in Principe.

rerum-

rerumpub. benè constitutarum, & sapientum fortissimorumq; Principum, qui probè intellexerunt, non alia via, quàm consultatione, suo muneri satisfacere, aut imperia sua conseruare posse, &, quemadmodũ lex quędam dicit, dubium nõ esse, quin res omnes, quæ consilio reguntur, prosperè cedant, firmaque sint, & stabilia; vbi verò consilia desunt, regnorum & imperiorum euersionẽm adesse, vt docet Sallustius his verbis: *Omnia regna, ciuitates, nationes vsque eò prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuêre. Vbicunque autem gratia, timor, voluptas ea corrupêre, pòst paulo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò seruitus imposita est.* Eem ob causam, cùm inaugurantur Reges, iurant seruaturos se leges, ius, & Ecclesiæ sacrosanctæ pacem, & addunt hæc concepta verba, *Sicut in consilio fidelium meorum meliùs potero inuenire.* Nec solùm hoc faciunt sæculi Principes, sed etiam Pontifex maximus, vt in suo doctissimo libro de Consultationibus sacri Consistorij auctor est Paleottus, Cardinalis illustrissimus; scribitque in libro qui inscribitur Diurnum Bibliothecæ Vaticanæ, & in Recompilatione Canonum Cardinalis Deusdedit, reperiri antiquam formam professionis fidei summorum Pontificum, in qua habentur hæc verba: *Si qua verè emerserint contra canonicam disciplinam, ego cum filiorum meorum*

Sallust. de rep. ordin.

In lib Pont. tif. Vbi ponitur iur.

rum

rum S.R.E. Cardinalium consilio, directione, & rememoratione, ministerium meum geram, & emendari curabo. Quod etiam in rebus grauioris momenti obseruat. Si ergo summus Pontifex, Dei in terra vicarius, & omnium Christianorum Principum pater & magister, promittit se Patrum purpuratorum sententiam exquisiturum; cur aliorum consilium non capient Principes, quibus nec tam firma ac secura promissio, nec fauor aut diuinum lumen? Christus enim singulariter pro Petro rogauit, eiq́; se adfuturum pollicitus est: quod aliorum Principum nulli promisit. *Luca 22.* Præterea, consultatione vti, valet ad Principis cōmendationem & bonam existimationem, & ad conciliandam auctoritatem ac pondus eius legibus, decretis, atque mandatis. Cùm enim in deliberationē vocata sunt, & ad consilium ac sententiam prudentium & reip. commodis studentium hominum, quasi ad regulam, diriguntur; tunc omnes non solùm eius voluntati su. s submittunt, sed etiam sensus ad illius iudicium & sententiam accommodant: quam credunt ideo ab errore magis alienam, quòd fuerit diligenti examine discussa, & hominum, qui iudicandi vi maximè pollent, consilio probata. Neque verò existimet Princeps ob petitū ab aliis consilium quidquā sibi de maiestate & dignitate decedere. non enim consultat, aut aliorum sensus exquirit, quasi

qui

qui debeat eorum iudicio ſtare, & quæ probant exſequi; nec eius ſumma poteſtas huic rei alligata eſt; ſed vt multorum examine rebus expenſis, quæ dubia ſunt, certiùs reſoluat. Qua in re non tam multitudo, quàm melior ac ſanior pars; ſequenda eſt. Quanquam, cùm Conſiliarij omnes in eandem ſententiam conuenerint, videndum diligenter Principi ne ab ea deflectat, & contrariæ inſiſtat viæ: non quòd in eius poteſtate non ſit ab ea reſilire, ſed vereri debeat ne minùs certa ſint & ſecura, quæ viri ſapientes (cuiuſmodi eius Conſiliarij creduntur) improbarunt. Itaque laudatur maximè vox illa Imperatoris, tanto Principe digniſſima, cùm dixit, velle ſe, licet legibus alligatus non eſſet, ex earum tamen præſcripto viuere. Fieri quidem poteſt, ſit vt interdum Princeps tam ſapiens, & longo rerum vſu exercitatus, vt in paucis admodum conſilio egeat: hoc tamen perraró accidit, nam tot, tam variæ & ancipites ac implicatæ pacis ac belli tempore res Principi offeruntur, & in vnaquaque tam multa, quæ illam circumſtant, expendenda ſunt, (quorum vnum ſi deſit, res mutetur & varietur) vix vt fieri poſſe videatur, quin aliquo indigeat, qui viam illi aperiat ad veritatẽ meliùs indagandam. Nam mens hominis anguſtis admodum finibus circumſcribitur, & plus vident oculi quàm oculus; fitque, Deo permittente, vt qui ſibi

L. digna vox C. de leg.

nimiùm

nimiùm fidit, suoque consilio nititur, cadat; stet verò qui præsidiis sibi à Deo, ne labatur, datis vtitur. Qua de causa per Salomonem Spiritus sanctus dixit: *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium; vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur.* & alio loco: *Salus autem, vbi multa sunt consilia.* Quod quidem vsque adeò verum est, vt, si scientia à consilio capiendo Principem auocauerit, expediret illum minùs scientem & iudicij debilioris esse, vt sibi diffidens bonos Consiliarios adhiberet, à quorum prudentia penderet; &, quod sibi deesse cerneret, suppleret. Quamobrem, vt ex historiis discimus, Reges nonnulli (licet imprudenti consilio) noluerunt hæredes suos litteris operam dare; ne rerum cognitione cum summa potestate coniuncta, multum sibi fidentes, aliorum asparnarentur consilium, & omnia pro suo arbitrio ac libidine administrarent. Quàm certè rationem adferebat Ludouicus XI. Galliæ Rex, cur Carolum VIII. filium litteras scire nollet; quòd ipse ductum suum secutus, in multas ærumnas incidisset. Atque hæc de necessitate consiliorum, quibus magni Principes egent: videamus nunc quales debeant esse Consiliarij; quidque illis faciendum sit, vt propositum sibi finem teneant.

Prouerb. 15.

Prouerb. 11.

Card. Paleot. de sacri cons. consul. p. 1. q. 2.

Bod. lib. 3. de Rep. c. 1.

(:)

CAPVT XXV

De partibus ac virtutibus Consiliariorum Principis.

Arist. lib. 8. Rhet. ad Theod. c. 1.

VT alteri quis fidat, eiusq; verbis fidem adhibeat, tria necessaria esse docet Aristoteles: quæ sumuntur ex eo qui dat consilium, cui datur, & rebus de quibus consilium suscipitur. Sunt autem prudentia, amicitia seu beneuolentia, & virtus. Prudentia, vt probè intelligat quæ dicit, nec fallatur: amicitia, quia facilè inducimur ad credendũ iis qui nos amant, bonumque nostrum desiderant & procurant: virtus denique ad id, quod optat, persuadendum omnium maximè vim habet. nam cùm veritatis amatorem studiosumque virtutis arbitratur, eum nullus credit mentiri, & sibi imponere velle. Itaque etsi Princeps in hominibus ad cõsilium suum deligendis spectare debet partes illas quas Aristoteles proponit, & de quibus postea acturi sumus; tamen nullius rationem maiorem habere debet, quàm virtutis: quia hæc sola per se laude & honore digna est; cæteræ, si ea desit, magni æstimandæ non sunt: certusque est Princeps, vbi vera & solida est virtus, fallendi voluntatem esse non posse. Cùm verò homines in virtute fundati Deo etiam nitantur, paucisq; contenti fallacem aulæ splendorem fugiant; enitendum est magna cura Principi, vt vndi-

que

que illos conquirat, & verborum blanditiis, promissionibus, beneficiis, & (si opus fuerit) precibus, ad suum obsequium pelliciat: neç perire, sed augeri sibi auctoritatem putet, si hominem virtute ac prudentia insignem roget vt sibi deseruiat. hac enim ratione declarat, se virtutem magni facere & honorare, nec ignorare quantum hæc vtilitatis rebus suis adferre possit: quæ tanta subinde est, vt quod opibus, militaribus copiis, & omni potentia Princeps consequi nequit, id aliquando Consiliarius prudens & virtute præditus perficiat, & ad exitus optatos perducat. Quapropter virtutem oportet esse omnis boni consilij fundamentum: nam, vt inquit S. Ambrosius, *Quis è turbida aqua potum petat? quis in cæno fontem requirat? quis vtilem alienæ causæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? quo nam modo eum potes iudicare consilio superiorem, quem vides inferiorem moribus?* Idcirco cùm in conuentu quodam Lacedæmoniorum homo quispiam, Demosthenes nomine, turpitudine vitæ infamis, probam & honestam sententiam aliquando dixisset; Præses iussit ex iis, qui aderant, viro cuidam iustitia præstanti vt idem cõsilium daret: quod vbi dedit, ab vniuersis acceptum est, eoq; facto declaratum quanti virtutem æstimarent; & eam rempub. saluam esse non posse, quæ Consiliariis turpis vitæ hominibus vteretur. Aristoteles

Lib. 2. Offic. c. 8, & 12.

Gell. lib. 18. cap. 3.

Plutarch. in Polit.

Arist. lib. 5. Pol. c. 9. Plato in Gorgia. In l. multũ. C. Si quis alter vel sibi. Nazian. in Carm.

alio in loco & Plato docent, ad absolutionem & perfectionem humanarum actionum tria esse necessaria: scire, velle, & posse; aut, vt dixit Baldus, scientiam, voluntatem, potestatem. Sed meliùs S. Gregorius Nazianzenus declarat ea, quibus ornatum esse conuenit Consiliarium, quæ tria sunt: rerum vsus, magna caritas, & in dicendo libertas. *Nam trina*, inquit, *cùm sint, vt vetus sensit cohors, pollere debet optimus monitor quibus, Rerum vsus, ingens caritas, os liberum: In me requires prorsus ex tribus nihil.* At rerum vsus & experientia necessaria admodum est ei, qui consilium est daturus. Vt enim de rebus bellicis non rectè disserit, qui bello nunquam interfuit; nec de maritimis, qui non nauigauit; nec de mercatura, qui negotiator non est; nec de agrorum cultura, qui non est colonus; nec de aliis artibus & scientiis rudis planè, & earum notitiam non assecutus: sic nemo de ignotis benè iudicat, nec bonum consilium dat iis de rebus, quarum experientiam non habet. Ob quam causam

Cicer. lib. 4. de Orat. 2. Tusc. quæst.

dixit Cicero: *Ad consilium de Republ. dandum caput est, nosse rempublicam.* Nam sicuti si quis Grammaticum se profiteatur Grammaticæ ignarus, vel medicum agat, qui operam medicinæ non dedit, ridiculus habebitur: sic cæcetur oportet, & tenebr s veriùs quàm lucem cæteris adferat Consiliarius inscius planè & imperitus earum rerum, quæ in consi-

consiliis Principum aguntur; neque longâ experientiâ vsum habens imperij tuendi administrandique. Primùm igitur quod cuiusque Principis consiliario inesse debet, est notitia & experientia rerum ad imperij ac principatus conseruationem, ad pacem & bellum, ad ærarium & fiscum regium, ad annonam, ad leges, & eius generis res alias pertinentium: tantoque magis oportet peritum & versatum in rebus esse, quanto maior est Princeps cui deseruit, & grauiores causæ quæ in consilio pertractantur. Neque enim satis est prudentē esse, & in aliqua re exercitatum, cætera vt omnia calleat; aut de rebus quæ ad pacem spectant, optimè posse iudicare, vt de bellicis etiam rectam sententiam ferat. Quare expedit Principem assumere in Consiliarios viros ita sapientes, & rerum omnium peritos, vt in quouis negotio, quod occurrerit, prudens & certum consilium dare possint. Quòd si tales habere non possit, varios sanè pro negotiorum diuersitate: ad res bellicas expediendas viros militares; Iurisperitos ad iuris quæstiones explicandas; Theologos ad ea quæ conscientiæ propria sunt, ac Religionis; ratiocinatores ad pecuniarias rationes; denique ad vniuersam Reipubl. administrationem homines prudentes, politici status scientissimos, & in gubernationis laude claros. *Vnusquisq; enim*, vt ait Spiritus sanctus, *in arte sua sapiens est.* *Eccles. 38.*

Deinde in illis eligendis videndum est, vt non hominum, sed officiorum ac munerum ratio habeatur. Consiliarij verò de iis quæ ignorant, & de nonnullis etiam quæ sciunt, secretò eos consulant, qui in materia, de qua agitur, admodum versati sunt, & exercitati. Nullus enim sic sapiens est, qui alio audito sapientior fieri non possit; siquidem dicit Spiritus sanctus, *Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia*. & alibi: *Audiens sapiens sapientior erit*. Ex tribus quæ Gregorius Nazianzenus in Consiliariis requirit, secunda est amicitia, seu beneuolentia, aut caritas: quæ aliud non est, quàm voluntas ac desiderium iuuandi & beneficio afficiendi eum, cui consilium datur, nulla habita proprij commodi ratione. Propterea S. Gregorius Pontifex, *Nullus tibi*, inquit, *fidelior esse ad consilium potest, quàm qui non sua, sed te diligit*. Cùm verò præcipuus finis, ad quem referenda sunt Principum consilia, sit salus imperij, statusq; conseruatio; hæc Consiliarij caritas aut beneuolentia comprehendit puram intentionem, magnum affectum, & constantem voluntatem, ea omnia, quæ esse perspexerit è re publica, consulendi ac suadendi; & quæ damnum inferre possint, dissuadendi ac remouẽdi; idq; tanta animi firmitate, vt Christianus & prudens Consiliarius nec gratiâ Principis, nec proprij vel quæstus spe, vel damni metu, mentem suam flecti ac mutari

Prouer. 9.
Prouer. 1.
Greg. lib. 1. epist. 33.

tari verba patiatur, sed ad diuinæ Legis regulam sua omnia consilia dirigat, eaque ad Deum referat; & syncero ac fideli amore Principem suum & Rempub. complexus, in rationibus aperiendis Christiani, prudentis, & pietatis studio flagrantis hominis, & Dei ministri personam sustineat atque exhibeat. De hisce duabus rebus, de quibus locuti sumus, fit mentio in quadam Partitarum lege, in qua dicitur, Principis Consiliarios esse debere *amicos*, *eruditos*, *& cordatos*: quæ etiam colliguntur ex verbis Christi dicentis, patremfamilias super omnia bona constituere eum, qui fidelis ac prudens seruus sit. Quanquam (teste D. Bernardo) pauci sint huiusmodi; vixque vnum reperias, in quo, si prudens est, non desideretur beneuolentia; & qui, si fidelis est, & ex animo amicus, simul sit prudens.

Part. 2. tit. 9. l. 5.

Matth. 24.

Epist. 42.

CAPVT XXVI.

De tertio quod in Principum Consiliarijs inesse debet.

TERTIVM quod ex D. Gregorij Nazianzeni sententia in Consiliario requiritur, nec minùs, quàm cætera, momentum habet, est in dicenda sententia libertas. Hanc autem dico esse magni momenti & ponderis: quoniam vt nihil prodest mulierem concepisse, & in vtero fœtum llæsum conseruasse,

seruasse, si, cùm pariendi tempus instat, prolem in lucem effundendi vim non habeat; sic exiguæ est vtilitatis, bonum Cõsiliarium prudentem esse, virtute flagrantem, & studiosè præmeditatum quid ea in re, de qua deliberatur, faciendum sit, si, quo tempore consultandum est, & quod mente concepit, ac cogitatione complexus est, tanquam partus quidam foras fundendum est, libertate viq́ue dicendi careat. estq́ue similis militi ab armis instructissimo, qui, dum pugnandum est, ex vagina gladium educere hostemq́ue ferire nequit. Et vt Aristotele auctore aliud est, esse virum bonum; aliud, bonum ciuem: ita aliud est, esse hominem prudentem, & virtutibus excultum; aliud, esse bonum consiliarium: cuiusmodi non erit, etiamsi prudens sit, & virtute præditus, si, de qua loquimur, libertate dicendi destituatur. Quam etiam dicendi libertatem in bono Consiliario maximi ponderis propterea esse dixi, quòd rara sit, & in paucis inueniatur, licet adeò sit necessaria, vt officium suum rectè obeat. Duos lictores domesticos & carnifices intestinos quiuis habet mortalis, amorem & timorem: ille desiderio consequendi, hic metu amittendi rem amatam, eum torquet & excruciat: atque hi duo tortores Consiliarij animo obuersantur, ne liberè loquatur & sententiam dicat: nam interdum vt rem gratam faciat Principi, & eius voluntatem

Lib. 3. Pol. cap. 3.

tatem sibi deuinciat, interdum ne illum vel familiares illius offendat, aut tacet quod dicendum esset, aut frigidè verbisque implicatis & ambiguis suam profert sententiam; quodque peius est, aliter ac sentit dicit, vt Domino suo blandiatur: qua in re grauissimè in Deũ, in remp. & in ipsũ Principẽ peccat; huiusque criminis possit esse materia & grauitas tãta, vt dãna præstare teneatur, ex eo, quòd opinionẽ suam liberè atq; syncerè non dixerit, consecuta. Idcirco Spiritus sanctus, de Consiliario loquens, ita Principem monet: *A Consiliario serua animam tuam. Priùs scito quæ sit illius necessitas; & ipse enim in animo suo cogitabit, ne fortè mittat sudem in terram, & dicat tibi, Bona est via tua; & stet è contrario videre quid tibi eueniat.* Eandemque ob caussam S. Ambrosius in epistola ad Imperatorem Theodosium, loquens de Episcopo qui in rebus sacris & ad Religionem pertinentibus Principi consilium dare debet, sic ait: *Clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium, libertas placere: nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris.* Sed hæc ignauia atque animi remissio in Consiliariis ex altera harum duarum caussarum gignitur: amore proprio, qui, vt antè dixi, cupiditate quæstus siue augẽdi siue cõseruandi, animũ Cõsiliarij oppugnat: vel mala & acerba natura Principis, consiliũ petentis ad speciẽ subinde officij sui & muneris ostentationẽ-

Thom. 2. 2. q. 62. art. 7. & q. 71. art. 3.

Eccl. 37.

Lib. 5. epistola 29.

veriùs, quàm vt noſcat & eligat quod meliꝰ eſt, cùm, quid facere velit, iam animo conſtitutũ habeat, ſibiq́; à quopiam contradici ægerrimè ferat; quod etiam irati vultus ſignis prodit. quod conſultationibus maximè perniciosum eſt; & magnam occaſionem dat Conſiliariis, vt non tam quod expedit, quàm quod gratum eſt & iucundum Principi, reſpõdeant; vt ſcribit Plutarchus, explicans quid inter verum amicum & adulatorem interſit: qui etiam refert, (quod ſuprà citauimus) Theopõpum, cùm rogaretur qua ratione quis fidele regnum ſeruaret, hoc reſponſum dediſſe: *Si iuſtam dicendi libertatem amicis permittat, & ſubditorum, quantum fieri poteſt, vindicet iniurias.* Atque vt huic incommodo tam graui & noxio occurratur, quidam ex prudentibus & ſtatus adminiſtrandi peritis cenſent optimum fore, ſi Princeps, de quibus conſultandum eſt, conſilio ſuo ea verborum forma ac rationum moderatione proponat, nemo vt intelligat quam in partem propendeat: ita enim liberiùs ac ſynceriùs quiſque ſententiam ſuam explicabit, & veritas apertiùs in lucem proferetur. Quòd ſi fortè quis quidpiam dixerit cum eius voluntate pugnans, nec offendatur, nec læſi animi det ſigna, ſed potiùs patienter & placidè animum addat: Traiani Imperatoris exemplo, cui inter alias virtutes hæc laudi datur; vel Imperatoris Adriani,

Plut. de diſfer. amici & adul.

Plutarch. in Apophth.

Card. Papienſ. in ep. ad Cardin. Mant.

Card. Paleot. de ſacri conſ. conſul. q. 44.

driani, Traiani ſucceſſoris, de quo ſcribit Dion Caſſius, pergratum illi fuiſſe quouis in negotio vel ab homine infimæ ſortis cõmonefieri; vel Antonini Philoſophi, qui affirmabat, æquius eſſe vt tot amicorum ac fidelium Conſiliariorum ſententiæ ſubſcriberet, quàm vt illi ſe eius voluntati accommodarent. *Dion Caſſius.*

CAPVT. XXVII.

Quid faciendum ſit Principum Conſiliariis, vt rectè munus ſuum obeant.

SI Principum Conſiliarij ſint qui eſſe debent, & ea prudentia, virtute, ac dicendi libertate, quã D. Gregorius Nazianzenus requirit, inſtructi; noſtra opus non erit commonitione, vt intelligant quid faciendum illis ſit, ne ab officio & propoſito ſcopo iu conſiliis dandis aberrent: prudentia enim propria eos docebit negotiorum pondus & difficultatem; nec non quæ, & quibuſcum, & intra quem modum eſſe debeat arcanorum in his cuſtodia; quid etiam in conſiliis cogitandis, conferendis, maturandis ſit neceſſarium. Virtus verò & caritas eos permouebit, vt à Domino lucẽ, (ſine qua incerta ſunt conſilia) qua colluſtrentur, poſtulent, & priuata commoda bono communi ac debitæ Principi ſuo fidelitati poſtponant. Hæc ipſa caritas efficiet vt vota ſua amicitia vel inimicitia, æmulatione

vel

vel inimicitia, æmulatione vel coniunctione, quæ fortè illis cum aliis Consiliariis intercedit, non definiant, sed eam sententiam quam veriorem iudicant, tamquam regulam suorum consiliorum, in conspectu Dei sequantur. nam turpe ac reprehensione dignissimum esset, si quis Consiliarius puriori sententiæ repugnaret, quòd ab inimico; & falsæ subscriberet, quòd ab amico profecta esset. Hæc eadem caritas & virtus docet ne contumax sit & præfractus; nec suam sententiam ita pugnaciter defendat, nemini vt cedere velit; nec etiam sic honoris cupidus, vt, si quid ab insequentibus meliùs dictum cognoscat, approbare nolit, ne, quod dixerit, reuocare videatur. Præcipuus enim viri sapientis & prudentis Consiliarij honor est, amare & amplecti veritatem, & Principis sui ac reipub. commodum cuilibet vanæ considerationi anteferre: nam nemo doctus vm-

Ad Attic. lib. 16. ep. 4. quam (vt grauiter Cicero) mutationem cõsilij in melius inconstantiam esse dixit. Quã etiam ob rem perutile est, multos ad consilium Principis admitti, vt, auditis variorum opinionibus, seligat & sequatur quam iudi-

Libro 4. de benef. c. 34. 35. & 36. cat optimam. *Illud*, inquit Seneca, *superbum promissum, numquam sapientem facti sui pœnitere, nec vmquam emendare quod fecerit, nec mutare consilium.* Quod idem docet D. Augu-

a In regul. breuior. *b Lib. 4. epistola 2.* stinus in suis Retractationibus, [a] D. Basilius, & [b] Cyprianus. Libertas denique faciet ne con-

ſiliarius hæreat ac turbetur, & à vero dicendo inani metu reſpectuue retardetur, ſed, Deũ & offic'j ſui obligationem ob oculos ſibi proponens, conſilia ſua verè ac ſyncerè & cum libera quadã modeſtia dirigat in reip. & Principis bonum: qui conſiliorum omnium ſcopus ac finis eſt.

CAPVT. XXVIII.

Sine Deo conſilium quoduis vanum eſſe, & intimam Principum amicitiam inconſtantem.

CETERVM intelligat Princeps, eiuſq; Conſiliarij, niſi Deus conſiliis interſit & aſſiſtat, quantumuis ſeſe impendant fore vt errent; tandemque in malos conſiliarios recidat, quidquid proprio quæſtu & commodo incitati, quod Deo repugnet, & in commune damnum vergat, ſuaſerint. quin etiam ſæpenumero ab eomet Principe caſtigãdos, cui, Dei immemores, adulati ſunt; & ipſum eorum conſilium laqueum futurum, quo irretiantur; foueam, in quam cadant; crucem & patibulum, cui affixi cum Amano vitam ponant; capillos, quibus vt Abſalom innexi ſublimes pendeant; gladium, quo diuina iuſtitia, ſicut Iuditha Holoferni, ſic illis caput amputet; denique vt ſagittam, quæ in durum ac forte ſaxum immiſſa, in eum, qui eam iecerit, reſiliat. Tritum enim eſt illud ſermone prouerbium: *Malum*

Eſther. 6.
2. Reg 18.
Iudith. 13.

Malum consilium consultori pessimum. & Spiritus sanctus ait: *Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur.* ac per Iobũ: *Deus est, qui ponit humiles in sublime, & mærentes erigit sospitate: qui dissipat cogitationes malignorũ, ne possint implere manus eorum quod cœperint: qui apprehendit sapientes in stultitia eorum, & consiliũ prauorum dissipat.* Apprehendit (inquit) sapientes in stultitia eorũ, quòd etsi prudentes vidẽtur, tamen insipientes sunt, & insanissimi, qui sapiẽtiã sibi sine Dei præsidio adscribunt. Dauid etiam, *Dominus*, inquit, *reprobat consilia Principum.* cui consentit Salomon his verbis: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consiliũ contra Dominum.* & Isaias: *Inite consilium, & dissipabitur.* ac alio in loco: *Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium: quorũ sunt in tenebris opera, & dicũt, Quis videt nos, & quis nouit nos? Peruersa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non fecisti me; & figmẽtum dicat fictori suo, Non intelligis.* & capite insequenti: *Væ filij desertores, vt faceretis consilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per Spiritum meum. erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem.* Propterea concludit Ecclesiasticus: *Faciẽti iniquissimum consilium, super ipsum deuoluetur, & non agnoscet vnde adueniat illi.* Maximi certè refert, vt Principum Consiliarij verè sibi persuadeãt non esse cõsilium contra Dominum, & pessimum con-

Eccl. 27. Iob. 5. Prou. 21. Isaia 8. Isaia 29. Isaia. 30. Eccl. 27. Vide Greg. Mor. lib. 6. c. 11. & 12.

consilium in caput eius, qui dederit, tandem deuolui. Quid profuit Iosephi fratribus innocentem fratrem suum Ismaëlitis vendidisse, nisi vt illum suum atque Ægypti Dominum & Gubernatorem constituerent? *Genes.37. & 41.* Quò tandem recidit omnis ille Pharaonis conatus ad obterendum & exstinguendum Dei populum? an non redundauit in maius incrementum eorum, quos depressos ac exstinctos cupiebat, & in suiipsius ruinã, regnique vastitatem? *Exod.1. & 14.* Odium quo Dauidem Saul persequebatur, vtile fuit ad nomen illius illustrandum. *1.Reg.18. 19 & 13.* Insidiæ atque calumniæ Chaldæorum Principum in Danielé ad Numinis suos protegentis, & malos punientis, prouidentiam ostendendam valuêre plurimum. *Daniel.6.* Persecutio qua tyranni Ecclesiam Catholicam labefactare & in nihilum redigere tanta contentione conati sunt, in caussa fuit cur illa magis floreret, & tot fortissimorum martyrum exercitus de hoste triumpharẽt. Etenim nullum consilium est aduersus Dominum quod ipse nõ dissoluat. Nemo prudentiæ suæ fidat, neç sibi de familiaritate ac fauore Principis, aut qua per illũ pollet auctoritate, blandiatur: nam fortunæ rota volubilis admodum est, vaga, & inconstans; nec alio modo sisti potest, quàm si quis, illi' temeritatem & inconstantiam cognoscens, illi non fidat, sed ea faciat, quæ teste Deo facere tenetur. Cùm hominum omnium,

tum

tum maximè Principium animus varius, instabilis, delicatus, ac vehemens est, expletur facilè, & tędio afficitur, oditque quod amabat, & quod oderat complectitur: vixque reperias qui in hoc periculoso sinu familiaritatis ac gratiæ Principum non iactetur, & naufragium non faciat; eoque faciliùs, quo secundior est ventus, & quo nobis mare magis blanditur, blandiendoque decipit. Ex hoc illud Sallustij: *Plerumque regiæ voluntates vt vehementes, sic mobiles, sæpe ipsæ sibi aduersæ.* Facilè enim cupiunt quod auersabantur, & oderunt quod amabant. Atque huius quidem rei quot exempla in historiis sacris ac profanis habemus! Amanus, cùm Assueri Regis quasi pater esset, & in eius regno secundas teneret, eius iussu patibulo, quod ipse Mardochæo erexerat, appensus, animam interclusit. Achitopel sibi manu propria mortem consciuit, quòd Absalom eius consilium respuisset. Quid dicam de Parmenione, fortissimo Duce, Alexandro Magno adeò caro & honorato? quid de Seiano, Tiberij temporibus in tantum potentiæ ac maiestatis euecto, vt illi cum Imperatore dignitatis esset certamen? quid de [a] Perennio & Cleandro, qui Imperatoris Commodi oculi duo vel brachia videbantur? quid de [b] Ablauio, qui sub Constantino Imperatore pila Fortunæ vocitatus est? quid de [c] Ruffino & [d] Eutropio, sub Arcadio? quid de

Sallust. de bell. Iugur.
Esther 7.
2. Reg. 17.
Plut. in Alexandro.
Suet. in Tiber. c. 55.
Tacit. Annal. lib. 4.
Dion. lib. 58.
a *Lampr. in Commodo.*
b *Sozim. lib 2.*
Eunap. de Vit. Phil.
c *Marcel in Chron.*
Socrates lib. 6. c. 1.
d *Sozim. lib 5.*
Socr. lib. 6. cap. 5.

de [e] Stilicone, sub Arcadij fratre Honorio? quid de [f] Flauio Antiocho, sub Theodosio iuniore, Arcadij filio? an non omnes isti ex intima familiaritate & dignitate deiecti sũt, parsque eorum maximè, eorundem Principum, quibus erant acceptissimi, iussione miserandum in modum neci traditi sunt? Omitto Petrum Vineam, Frederico Imperatori II. à secretis, & amicum intimum; quem ille luminibus orbatũ inimicis illudendum tradidit. Taceo [g] Petrum Brocam, ex chirurgo paupere sub Philippo Galliæ Rege, S. Ludouici filio, factum Galliæ Gubernatorem, eoque iubente in cruce præfocatum. Prætereo Ludouicum Luxemburgensem, S. Pauli Comitem, in eodem regno Equitum Magistrum, qui post summã potestatem iussu Ludouici Regis XI. (à quo illam acceperat) capite luit: Bernardum Cabreram, Petri IV. Aragonij Regis imperio peremptum; quem per vim quodammodo domo extractum, Consiliariorum Principẽ & regni administratorem constituerat: Ioannem Caraciolum, regni Neapolitani Scenarcham, Reginæ Ioannæ minori acceptissimum, qua etiam mandante peremptus est. Vnum pro omnibus exemplum Aluari de Luna satis est, si tamẽ vetustate ac tẽporis diuturnitate memoriâ nõ exciderit: quod si inobscurauit obliuio, recẽtia & nostri temporis exempla Cardinalis Vol-

e *Sozomen. lib 9 c. 4.*

f *Suidas & Bar. tom. 5. anno 431.*

g *Masson. lib. 3.*

Comineus. Massonius lib. 4.

Surit. lib. 9. cap. 59.

Collen. hist. Neap. lib. 5. cap. 23.

ſæi & Thomę Cronuelli huius rei veritatem edocere poſſunt: qui cùm ſub Henrico VIII. quodammodo Reges Angliæ fuiſſent, iudicum ſententiis damnati vitam amiſerunt; quemadmodum in Eccleſiaſtica noſtra hiſtoria de ſchiſmate Anglicano ſcripſimus. Hæc & eiuſdem generis exempla reperiet, qui veteres & recentes hiſtorias attentè legerit; ſimulq́; intelliget, triſtes exitus, quos intimi Principum familiares habuere, ex eo potiſſimùm manaſſe, quòd abuſi familiaritate inſolentiùs ſe extulerint, nec Deum tamquam conſiliorum ſuorum teſtem ſpectarint, ſed Principibus ſuis gratificaturi diuinam Legem protriuerint, non tam ad illã quàm ad ſuum commodum, tamquam ad regulam, conſilia ſua dirigẽtes; falſa opinione decepti, nihil metuendum, ſi beneuolos Principes ſuos haberent, gratiam illam (quę vitro fragilior eſt) diuturnam ſibi ac perpetuam fore credentes.

Lib. 1. cap. 17. & 42.

Cap. XXIX.

Quomodo ab adulatoribus cauere ſibi debeat Princeps.

PRVDENTIA neceſſaria eſt Principi ad aliam rem magni momenti, vt nimirum amicum falſum cognoſcat, & à vero diſtinguat, & adulatorem à fido Cõſiliario internoſcere poſſit: quod tanti refert, vt neſciam an ſit aliud in Principe, q̃ reip. interſit magis.

gis. Atq; vt intelligatur quanti hoc referat, præmittendum primò hominem corruptæ naturæ vitio ſibi amiciſſimum eſſe, & intimis viſceribus hunc amorem infixum tenere, quo cęcatus ſibi blanditur, creditq́; multo maiora meritis ſuis deberi præmia, atque ſe ob generis ſplendorem, vim ingenij, eruditionem, prudentiam, & alia animi corporiſq́ue ornamenta dignum eſſe qui cæteris anteponatur; eodem etiam amore impelli, vt ſe magni, alios nihili aut parui faciat. Hunc ſui amorem Græci φιλαυτίαν vocant; quem dicunt cæcum eſſe, quòd homines excæcet, efficiatq́ue vt ſeipſos non cognoſcant: qui in Regibus & Principibus plus habet virium, ex eo enim quòd deliciis affluunt, quòd aliis imperent, quòd ab omnibus reuerētia quadam & honore colantur, incremēta magna accipit naturæ corruptio. Itaque Principes magis indigent cæleſti gratia, vt ſeipſos & noſcant & reſtringant, quàm priuati. Illud etiam ponēdum pro ratione habitudinis temperamenti & condicionis, alios aliis natura ſua vitiis magis eſſe obnoxios. Alij enim ad ambitionem cupiditateſq; honorū, alij ad voluptates & oblectamenta corporis, quidam ad quæſtū, alij ad iram & vindictam magis incitantur: denique quiſque ſuos patitur manes, habetq́; domeſticum hoſtem, quocum bellum gerat. Sed hæ perturbationes animiq́; motus

in Principibus magis efferuescunt, suntq; vehementiores, ob status (vt antè dixi) amplitudinem; & tanto in illis quàm in cæteris periculosiores, quanto liberiorem & à nullo pendentem dominatum exercent: possuntq; quod volunt, nemine illis vlla in re, quã libido suaserit, obsistẽte. Cùm ergo eædem, quæ in aliis mortalibus, in Principibus etiam (vtpote hominibus) perturbationes & turbidi animi motus dominentur, & ea ex caussa (quam attigimus) in illis concitatiores atque effrenatiores sint, si assentatorum blanditiis augeantur, & ardentes in animo Principis faces flatibus eorum, qui eas exstinguere debuissent, maiores vires accipiant: quid aliud sperandum est, quàm vt Princeps tanto incendio deflagret, & in cineres respub. redigatur? Sũma cura ab externis hostibus sibi cauent Principes, & in eam rem magno militum hastatorum ac satellitum septi sunt præsidio: & sibi non cauent ab falsis amicis, domesticisq; hostibus, quos in palatiis suis eo maiori cum periculo habent, quo blandiores sunt, ac intestini, sensimq; blandiendo perimunt. Nam nonnulli quibus ad palatia ædesq; regias patet accessus, & qui ad intimã Principum familiaritatem sunt admissi, cùm vidẽt ad honorem & quæstum, quem aucupantur, nihil ita valere, ac Principis gratiã, (quę velut fons est, ex quo ambitionis suæ sitim insatiabi-
lem

lem ſatiare tamen atq; exſtinguere ſe poſſe putant) ad hanc conſequẽdam omnes neruos intendũt, diligenterq; elaborant, vt intelligat non habere ſe ſeruos amãtiores ſui, aut fideliores, (amor enim naturaliter amorem gignit;nec homo eſt,ſed tigris, qui non diligit eum à quo ſe diligi videt) ea de cauſſa adulatores, cùm præſentes adſunt, ex Principis vultu pendent , in illius oculis fixi habitant; cum abſunt, ſignificant ſe illius deſiderio tabeſcere:nullus ſermo illis iucundus, qui cum illius laude coniunctus non eſt: interdiu illum cogitant , noctu ſomniant, & chamæleontis inſtar colorem affectumque Principis induunt, & tamquam in ſpeculo quam in Principe vident imaginem referunt: ſi ridẽtem adſpiciunt,in riſum ſoluuntur ; ſi mæſtum, ad triſtitiã vultum fingunt;ſi ſtomachantẽ, iraſcuntur, & à ſeipſis decedunt;ſi afflictum & infirmũ,toto vultu palleſcunt: quodq; inflammati ac vehemẽtis amoris indicium eſt, æmulatione quadã alij aliis inuident;& licet inter ſe amorem ſimulent,tamen quiſque tentat alios de Principis beneuolentia deiicere , & ſibi ad illius familiaritatem maiores aditus munire, & (vt faciunt quos amor perdit)ſecluſo competitore ſiue riuali(vt dicitur) amare. Verùm in id maximè laborant , vt proprio & cæco amori adhæreſcentes, qui omnibus ineſt, (vt ſuprà diximus) furioſiùs verò & vehemen-

tius Principibus imperat, prorsus se effundant, & Principi in omnibus, quò eum affectus trahit, obsequãtur. Nam vt aqua colorem terræ, per quam decurrit, contrahit, & vmbra corpus sequitur, & lineæ non per se, sed per solidum illud cuius sunt lineæ, mouentur: sic adulator mouetur cũ Principe, & quasi vmbra affectiones illius sequitur, & quẽ in illo videt colorẽ suscipit. Si Princeps venatione delectatur, fingit se venatorem; si musica, musicũ; si leuibus & obscenis amoribus addictum videt, amatorię vesanię laudatorem & ministrum se exhibet: si ignauum, & animi relaxandi cupidum, id regiũ dicit, monetque vt in alios oneris partem reiiciat: si crudelem, timendum ait Principem, si quidem regnare velit: si subditos bonis spoliat, illius esse omnia: quòd si bellum iniustum & periculosum moliatur, applaudit, & hoc stirpe regia, hoc magnanimo Principe dignum acclamat, hoc maioribus dignum esse iactat, & verbis ac cõsiliis oleo mollioribus, quasi iaculis, cor sui Principis transfigit, vt regius Propheta affirmat. Itaque cùm Rex sit quasi totius regni fons publicus, isti assentatores sic illũ inficiunt, vt ex eo nihil omnino nisi venenatum & corruptum manare possit. Quamobrem Athenienses olim legibus suis assentatores capitali supplicio multabãt, omnesque viri sancti & sapientes eos abominantur, & pestem ac rei-

Psal. 54.

Franc. Patric. de Regno libro 4. tit. 2.

reipubl. perniciem censent. Bias dicebat, omnium ferorum animalium sæuissimũ esse tyrãnum; cicurum, adulatorẽ. [a] Demosthenes asserit, publicas omnes clades & ærũnas adulatoribus pæne tribuendas esse. Pythagoras assentatores eo modo se habere cum Principibus dixit, quo perditæ mulieres cum suis amatoribus, quibus à Deo salutem, vitam, opes, & alia omnia, præter bonã mentem, exoptant, ne ab illis deserantur. M. Tullius, *Sic habẽdum est*, ait, *nullam in amicitiis pestem esse maiorẽ, quàm adulationem, blãditias, assentationem:* quam etiam escam & vitiorum omnium quasi nutricem vocat. Q. Curtius scribit, adulationem esse perpetuum malum Regum, quorum opes sæpius quàm hostis euertit: quare certam perniciẽ imminere Principi, qui mendacio magis quàm veritati, & adulationi potiùs quàm admonitioni, aures patefacit. Dion auctor est, adulatorem, qui veritatem corrumpit, esse peiorem eo qui monetam adulterat. *Duo*, inquit S. Augustinus, *sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium & adulantium: sed plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus persequentis.* D. Hieronymus: *Isto maximè tempore regnat vitium adulationis, quod est grauissimum, quia humilitatis & beneuolentiæ loco ducitur, & ita fit, vt qui adulari nescit, aut inuidus aut superbus reputetur.* & alibi ait, Philosophos adulatorẽ, blandum inimicũ seu

Plut. de discr. adul. & amici.
a *Phil. 3.*
Apud Stobaeum.
In Lælio.
Libro 8.
Orat. 3. de inst. Princip.
Hieron. epistola ad Demetr.
Hier. lib. 1. cont. Pelag.

Greg lib. 31. Mor, c. 20. hostem definisse. B. Gregorius locustæ, fructus deuoranti, linguam adulantis comparat; & api, quæ mel habet in ore, & aculeo pungit; ac scorpioni, qui pungendo ferit & necat. Ex sapientibus quidam dixit, peius esse in adulatoros quàm coruos incidere; quoniã hi mortuos homines deuorant, illi viuos: alius verò assentatorem peiorem esse falso teste; quoniam hic Iudicem fallit, ille remp. euertit: & Seneca in quadam epistola, *Adulatio*, inquit, *quàm similis est amicitiæ! non imitatur tantùm illam, sed vincit: apertis ac propitiis auribus recipitur; & in ima præcordia descendit; eo ipso gratiosa, quo lædit.* docetque perdifficilè esse adulationem agnoscere, quoniam blandus est inimicus, speciem gerens amici. atque in alia epistola, de adulatoribus loquens, *Horum*, ait, *sermo multum nocet: nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit, sequiturq; nos etiam, cùm ab illis discesserimus, resurrecturum postea malũ.* Cuius rei caussam adferens alio in loco, *Habent*, inquit, *hoc in se naturale blanditiæ, etiam cùm reiiciuntur, placent; sæpe exclusæ, nouissimè recipiuntur.* Ac huius quidẽ peruersitatis illa est ratio, quoniã maximè conueniunt cũ iis quę ingenitus & intimus adulator amor sui nobis falsò persuadet, & de nobis ipsis prędicat. Cùm ergo malũ hoc tam sit hominibus naturale, & Principibus ita domesticum & familiare, & vniuersæ reip. tam pernicio-

Dion. orat. 3. de instit. Princip.

Epist. 45.

Epist. 124.

In præfat. lib. 4. nat. quæst.

ciosum, & cognitu superatuque tam difficile: non erit inutile, signa aliqua tradere, quibus à vero amico assentator discerni possit; quod proximo capite, Deo propitio faciemus.

CAPVT XXX.

Quomodo secerni falsus amicus à vero & internosci queat.

PLVTARCHVS, grauis Philosophus, opusculum scripsit, cui titulum fecit de differentia adulatoris & amici: in quo, quanam ratione verum amicũ cognoscere possimus, aperit; & multis exaggerat damnum quod Reip. inferunt, qui Principibus assentantur: cumque difficilius nihil sit, & ad vtilitatem præstãtius, cognitione sui, (propterea enim veteres sapientes tanquam oraculum de cœlo lapsum habuerunt sententiam illam, (*Nosce teipsum*) adulatores ait obscurare lumen quod Deus animis nostris infudit, sine quo nec videre nec cognoscere nos possumus. Affirmat etiam, falsum amicum, hoc est, adulatorem, difficulter deprehendi, & à vero ac fideli discerni: nam etsi contrarios ac inter se longè differentes fines sibi propositos vterque habet, tamen ad illos cõsequendos simillima ratione vtitur, suique in Principem amoris consilia dat indicia, quæ etiam nonnunqam in adulatore verisimiliora

& efficaciora videantur. Sed vera & velut ex natura vtriusque depromta differentia, hæc est, quòd verus amicus amore, ex quo amicitia nominatur, amicum suum diligit, eique bene vult quia meretur, nullo ad proprium commodum respectu: assentator verò amat quæstus causa, & ob bonum quod iam spe deuorauit. Alter est honestus, & à virtute proficiscitur; alter vtilis & delectans. Ac proinde verus amicus tã prosperis quàm aduersis in rebus ad extremam vsque vitam in amore perstat: assentator verò, vbi lucri, quò omnia refert, nulla spes reliqua est, terga vertit; (vt ait Aristoteles) & quem antea venerabatur ac colebat, eum postea non agnoscit; imitatus hirundines, quæ æstiuo tẽpore nobiscum hærent & commorãtur, auresque nostras suo cantu obtundunt, hiberno verò auolant, seque oculis nostris subducunt. Amicus verus, quando de aliquo negotio agitur quod Principem tangit, in primis considerat quid boni maliue inde ad illum & Remp. redũdare possit: adulator autem ilico perspicit quod sibi commodũ aut damnum ea res allatura sit. Verus amicus omni studio & cura enititur vt Princeps cum bonis, sapientibus, & prudentia claris tractet & familiaritatem ineat: adulator vellet istorum nulli ad Principem aditum esse, & omnibus viribus cõtendit, vt, qui huiusmodi sunt, ab omni congressu & amicitia Prin-

Lib 8. Eth. c.3. & 4.

Lib 4. Rhet. ad Heren.

cipis

cipis prohibeat; fictisque & conquisitis vitiis deformatos oculis eius obiicit, ne quis in aduersantes suis opiniones illum inducat, & sibi demum aditus ad Principis familiaritatē præcludat: pictori malo persimilis, quem ferunt, cùm gallos gallinaceos ineptè depinxisset, curasse vt puer veros gallos ex eo loco abigeret, ne his accedentibus eius in pingendo inscitia deprehenderetur. Verus amicus gaudet, cùm Princeps beneficia in eos confert, qui obsequiis suis ea promerentur, & cùm vniuerso populo carus est, quòd ad famæ nominisque tuitionem & status conseruationem hoc cõueniat: adulator omnia sibi conferri postulat; & quicquid aliis datur, amissum putat; neque multum laborat, siue eius dominus faciat, siue negligat, quæ suarum sunt partium; nec sua quidquam interesse existimat, an amēt illum, oderintve. Verus amicus strenuè curat vt domino suo obediat, eique, quoad potest, placeat, ita tamen, vt, cùm è re eius esse videt, modestè ac liberè ei veritatem dicat; quærit enim magis quod fructum, quàm quod voluptatem domino adferat; estque instar boni medici, qui iucunda quidem ægroto dare cupit, sed multo magis salubria: adulator verò coquo persimilis est, qui in cibo cõdiendo nullam valetudinis rationem habet, sed palati tantùm; in idq; solùm incumbit, vt ad Principis gustum & voluntatē loquatur

quatur omnia, & quæcunque vel minimam molestiam adferre possint, longè se moueat, vt illi in fraudem inducto, quod animo destinauit, faciliùs persuadeat. Idcirco dicit Spiritus sanctus: *Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius. Habet enim* (vt ait D. Bernardus) *vera amicitia nonnunquam obiurgationem, adulationem nunquam.* Quin etiam Phocio Atheniensis Antipatro rem iniustam postulanti respondens, *Non sum*, inquit, *tibi simul adulator & amicus.* Cui tamen rei ita addictus est assentator, vt non verbis tantùm, sed etiam factis ipsis ex illis quidam adulentur Principi: quod est genus aliud adulationis, & in quo plus est virium & fraudis. Ex quo est quod narrat Plutarchus, quia Mithridates aliquid studij dederat medicinæ, quosdam amicorum adulandi gratia curandos se ei & vrendos præbuisse; hac vt ratione intelligeret, suam in arte medendi peritiam ab illis plurimi fieri. Qui etiam scribit, cognitum sibi quendam assentatorem, qui, quoniam Princeps cum sua vxore diuortium fecerat, etiam à sua discesserit, licet furtim eius consuetudine vteretur: id enim modò intendebat, vt ad Principis exemplum se componeret; & hoc faceret, quod ei gratum esse arbitrabatur. Alius quidam adulator, cùm videret Philippo Macedonum Regi alterum oculorum in bello erutum, collyrio illinere suum

Prouer. 29.

Epist. 242.

suum oculum cœpit, vt Rex illum etiam oculo laborare crederet, Clytum; intimum & familiarē suum, Alexander Magnus propriis manibus occiderat: cumque sibi redditus tantùm iras concepisset, vt vellet sibi violentas manus adferre; adulator quidam, Anaxarchus nomine, dixit illi: *An nescis, Rex, iustitiam Ioui assidere, vt, quidquid illi cordi fuerit, sanciat?* Quo stulto adulandi genere id efficere moliebatur, vt Alexander se Iouem esse crederet, sibique persuaderet, quod facere sibi collibuisset, id omne iustum esse, etiamsi præcipiti consilio præter ius fasque amico suo mortem intulisset. Amicus verus semper secum habitat, sibiq; simillimus est, quia veritatem, rationem, & amici bonum intuetur: assentator cum Principe mutatur, quia gustui eius deseruit. Quapropter monet Plutarchus, cùm Princeps nosse cupit, sitne quis verus & fidelis amicus, an falsus & assentator, debere interdum significare id sibi placere, quod antea displicebat; & quod placebat, displicere: statim enim probabit adulator, rationique conforme dicet, seque antea mirari solitum cur aliud ei videretur; quod faciet in quauis re, etiam turpissima. quod facturus non est verus amicus, quoniam bonum à malo, vtile ab inutili distinguet. Ad hæc suadet Plutarchus, vt Princeps suam conscientiam consulat; & illa reprehendente accusanteque idipsum quod assenta-

Arrian lib. 4. & Plut. in eius vita.

ſentator laudat, intelligat non ad veritatem, ſed voluntatem loqui. Denique verus amicus ſemper ſpectat id quod cum ratione, cum iuſtitia, cum veritate coniunctum eſt: falſus verò accommodat ſe ad ea, quibus pars inferior animæ paſcitur, ad oblectationem, ad ludum & relaxationem animi, & ad voluptates, etſi diuinis legibus aduerſentur. Porrò quanquam amor & beneuolentia ſeruorum in dominos, & ſubditorum in ſuos Principes, amicitia propriè dici non poteſt, quoniam ad veræ amicitiæ nomen multis rebus opus eſt, & magna ac familiaris congreſſio bonorumque ac voluntatum inter amicos ſocietas & communicatio requiritur: tamen hoc in loco verum amicum appellamus eum, qui, etſi famulus eſt, amore tamen ab omni ſpe quæſtus præciſo, & verorum amicorum proprio, ad domino obſequendum mouetur ac impellitur; falſum verò & aſſentatorem vocamus eum, qui, domino ſuo deſeruiẽs, ad ſua tantùm commoda fineſque ſibi propoſitos animum defigit ac intendit.

CAP. XXXI.

De rebus aliis quas edocet prudentia.

HÆc omnia & plurima alia vtiliſſima, & ad regimen ac conſeruationem imperij ac ſtatus perneceſſaria, Principem docet ve-

cet vera & ſolida prudentia. Nam hæc virtus (vt antè dixi) dux eſt & magiſtra omnium moralium virtutum; hæc libella & norma, ad quas actiones ſuas exigere Princeps; hæc regula, qua eaſdem metiri ac dirigere debet: ideoque hæc virtus ad alias omnes morum virtutes ſe extendit, ſine qua virtus eſſe aut dici nulla poteſt. Innumerabilia ſunt, quæ Chriſtianum Principẽ prudentia docet; nec finem ſcribendi faceremus, ſi vellemus hîc omnia congerere: cæterùm, etſi breuitatis cauſa multa prætereamus, æquum tamen erit vt nonnulla referamus ex iis, quæ ad rectam Principis adminiſtratiònem vtiliora magisq́; neceſſaria iudicamus, excerpta ac delibata ex iis quæ de propoſita materia ſapientes & experti viri ſcriptis prodidêre. Primum igitur quod vera & Chriſtiana prudentia Principi ſuggerit, eſt, vt imbecillitatẽ ſuam agnoſcat, & intelligat ſe lumine cœleſti indigere, illudq́; debere ſuppliciter à Deo poſcere; vt feciſſe diximus Moyſen, Ioſue, Dauidem; Salomonem, & alios Reges ſapientia potentiaq́; præcellentes. Ex quo ſequitur vt de rebus grauibus & ambiguis viros prudentes cõſulat, & in quibus probitas & ſcientia eminet: cõſulat verò veritatis inueſtigandæ ac ſequendæ ſtudio, non officij ſimulatione: & non vt à Conſiliariis audiat quod cupit & placet, ſed quod vtile eſt, atq; expedit. Præterea eadem prudentia docet vt

præ cæteris omnibus attentè exquirat an res in consultationem adducta Legi Dei aduersetur: quam oportet esse primum, intimum, & maximè familiarem Principis Consiliarium. Sic enim illam in consilium adhibebat Dauid Rex, vt de se his verbis testatur:
Psal. 118. *Et consilium meum iustificationes tuæ.* quibus significatur, quemadmodum is qui fidelissimum sibi carissimumque amicum habet, nisi eo priùs consulto, nullum grauius negotium aggreditur; sic Dauidē capiendis consiliis diuinam Legem tanquam consiliarium intimum consuluisse. Cùm verò ambiguum est an ea res, de qua agitur, licita sit, nec ne; & an Legi diuinæ consentanea sit, an cum ea pugnet: eadem prudentia monet, vt ad Theologos, vel alios quos cæterorum magistros & duces Deus in Ecclesia constituit, recurrat; quò rei veritas liquidior & apertior fiat, antequam suscipiatur, aut vrgeatur inceptum. Quin etiam nonnulli ex Christianis & honestatis cupidis Principibus ad huius generis negotia consilium habere solent, quod conscientiæ vocant: in quo de iis tantùm agitur, quæ ad conscientiam & salutem Principis spectant; & quæ facienda sunt, ex diuinæ Legis præscripto decernuntur. Eadem prudentia lucem Principi affert, vt cognoscat quæ vera, & quæ in speciem tantùm obiecta vtilitas. Cùm enim vtile, quod offertur, cum honesto & virtute

vel

vel consentit, vel certè non pugnat; verùm eiusmodi esse cẽlere potest: quòd si verò virtutis splendori aduersatur; & aliquid vitij aut turpitudinis habet; absque dubio vllo iudicare debet falsum & inane. Vt enim vera vtilitas contraria sit virtuti, fieri non potest. quod adeò verum est, vt vel ipsi Philosophi ethnici id cognouerint & docuerint. Plato in quodam dialogo Socratem inducit dicentem, actiones nostras nobis discutiendas & expendendas esse: cumque mali quidpiã in eo, quod acturi sumus, apparuerit; de eo faciendo ne cogitationem quidem suscipi debere, sed antè mortem & periculum quoduis adeundum, quàm id faciamus. cui subscribens Cicero, *Cùm aliqua*, inquit, *spes vtilitatis obiecta est, nos commoueri necesse est: sed si, cùm animum attenderis, turpitudinem videas adiunctam rei, quæ vtilitatis speciem attulerit; tunc vtilitas non requirenda est, sed intelligendum, vbi turpitudo sit, ibi vtilitatem esse non posse.* & paulo pòst: *In ipsa dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non peruenerint; ergo ea omnino deliberanda non sunt, in quibus turpis est ipsa deliberatio.* Valerius etiam Maximus scribit, vbi studium verecundiæ est, cupiditatem rationi cedere; nihilq; vtile duci, quod parum honestum videri potest. idque confirmat Atheniensium exemplo: ad quos cùm Aristides retulisset, Themistoclis consilium vtile quidem, sed minimè iustũ videri, euestigio

In Crit.

Lib. 3. Offic.

Lib. 6. c. 5.

concio vniuersa, *quod æquum non videretur, nec expedire quidem*, proclamauit, ac protinus Themistoclem incepto iussit desistere. Est & lex quædam ac doctrina prudentiæ, grauia negotia à leuioribus secernere, & delectum eorũ habere, quæ per se gerere debet Princeps, & quæ aliis committere: vt, qui negotiorum omnium pondus ferre non potest, leuiorum onere (iuxta consilium Moysi à socero datum) se leuet; vtq; plus temporis grauioribus, quæ plus animaduersionis requirunt, leuioribus minus tribuat; denique vt intelligat quæ quibus personis delegãda, cùm non omnibus omnia conueniant. Lex item est ac regula prudentię, nosse proprias naturas ac propensiones hominum, per quos transiguntur negotia: vt, quod cuique conuenit, id ei credatur: nam iuuenes aptiores sunt ad ea, in quibus animo ac viribus opus est, senes autem consiliis dandis opportuniores; egentes propriæ vtilitatis studium, opulentos & potẽtes ambitio & bonorum cupiditas faciliùs decipit. Ad hæc prudentiæ est, cognoscere proprietates, procliuitates, mores, ac ingenia nationum quas recturus est Princeps; quòd variæ sint, & differentes, & etiam frequenter inter se pugnent: hæc enim natio seueritatem, illa mansuetudinem postulat; hæc ne Princeps nimiùm cum suis subditis sit familiaris, illa vt familiariùs cum suis viuat; hæc

Exod. 18.

onus

onus quantumuis graue ferre poterit, illa vel mediocri atque etiam leui reluctatur. Quocirca si Princeps eodem modo velit omnes populos regere, nec gubernandi rationem ad subditorum naturas & mores accommodet; multum laborem sustinebit, & frequenter se in discrimen & magnas angustias adductum sentiet. Huic affinis est alia prudentiæ regula, vt initio præsertim regni sui & in rebus æquis & honestis populo satisfaciat, ne, cùm regnare incipit, in odium atque offensionem incurrat. Quòd si iniqua sunt aut turpia quæ postulantur, ea præcisè non neget, sed ad consideranda tempus postulet; vt diem ex die extrahendo, animi petentium ardor paulatim refrigescat. Roboamus, Salomonis filius, ex duodecim tribubus decem à se alienauit, quòd regni principio asperiùs populo respondisset, negassetque quod postulabat. quod si concessisset, vt senes & prudentes Consiliarij ei suggerebant, omnium studia & voluntates sibi in perpetuum adiunxisset. Ad prudentiam nõ minùs spectat, occasionem tempusque opportunum cuiusque rei considerare: sine quo aut vix, aut ne vix quidem fieri potest, quod in eo facile est, & expeditum. credibile enim non est, quàm citò fugiat & præteruolet occasio, & quanta humanarum rerum sit vicissitudo, vtque certum nihil ac securum censeri debeat, nisi quod ma-

3. Reg. 12.

nibus tenetur. cuius rei clarior est & etiam sensibus ipsis manifestior in rebus bellicis experientia, in quibus momento temporis res mutantur, & victi victores fiunt. Idcirco magni Principes, qui procul bellum per suos Duces administrant, eos sapientiæ & fortitudinis laude præstantes, & ad res aggrediendas promptos fortunatosque seligere debent; & potestatem laxare, ne eâ nimiùm contractâ, & arctiùs circumscriptâ, de manibus labatur occasio, & rei bene gerendæ opportunitas: in quorum consultatione tarditas & animi quies in exsequendis celeritas & mentis ardor exigitur. ex quo illud Sallustij: *Antequam incipias, consulto; vbi consulueris, maturè facto opus est.* Quod item præceptum Isocratis est, atque etiam priscorum sapientum, vt Aristoteles testatur, atque vt hoc significarent, delphinum ancoræ alligabant. Huc spectat celeberrimum illud Octauiani Augusti Imperatoris apophthegma: *Festina lentè.* At cùm timetur aliquod malum, consultius est tempus extrahere; in quo varia accidunt, quibus illud dissoluitur. Opportunitas etiam considerata & probè meditata prodest ad multa dissimulanda & obtegenda, quantumuis grauia sint; pœnisque digna, vt in suum tempus supplicium reseruemus: nam si alieno tentaremus absque tumultu & offensione id non fieret. cuius formam nobis reliquit Dauid, qui, ne pacem

Procem. in Catil.
Isoc. orat. ad Demon.
Arist. lib. 6. Ethic.
Alciat. Emblem. 143.
Sueton. in vita Augusti. c. 25.

regni

regni ſui turbaret, cum Ioabo, qui Abnerum
& Amaſam (magnos & potentes Principes)
interfecerat, conniuendũ putauit: nam Ioa-
bus caſtrorum Dux erat, plurium affinium
atque amicorum præſidio munitus, eiusque
operâ tunc temporis Rex egebat. itaque Sa- *3. Reg. 2.*
lomoni filio mãdauit vt de eo pœnas ſume-
ret, cùm neque tam potens eſſet, nec ſedi-
tionum metus impẽderet. quod etiam à Sa-
lomone factũ eſt. Prudentiæ regula eſt præ-
uenire mala, & ante morbum venam inci-
dere: quod præſtantius eſt medendi genus,
quàm morbo præſenti curationem adhibe-
re. quare tanquam in ſpecula Princeps eſſe
debet, ac ſemper excubare, vt procul hoſtes
perſpiciat. Quanquam verò pax ſemper
Principi ſpectanda eſt, atque ad illam, vt ad
imperij finem, adminiſtratio dirigenda, &,
(quoad fieri poteſt) propter calamitates,
quæ in ipſo naſcuntur, à bello abſtinendum:
ita tamen hoc præſtare debet, vt ne ex pace
fiat ignauus, ſocors, ac negligens, minusque
prouidus rerum quæ ad bellum ſpectant: res
enim momento temporis mutari ac pertur-
bari poſſunt; & quæ ad bellum ſunt neceſ-
ſaria, non tam celeriter apparari poſſunt, ſi
pacis tempore non ſint in prõptu. adde ho-
ſtem ſæpenumero belli occaſionem ſumere
ex negligentia & ſecuritate in qua Princeps,
eius inimicus, pacis tempore viuit. quæ qui-
dem ſecuritas improuida eò etiam eſt perni-

ciosior, quo maior est vtilitas ac pondus eius quod per incuriam negligitur. Hæc anticipata apparatio & prouidentia, prudentiæ pars est eximia & præcellentissima: nõ tamen magni penditur, nec ita elucet, quia latẽt infinita damna, quibus illa viam præcludit. cæterum admirabilis est, eoq; magis, quo minora ac leuiora sunt, quibus occurrit; ex quibus maxima oriri possent detrimenta. Ex parua etenim scintilla ingens incendium excitari solet, quo Respubl. deflagrat ac conciditures etiam minimæ, quibus initio facilis medicina adhiberi potuit, postea neglectæ, cùm vires sumunt, incredibiles ruinas edunt, vt saxum quod ex sublimi mõtis culmine deuoluitur, antequam cadat, facilè retinetur; at postquã est manu missum, præceps ruit, & obuia quæque deiicit ac euertit, neque sisti potest. Quare dicebat Cato, diligentia & circumspectione, quæ magna sunt, exigua reddi; quæ parua, penitus dissolui ac dissipari. Docet præterea Principem prudentia, vires vt priùs suas atque etiam hostis exploret, & difficultates ac pericula, quæ occurrere possunt, examinet, priusquam aliquid aggrediatur: nec quidquam attentet, quod ad felicem exitum perducere nõ possit: ne cum decem millibus occurrat ei, qui cum viginti millibus ad se venit, vt ait nostræ salutis vindex Christus. De eo etiam instruit, cùm duo Principes inter se bellũ meditantur, &

Plutarch. in præcept. polit.

Luca 14.

tur, & eorum quisq; illum in partes suas trahere conatur, sciat quid sibi faciendem sit. nam si viribus vtroque superior est, neutram in partem mouebitur, sed speculanti similis euentũ dissidentium exspectabit: sin vtrilibet imparem se agnoscit, considerabit an è re sua sit, duos sibi hostes reddere; (nam vteruis ex iis victor euadet, hostis effectus fortè cum eo bellum geret) an magis rationibus suis expediat, aperta declaratione in alterius amicitiam transire, & cum eo belli fortunã experiri. Nec minùs docet prudentia, vt, cùm Princeps fœderato & amico auxilium ferre decreuerit, id eo modo faciat, (si per facultatem licet) vti salutaria illi sint subsidia, & ex angustiis, in quas redactus est, emergat. nam si adiumenta debilia fuerint, fortè quẽ intendebat exitũ non assequetur: immo, factis expensis etiam maioribus, interdum existimationis iacturam faciet, beneficium perdet, & amicos; hostes verò sese efferent, & animos sument, iudicãtes ipsum aut viribus aut prudẽtia destitutum. Eadem prudentia Principem informat, vt, quando illi cum alio Principe bellũ est, aut controuersia, attentè cõsideret non tantùm aduersarij vires, sed etiã à natura insitam propensionem tum eius, tum Consiliariorũ & ministrorũ, quorũ operâ in rebus gerendis vtitur. Perpendere enim aduersarij vires, vtile est, vt sciat quid possit; attẽdere verò qua ille

qua administri sint natura, iuuat, vt probabili coniectura, quid facturus sit; iudicetur. nam cùm Principes frequenter quod sapit, & quò inclinant ac propendēt, potiùs quàm rationē sequantur; de eo, quod facturi sunt, longè veriùs coniicitur ex iis rebus ad quas natura vel cupiditate impelluntur, quàm ex iis quæ prudentia in consilium adhibita iudicat esse facienda.

Capvt XXXII.

Continuatur superius Caput.

PRvdentiæ regula est, res consuetudine receptas, vsuq; corroboratas, (etiãsi prauæ sint) simul non conuellere, cùm natura subitas extremasq; conuersiones non ferat; sed vt sensim ac pedetentim Princeps progrediatur, & singulos, vt dicitur, equinæ caudæ pilos euellat, quãdo tota simul extrahi non potest; vt Sertorius facto suo, Horatius verò scripto nos edocent. Cumq; plurimi referat, populum de Principis sui sapientia ac prudentia magnam opinionem cõcepisse, vt eum reuereatur, & prõptiori voluntate illi obsequatur; lex etiã est prudētiæ, attrectare & quasi negotiorum vada tentare, antequam pręcipiti ac rapido flumini se credat, siq; rem quamlibet gerere, vt cordati & graues viri rectè factam existimēt. Quam ad rem Ferdinandus Rex cognomento Catholicus,

Plut. in Sertor. *Hora. l 2. ep. 1. Vers. 41.*

licus, & Paullus hoc nomine tertius Pontifex, cùm aliquid molirentur, quod an populus probaturus esset dubitabant, dissimulanter id in vulgus spargebant, quasi rem non quam facere vellent, sed quam facere deberent; cumque multitudini probari intelligerent, fieri mandabant: eoque prudentis consilij artificio fiebat, vt factum ab omnibus reciperetur & laudaretur, ipsique, vt erant, sapientiæ & prudentię laude florerent. Parat etiam sibi famam & existimationem prudentiæ Princeps, cùm res ita pronisas & præmeditatas habet, nihil vt ei nouum repentinumque accidat; magni verò & fortis animi, quando graues & tristissimi casus illum nec terrent, nec frangunt, nec à mentis statu deiiciunt. Lex præterea prudentiæ est, ne vulnus ad viuum resecet, nec ignem & ferrum adhibeat, si leuiora remedia curando sufficiunt: nec funem contentiùs trahens abrumpat, & nimis emungens sanguinem eliciat, extremaque populares vexati & oppressi experiri cogantur. nam qui præsentem reip. statum ac regimen fastidiunt, eos nouitatis incessit cupido. quòd si offensio maiorem offensionem non proмoueat; quamquam nouandarum rerum occasionem exspectant, eam tamen nec quærunt, nec præbent: at verò si in desperationem erumpat, de imperij mutatione ac conuersione dies & noctes cogitant, eamq;

cum fortunarum suarum & etiam vitę periculo machinantur & procurant. Propterea laudabile ac salutare est Principi, vti moderatione, & seueritatem suauitate temperare, atque subditorum viribus onera, ratioñe verò gubernandi tempore metiri. Quòd si interdum seuera & inusitata supplicia infligere scelerum aliqua immanitas cogat, sic tamen temperet, vt omnes intelligant, ad acriorem illam animaduersionem non crudelitate, sed boni publici studio impelli. Atque horum omnium præceptrix est prudentia, quæ etiam docet quanta sit in rebus humanis, ac præsertim in bellis, varietas & commutatio, quantaque vanitas & inconstantia; vt nec prosperis rebus sese efferat insolentiùs, nec aduersis abiiciat demissiùs: nam singulis propè horis ac momentis noui casus & varij sunt euentus, qui prostratum atque iacentem erigant, victoremque atque elatum deiiciant. Insuper docet, ratione, non euentu, ponderare consilium, nec stomachari aduersus auctorem boni consilij: nam euentuum felicitas non est in nostra potestate, at recta & prudentia consilia penes nos sunt. Spartiatæ nũquam animaduertebant in Ducem qui prœlio inito victus discesserat, sed in eum qui absque ratione in certamen descenderat. Carthaginenses ipsum etiam victorem morte plectebant, si re malè consulta cum hoste

fuisset

fuiſſet congreſſus:neque enim quod euenerat, ſed quod optima ratione accidere potuerat, conſiderabant. Docet etiam prudentia, ne multas leges ſanciat Princeps: tædet enim ſubditos multitudinis; Iudices verò in exſequendis animo ſunt remiſſo, niſi ſpes quæſtus illos excitet; & Principes ipſi multum de ſua exiſtimatione amittunt, cùm promulgatæ negliguntur. Idcirco conuenit paucas, haſque diu pręmeditatas, condere; fixaſque ſemel nō facilè refigere, ſed procurare vt ſeuerè obſeruentur. Vt autē Princeps ad eas ſeruandas populū ſibi ſubditum inducat, debet ipſe, qui liber eſt, & lator legū, ſponte ſuis ſe legibus adſtringere, & exemplo ſuo alios omnes, vt illas ſanctas habeāt, excitare. Propterea tantopere cōmendatur vox illa memorabilis Theodoſij Imperatoris, cuius ſuprà memini; qua profeſſus eſt ſponte ſua ſe legibus alligatum. Nec immeritò Princeps dicitur viua lex: non ſolùm quia leges ferendi ac interpretandi, &, ſi opus ſit, ſoluendi, & in iis diſpenſandi, poteſtatem habet; ſed etiā quia lex per ſe mortua eſt, niſi ille tamquam anima legis exēplo ſuo vitam ei inſpiret. Hæc eadem prudentia docet Principem, ſic vni prodeſſe, alteri vt non obſit; & vt beneficium quod in vnū cōfertur, graue non ſit alteri, nec in eius iniuriam cedat. cùm enim iniuria diutius in pectore hominis hæreat, quàm beneficium acce-

Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 6.

L. Digna vox. C. de legib.

acceptum; & paratior ſit ad vlciſcendum, quàm ad gratias pro beneficiis agendas: hinc fit, vt, qui benignitatem expertus eſt, obliuione deleat; qui iniuriam, apud ſe perire non ſinat, ſed (ſi poteſt) vindicare conetur. Monet præterea, conſideret vt Princeps quantùm fidere debeat Principi conciliato, tum vt amicitiæ reſcindendæ cauſſam non det ipſe, tum vt ſtatum & vitam ſuam in diſcrimen non coniiciat. Idem dictum volo de iis quos aliquando graui iniuria aut ignominia (etſi adminiſtros) affecerit: caſus enim miri & horrendi contigere non rarò, dum immemor iniuriæ qui eam intulit, mordicus reſeruat qui accepit. Admonet etiam, ne magni excelſique animi eſſe putet, res exiguas & parui momenti aggredi, nihilque intentatum relinquere, ſed, quæ facturus eſt, reipub. commodo & difficultate metiri: & ne ſibi perſuadeat magnanimitatis eſſe à cœptis non deſiſtere, cùm res exigit vt vela vertat, funemque reducat, ſuſceptæque expeditionis iacturam patiatur potiùs, quàm extremam perniciem & ruinam. Vt enim timiditatis eſt, non vrgere quod inceperis, cùm id ratio poſtulat: ſic temeritatis eſt, receptui non canere, cùm eadem ratio ſuadet. Telum enim fortiſſimum eſt neceſſitas, cui obſiſti non poteſt; & quæ excuſat, quod alio modo defendi non poſſet. Pertinacia Caroli Burgundionum Ducis

Comin. in hist.

cis in continuanda obſidione Nanceiana, exitio illi fuit: & noſtra memoria Lautrechij ad Neapolim obſtinatio cladem illi & ſuo exercitui attulit. Contrà verò Alexander Magnus, cùm Tyrum vrbem quatuor menſes fruſtra obſediſſet, inertis & abiecti animi non credidit, iiſdem condicionibus reuocationem paciſci, quas à ciuibus oblatas, priuſquam vrbem circumſederet, ipſe reſpuerat: quamquam iam inſolentior ciuitas eas reſpuit, ideoque direpta fuit, & euerſa. Et Ferdinandus Daualus, Piſcariæ Marchio, ab obſidione Maſſiliæ deſtitit, præclaro illo ac decoro in Italiam receptu, quem ipſemet ſuis omnibus bellicis facinoribus, quæ multa edidit, & præclara, longè anteponebat. Ad hæc preſcribit eadem prudentia, vt tam deliberatè & conſultè ſua tranſigat, nemo vt iure reprehendere poſſit; at ſi quis prudenti conſilio facta iniquè eleuet, contemnere: nam vulgus beſtia eſt multorum capitum, nec poteſt noſſe cauſſas quæ ad agendum Principem permoueant; & licet eas perſpectas haberet, Principis tamen & hominis priuati iudicia adeò ſunt diuerſa, rationeſque rerum intelligendarum in eo qui tamquam ſupremus architectus eas tractat, & qui à longè tantùm videt, aut tamquam inferior opifex manum admouet, ita diſcrepant inter ſe, fieri vt non poſſit, quin in vtriuſque animis diſſimiles notio-

F. Guicciar. lib. 19.

In eius Vita, lib. 4. c. 10.

notiones gignant. Quod de iudiciis dico, de voluntatibus etiam dictum volo: quas debet bonus Princeps flocci facere, cùm in odium sceleratorum incurrit, qui eum tamquam iudicem & scelerum vindicem intuentur; procuret verò vt proborum & cordatorũ hominum opinione commendetur. Intelligat etiam Regum proprium esse, (vt dicebat Alexander Magnus) malè audire, cùm bene fecerint; &, vt Augustus Imperator ad Tiberium successorem suum scripsit, regiam magnitudinem in eo non esse, vt nemo de eo malè loquatur, sed ne quis ei malè facere possit. Docet præterea prudentia, vt ampliores magistratus atque imperia iis tantùm credat, quorum virtutem perspectam & multis experimentis cognitam habet; vtque peruigil eos in officio contineat: nam in homine multa sunt inuolucra, multa explicanda & excutienda, antequam totus perspiciatur; & vt cætera omnia mutationi sunt obnoxia, sic & hominis animus maximè cum magistratu & imperio mutari solet: neque qui aliqua in re officio suo satisfecerit, continuò in omnibus satisfacit; nec felices exitus semper respondent bonis laudandisque principiis. Qua de caussa expedit vt in admiñistris obseruãdis, iis maximè qui maiores magistratus obtinent, aduigilet Princeps, & (licet omnium dictis fidem non habeat) benignè tamen audiat,

Plutarch. in Apophtheg.
Sueton. in Oct. August. cap. 51.

veritatis explorandæ caussa, qui de illorum iniuriis conqueruntur, remque totam indagare & in lucem proferre conetur; vt, si grauem culpam admiserint, palàm puniat; si leuem, clam reprehendat; aut, si per calumniam falsò fuerint accusati, delatores ipsos, prout res postulauerit, aut suppliciis afficiat, aut verbis castiget. Cũ enim iustis subditorum querelis contra Gubernatores aures non præbet, non solùm officium suum non facit, verùm etiam ipsi Magistratus & ciuitatum ac prouinciarum rectores liberiùs dominantur; & subditorum animos occupat desperatio, cùm vident suas querimonias respui, & iniurias non vindicari. Docet insuper eadem prudẽtia, ne Princeps patiatur diutius in magistratu esse, quem certò scit in eo malè se gerere: nam ignaui est & abiecti animi, & frequenter culpa non vacat, illum officio non abdicare; retinere verò non optimè affectum, est ei ansam præbere ne magistratum rectè administret, & vt subditi ei non obediant, nec debitum honorem exhibeant. Propterea dissimulandæ sunt noxæ, si leues sint; aut si grauiores, & res id exigit, Præfectus officio priuandus, & in eius locum alius substituendus, data quæ expediat auctoritate. eiusmodi enim auctoritas magnum pondus habet, & instar freni cuiusdam est, vt ei populus obsequatur, & vt ipse munus suum integre obeat.

Hoc

Tarcagnot. p.3 l.5. Hoc Carolus V. augustæ memoriæ præstabat: qui hoc nomine laudatur, quòd ministrorum suorum auctoritatem magna cura tueretur. Hæc ipsa prudentia docet, vt legationis munus sapientibus & intelligentibus demandetur, qui Principis sui maiestatem & amplitudinem repræsentent, negotia sibi commissa forti & miti animo gerant, & difficultatibus, quæ sese offerunt, superatis, ad optatos exitus perducant, quique magis internuntij sint & angeli pacis, quàm faces & irritamenta dissensionum, ex quarum scintilla sæpenumero magnum excitatur incendium. Docet etiam, vt in eligendo exercitus Duce virtutem potiùs ac fortitudinem quàm familiæ splendorem ac nobilitatem spectet: nam, vt sapienter dixit Leo Imperator in libro suo de bellico apparatu, *Quemadmodum animantia omnia ex moribus illorum & actionibus exquirimus, vtrùm generosa sint, an inertia: sic & hominum nobilitatem non ex maiorum laude, sed ex suis ipsorum actionibus & rebus gestis æstimare oportet.* Hæc tamen quando cum nobili & illustri genere iungitur, splendet magis, sicut in auro emblema inclusum; & soli nudæque virtuti anteponenda est, quemadmodum dixi in eo Capite, in quo de iustitia distribuente actum est. Denique monet prudentia, ne vmquam duos Duces competitores eidem exercitui præficiat: namque, vt experientia

Leo lib. 2. c. 32. p. 464.

docuit,

docuit, ex priuato odio, inuidia, atque ęmulatione Ducum, maxima damna emerſerũt, factumq́; eſt vt rei bene gerendæ occaſio amitteretur. Deus vnus hanc rerum vniuerſitatem regit, vnus Sol in cælo lucet, Rex vnus regnum gubernat, in quauis domo eſt vnus paterfamilias: ſic ergo vnum Imperatorem oportet eſſe, qui ducat exercitum.

CAP. XXXIII.

Qua ratione acquiratur prudentia.

TOT ſunt regulæ & documenta prudentiæ Principibus obſeruanda, vt omnia ſcriptis mandari nequeant: & quantũuis multa adferrentur, plura tamen dicenda ſupereſſent: parumq́ue vtilitatis conferrent, niſi Princeps ingenita polleret prudentia, & ea quam Dominus noſter humiliter petẽtibus communicat. nam pro certo Dei donum eſt prudentia, & quam quis difficulter addiſcat: tot enim peculiares caſus, tam multiplicia & varia, quæ verè prudenti conſideranda ſunt, quamlibet actionum, vt rectè inſtituatur, circumſtant, nullis vt regulis comprehendi poſſint: & ſi aliquæ vtiles ſint, eæ quas adduximus, aliæq́; ſimiles, (vti ſpero) non erunt incommodæ. Quòd ſi qua ratio eſt addiſcendæ prudentiæ, (præter ea quæ ſuprà diximus) hanc eſſe puto, vt homo ſibi non fidat, neque ſuæ pru-

dentiæ innitatur, sed in consilium fidos ac prudentes viros adhibeat, diemq; ex die deducẽdo successus rerum suarum obseruet & annotet, atque etiam errata quæ Princeps (homo enim est) committit; in memoria seruet, vt ex his documenta accipiat, & sapere discat. Nihil enim est quod nos instruit magis, & prudentiores reddit, quàm rerum earum quas ipsi agimus, & quasi manibus tangimus, experiẽtia, & accurata librorum à sapientibus viris scriptorum lectio, in quibus plurima ad imperij regimen ac salutem vtilissima præcepta reperiuntur. quos libros Principibus attentè & magna cura legẽdos esse, iterum moneo: nam eorum auctores, cùm iam vita sint functi, syncerè & absque assentatione aut fuco veritatem aperiunt; quam ij qui sunt in viuis, licet amicissimi, plerumque solent occulere. Quod consilium Demetrius Phalereus Ptolemæo Ægyptiorum Regi dedit: & Basilius Imperator in ea institutione, quã filio suo reliquit, his verbis illũ alloquitur: *Per historias veteres ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore, quæ alij cũ labore collegerunt; atque illinc hauries & bonorũ virtutes, & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuersiones. mũdi huius instabilitatem, & imperiorum præcipites casus, &, vt verbo complectar: malorum facinorũ pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugias, ne in diuinæ iustitiæ manus incidas; hæc amplectaris,*

Cap. 56. Lips. in notis lib. 1. de Rep. c. 9.

ſtatis, vt præmiis, quæ ea comitantur, potiaris. Hæc ad filium ſuum ſapiẽtiſſimus Princeps, edocens illum quid vtilitatis ex hiſtoria decerpere poſſet. Alphonſus etiam Rex Neapolitanus mirificè laudatur, quòd in legendis audiendiſque hiſtoriis antiquis tempus collocaret, & domi haberet ſummos Oratores, & homines litteratos. Caput hoc claudam, vbi dixero inter prudentiæ regulas & illam eſſe, vt quiſque prudentiæ ſuæ modum ponat: quidam enim ſic omnia circumſpiciunt & mente agitant, vt immodicam prudentiam habere videantur, nec in rebus agendis certum quidquam, quod ſequantur, conſtituant. cùm enim vtrimque tot rationes videant, & ſiue ad rem aggrediendam, ſiue ab ea deſiſtendum, tot incõmoda conſiderent; fit vt huc & illuc fluctuent & impellantur, & tamquam in labyrintho ſuæ deliberationis exitum reperire non poſſint. Hæc autem etſi videatur prudentia, tamen non eſt, ſed quædam firmi conſtantiſque iudicij ex condicione peculiaris naturæ & deſiderio non errandi nata defectio. Nam vera prudentia docet, nihil eſſe in rebus humanis, quod incommoda ſua nõ habeat; & quod pauciora habet, id eligendum. lumen etiam præbet, vt videamus in quo minus ſit incommodi, & ad hoc eligendum & exſequendũ vires impertit. Quæ cauſſa eſt cur Spiritus diuinus dixerit, *Pru-*

Hieron. Surita lib. 16. cap. 4.

Prou. 33. *dentiæ tuæ pone modum.* Cùm enim cęteris virtutibus modum definiat; indecens est, modum finemque non tenere. Et ne huic nostræ de prudentia tractationi hic modus desit, eã hoc loco finiam, vt de Pincipis Christiani fortitudine dicere incipiam; in qua reip. vires neruique consistunt.

Cap. XXXIV.

De fortitudine Christiani Principis, & quid de ea tradat Machiauellus.

POSTREMA Christiani Principis virtus est fortitudo, de qua in Capitibus insequentibus verba facturi sumus. Hác autem postremam voco, non quòd inter alias virtutes vltima sit, sed quòd sit veluti sigillũ & custodia reliquarum, vindex ac defensatrix earum: quæ sine fortitudinis præsidio nudæ sunt, atq; inermes. est enim fortitudo firmissimũ telum, & (vt ait Seneca) propugnaculum & inexpugnabile humanæ imbecillitatis munimentum. Ego verò in vltimum locũ eam conieci, vt paullo fusiùs explicarem. Nam etsi ea, quę Machiauellus de Religione docuit, impia; quæ de aliis Principis virtutibus tradit, à veritate aliena & reipub. sunt perniciosa, (vt ostendimus) tamen quæ de fortitudine tradit, stulta sunt prorsus, & delira. At Machiauelli verba, quibus de fortitudine loquitur, hæc sunt, ex Hetrusco sermone in Latinum fideliter versa: *Cogi-*

Lib. 2. c. 2. Discur. in Tit. Liu.

tanti

tanti mihi vnde acciderit vt olim magis quàm nunc homines cupidi essent & amantes libertatis, incidit id oriri ex illa ipsa caussa, quæ nunc minus fortes ac robustos efficit; quam ego credo institutionẽ nostram esse, ab antiquorum educatione diuersam; quæ ex Religionis diuersitate nascitur. Cùm enim Religio nostra veritatem & rectam ac veram viam nos docuerit, (his & similibus verbis vtuntur Politici, vt decipiant meliùs) *fit vt humanum honorem minoris æstimemus, quem cùm tanti fecerint Ethnici, vt pro summo suo bono ducerent, eorum actionibus maior inerat vis & ferocitas.* Atque hanc doctrinam tribus rationibus corroborat. Prima, quoniam Ethnici in sacrificiis multis illis & sollemnibus victimas mactabant sanguine cruentas, & adspectu horribiles: quarum intuitu homines feroces animos induebant, & rebus oculis subiectis persimiles. Altera, quia veterum Religio felices solos arbitrabatur magnos & potentes viros, & Duces exercituum, Principes, & qui aliis dominarentur: at Christiana Religio felicitatem in humilitate, animi demissione, & paupertate constituit. Tertia, quoniam, etsi Religio Christiana à nobis fortitudinem exigat, tamen moderationem & in acceptis iniuriis patientiam magis requirit. Tandemque ita concludit: *Hæc igitur vitæ ratio videtur debilitasse, ac, sublata animi magnitudine, orbem terrarum eneruasse, eumque improbis*

hominibus impunè ac pro animi libidine diripiendum diuexandumq́; tradidisse. Hæc sunt quæ de Christiana fortitudine docet Machiauellus. Sed vt magis appareat stulta impietas & impia stultitia infelicis magistri ac ducis Politicorũ nostri temporis, principiò illud ponendũ est secundùm Platonis, Aristotelis, Ciceronis, S. Ambrosij aliorumque grauissimorum auctorum doctrinam & veram philosophiam, fortitudinem, de qua loquimur, non esse robur ac firmitatem corporis agrestem, vastam, & immanem, quæ inest nonnullis robustis, neruosis, atque lacertosis hominibus; qualem habuerunt Hercules, Milo Crotoniates, & alij qui maximis membrorum viribus præstitere. Deinde, non esse animum audacem & temerarium, qué in aliquibus cernimus, qui non perpendentes an, quod attentant, æquum vel iniquum sit, honestum vel turpe, debitum vel non debitum, periculosum aut tutum, furioso quodam impetu insanaque temeritate abrepti, res labore periculoque plenissimas adoriuntur, & eam, quæ reuera temeritas est, fortitudinem putant. quæ si vera fortitudo & virtus esset, eam aquè, aut etiam meliùs, leonibus, tigribus, rhinocerotibus, aliisq; animalibus feris, ac hominibus concederemus; quib⁹ vires maiores, minor metus, & vehementiori impetu imperterritè hostem inuadunt. Sed nobis sermo est de for-

fortitudine quę in virtutibus moralibus numeratur, & virum fortem munit, vt vano timori obsistat, & audaciam nimiam moderetur, & res difficillimas adeat, in quibus vitæ sit periculum, & dura aduersaque forti constãtiq; animo perferat. Hæc verò omnia faciat quando & quomodo opus est pro Dei honore, pro Religionis defensione, pro patrię salute. Eiusmodi fortitudinem virtutem dicimus: quam verò depingit Machiauellus, nec est nec vocari potest fortitudinis virtus, sed barbara potiùs & inhumana feritas. Atque hanc veritatem solo naturæ lumine Ethnici cognouerũt. Plato enim dicit, inueniri multos magnis viribus tamẽ iniustissimos, profanissimos, intẽperantissimos, & imperitissimos: quę vitia inesse nõ possunt ei, qui vera fortitudine præditus est. & alio in loco affirmat, in paucis admodum fortitudinem & prudentiam reperiri, ferocitatẽ verò & audaciam metu carentem in multis. Cicero de fortitudine agens, *Ea*, inquit, *animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, si iustitia vacat, pugnatq; non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est.* Itaque *probè definitur à Stoicis fortitudo, cùm eam virtutem esse dicunt propugnantem pro æquitate.* & paullo pòst addit: *Præclarum igitur Platonis illud: Non solùm (inquit) scientia quæ est remota à iustitia, calliditas potiùs quàm sapientia est appellanda: verùm etiam animus paratus ad periculũ, si*

Lib. 17. in Protag. siue cõt. Sophist.

In Lachete.

Cicer. lib. 1. Offic.

Plato in Men.

 sua

sua cupiditate, non vtilitate communi, impellitur, audaciæ potiùs nomen habet, quàm fortitudinis. Idem Aristoteles, S. Thomas, & quotquot de hac materia tractant, sentiunt. Illud deinde ponendum; sicut Deus in seipso immẽsum quoddã pelagus infinitarum perfectionum continet, quæ quidem omnes eadem res sunt ac natura, immo Deus ipse, (cùm in Deo præter Deum nihil reperiatur) sic fortitudinem, quæ vna est ex diuinis perfectionibus, infinitam esse, ex eaq; tamquã ex vberrimo fonte manare quidquid fortitudinis & roboris hominibus & aliis rebus creatis inest. Nam vt nulla natura est, quæ esse non habeat à summa illa natura; nec sapientia, quæ ex illa interminata sapientia non deriuetur; nec bonitas vlla, quæ ex immẽsa & ineffabili Dei bonitate non pẽdeat; sic omnis humana fortitudo ac robur est tamquã aquæ guttula, quæ ex vastissimo illo omnis fortitudinis fonte Deo profluit; *qui* vt ait Iob, *sapiens corde est, & fortis robore; apud quem* (vt alibi idem ait) *est sapientia & fortitudo: cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo curuãtur qui portant orbẽ.* & passim alibi mira de immensa, & quæ cõprehendi nõ potest, Dei fortitudine dicit. & regius Vates, *Omnia,* inquit, *quæcũque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Quare per Ieremiam Dominus de seipso loquens, *Ego,* ait, *feci terram, & homines, & iumenta quæ*

Arist. lib. 3. Ethic. c. 6. 7. 8. & 9.
Thom. 2. 2. q. 123. articulo. 6.
Iob. 9.
Iob. 12.
Iob. 9.
Psal. 134.
Ierem. 27.

quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento: & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. & in Deuteronomio *Deut. 8.* populum suum sic affatur: *Ne dicas in corde tuo; Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum.* Quod cum gratiarum actione recognouit Dauid, cùm diceret; *Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam; qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me; qui docet manus meas ad prœlium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea.* *Psal. 17.* Eadem ratio Iobum permouit vt diceret; *Pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me* *Iob 17.* Nam præsente & propitio Deo nihil est timendũ, & sine eo omnis creata f rtitudo concidit, & quasi stupea flamma euanescit. Illud autem Dei fortitudinem maximè declarat, quòd ad terrendam, puniendam, deprimendam arrogantium Principum insolentiam, & ad fundendos atque delendos validissimos exercitus, vilissimis ac debilissimis animantibus tanquam instrumentis vtitur, & vel ranæ, muscæ, culices, & aliæ sordidæ bestiolæ, vilissimaque animalcula (cùm adlibuerit) satellites, tortores, ac vindices sunt eius, ad debellandam vniuersi orbis potentiam. *Exod 8. 9. & 10.* Si ergo fortitudo virtus est, quis erit fortior; amansne virtutis, an eiusdem osor? bonusne, an

 malus?

malus? Si eadem est cœleste donũ, (vt sunt cæteræ virtutes) quibus, obsecro, maiori liberalitate hanc communicabit, amicisne an inimicis? iisne qui ipsum agnoscunt & amant, an iis qui ab illius cognitione & amore auersi sunt? iis qui Deo pro sua virili seruiunt, an iis qui fortitudinẽ, quam accipiunt à Deo, ad ipsum Deum oppugnandum conuertunt? Ethnicisne, qui lignum, argillam, & simulacra, opera manuum suarum, cultu diuino prosequuntur; an Christianis, qui rerum omnium effectori reuerentiam & obsequium exhibent, eumq́ue tanquam summum & vltimum bonum suum agnoscunt? Ex quibus necessariò colligitur, Christianos Ethnicis fortitudine longo interuallo præire: quin etiam illud consequitur, veram fortitudinem in Ethnico Principe esse non potuisse, licet robustus & fortis videretur; & hanc aliasq́ue veras & solidas virtutes in solis Christianis esse & posse reperiri, vt primo Capite posterioris istius Libri ostendimus.

CAPVT XXXV.

Expenduntur rationes Machiauelli.

SED expendamus rationes, quibus Machiauellus probare conatur, Religionem Christianam homines eneruasse, & ex orbe terrarum animi magnitudinem & militarem vigorem sustulisse: quæ tantum absurdita-

ſurditatis continent, vt mirer eſſe quemquam ſapientem qui prudentiæ laudem ei tribuat, & eius dogmata ſequatur. Prima igitur eſt, quoniam Ethnici multis & magnificis ſacrificiis vtebantur, in quibus victimas immolabant ſanguine cruentas, & adſpectu horribiles; quarum intuitu animoſiores ac ferociores reddebantur: quibus caret Religio Chriſtiana. An, quæſo, vlla vſquam par huic fatuitas atque ineptia? Quid enim ſimilitudinis eſt animalium cædibus & cruori cum vera fortitudine? quid animo fero & crudeli, qui hoſtiarum ſanguine & pecudum cæde paſcitur, cum animo forti & excelſo, qui rationis imperio paret, morti ſe offert, eamque amore virtutis ſubit? Si pecudum carnificinam conſpicere ſatis eſſet ad ingenerandam in hominum animis fortitudinem, profectò nulli fortiores & valentiores laniis eſſent, qui quotidie animalium ſanguine manus tingunt. Deinde, ſi ſpectare animalium cædes & cruenta ſacrificia animi fortitudinem procrearet, multo magis id efficeret iis ſacrificiis intereſſe; in quibus homines immolantur. Itaque plus animi & fortitudinis ineſſet iis gentibus, quæ viros ac fœminas immolant, & ſuis manibus Diis plures hoſtias & magnificentiores victimas cædunt; vt faciebant Ethnici in noua Hiſpania & Peruana regione, & aliæ efferatæ ac bar-
barææ

baræ nationes, antequam ſuauiſſimũ Chriſti Liberatoris iugum & Euangelij ſacrũ lumen admiſiſſent. Quàm crudeles, quàm immanes, quàm feri ac barbari erant illi ſimulacrorum cultores, cùm ignorantiæ ſuæ tenebris iacerent immerſi! quantum ſanguinis innocentium puerorum, virginum delicatarum, robuſtorum adoleſcentum, & omnis generis hominum effundebant! quanto ſanguine madebant aræ ac delubra dæmonum! quàm palpitabant euulſa hominũ pænè emortuorum corda! qui tanto numero in conſpectu omnium immolabantur, vt interdum in Mexicana ciuitate quinq; millia cæderentur, aliquando etiam in diuerſis locis vicena millia mactarentur, vt teſtatur
Lib. 5. c. 21. Ioſephus Acoſta, è Societate noſtra, in hiſtoria naturali & morali Indiarum. & tamen illarum regionum incolæ non ideo fortiores erant, quòd tantam hominum carnificinam cernerent, cùm pauci Hiſpani vicerint ac ſubegerint infinitam multitudinem Indorum, qui in huiuſmodi ſacrificiis educati, ſanguine ſe totos cruentabant, & fratrum ac liberorum ſuorum cædibus paſcebantur. Altera verò ratio, tametſi maiorem probabilitatis ſpeciem præ ſe ferat, languet nihilominùs, & minùs eſt firma. licet enim præmij ſpes magnus ſtimulus ſit ad ſubeundos labores, & felicitatis opinio valdè moueat & impellat hominem ad vitam pro honore &
gloria

gloria periculis exponendã;&Religio Christiana doceat, contemnendam & euanidam prorsus esse, quam homines terrenis rebus addicti felicitatem appellant, nostramque beatitatem collocandam in paupertate voluntaria, & gloriæ contemptione, (vt dicit Machiauellus) hinc tamen non efficitur, in illius argumento aliquid põderis inesse;immo contrarium planè colligitur.nam si præmium incitamentum est, quo impulsi homines labores & pericula subeunt, & præclaras actiones forti animo dignas suscipiunt: certè præmium maius magis impellet, & præmium maximum maximè incitabit. Quamnam igitur mercedem sperat pro rebus quas strenuè gesserit fortis constansque Christianus? Sanè non honores, non opes, non equestrium ordinum insignia & ornamenta, non fructus, non sacrum vectigal, non vanam & popularem gloriam, non imperia & principatus, non deniq; aliquid ex iis quæ licet virtutis studiosis tribui debeant, non sunt tamen digna virtutis præmia. Hæc enim omnia fragilia sunt, & caduca, & cum vita hominis, quæ breuissima est, exspirant. Is autem, de quo nobis sermo est, verè fortis & magnanimus, tam humiles & abiectos fines non spectat, nec vitam suam tam parui pendit, vt eam pro rebus tam vilibus venalem exponat. Deum igitur tanquam principium & finem suum intuetur;

& cer-

& certò sibi persuadet, eundem Dominum, cuius concessione tantam fortitudinem accepit, præmium & mercedem suam esse. Idcirco animosus est in arduis aggrediendis, fortis & constans in laboribus sustinendis, morteque ipsa perpetienda. scit enim, eum, qui pro virtutis defensione in libello iusto cadit, vitam non amittere; neque, cùm animam profundit, mori potiùs dicendum esse, quàm viuere, & quidem vitam felicem, & omnibus bonis affluentẽ, & quæ in omnem æternitatẽ perdurabit. An potest præmium cum præmio, & merces cum mercede conferri? an incerta felicitas & gloria quam sperat à Principe vel Repub. miles vel Dux belli Ethnicus, cum certa & tuta spe quam à diuina benignitate exspectat fortis & Christianus miles? Quis lubentius vitam pro patria fundet, miles profanus, qui à morte & rogo nihil superesse putat; an Christianus, qui mortem suam verissimæ vitæ credit esse principium? illene qui temporaria & incerta præmia à suo Principe sperat, an is qui cũ his etiam æternæ mercedis spem propositam habet? Et vt præsentia maximè moueãt, & ad se mortalium animos trahant, verus tamen Christianus, fidei lumine collustratus, etsi, quod sperat, oculis non videt, tamen eius non minùs certam ac tutam spem habet, quàm si visu cerneret; & eius consequendæ gratia labores mortemque adeò ipsam sustinet,

ſtinet, quàm ſi præ manibus & ante oculos poſitum haberet. Druidæ (vt teſtis eſt Iulius Cæſar) Gallis perſuadebant, vnà cum corporibus non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem ad alios transferri: qua tranſitione, tametſi falſa, ad fortiter audendum excitabantur, mortis metu neglecto, exiſtimantes mortem tranſitum eſſe tantùm quendem. Si ergo hæc ſtulta & inanis perſuaſio audaces reddebat Ethnicorum animos, & ad animosè & fortiter aliquid faciendum impellebat; quanto plus virium habebit certa ſecuritas qua Chriſtianus alteram poſt mortem vitam ſupereſſe credit, & ſempiternam beatitudinem exſpectat! Quid iam dicam de tertia ratione Machiauelli, qua putat patientiam & animi moderationem, quam nobis Religio Chriſtiana præſcribit, fortitudinis neruos præcidere, & illius mucronem retundere? in quo, vt & in cæteris, fallitur vehementer: nam, vt Ariſtoteles & D. Thomas ſapienter docent, veræ fortitudinis duæ ſunt partes. altera in aggrediendis periculis verſatur, in ſuſtinendis altera: atque in hac poſteriori potiùs, quàm in illa priori, munus & officium fortitudinis (iiſdem auctoribus) eſt poſitum. Quæ cùm ita ſint; quo pacto affirmat Machiauellus, maiorem in idololatris quàm in Chriſtianis fortitudinẽ propterea reperiri, quòd Chriſti diſciplina à nobis magis patientiã quàm fortitudinẽ exigat?

Libro 6 de bell. Gallico.

exigat? an non hæc ignoratio est & inscitia? si enim potior & excellentior fortitudinis pars est, perpeti & perferre; profectò qui æquiori animo plura perfert & sustinet, eum fortiorem esse cõsequens est, quoniam munus fortitudinis præstantius atque difficilius exercet. Itaque secum hęc pugnant, aliquem patientem esse, & eundem non esse fortem; & in Christi Ecclesia nõ esse viros strenuos, quòd in ea sint tolerantiæ laude præstantes. Lex Euangelica vult nos mansuetos, patientes, & tolerantes esse, inimicos nostros diligere, benefacere his qui oderunt nos: non tamẽ ideo tollitur aut minuitur vigor Christianæ fortitudinis, quæ virtus est, & principalis quidem virtus, sicuti etiam sunt mansuetudo, patientia, æquanimitas, & omnium maxima caritas, per quam ex diuino præscripto beneuolentia & amore prosequimur eum, qui nos odit & iniuria afficit. Cùm ergo hæ omnes virtutes sint, pugnare inter se non possunt: quin etiam virtutes omnes ita iunctæ sunt, vt earum nulla à cæteris diuulsa & segregata perfecta reperiatur, quemadmodum sapientes Philosophi & sanctissimi Ecclesiæ Doctores probant. Itaque perfecta fortitudo & animi cõstantia absque patientia, æquanimitate, mansuetudine, cæterisq; virtutibus, quas sanctissima Christi Domini & Seruatoris Lex nobis præscribit, haberi non potest, quia inter se pugnant, etiamsi

pugna-

pugnare videantur. Mansuetudo ergo & tolerantia virtuti fortitudinis non aduersantur, (vti iam diximus) immo verò nemo potest verè fortis & magnanimus esse, (si quidem sermo sit de fortitudine quæ virtus est) nisi patiens sit; & clemens: clemens in iniuriis, in laboribus ac doloribus patiens, fortis & animosus in aggrediendis rebus arduis, quæ etiam periculum vitæ secum trahunt; & in aduersis ac difficultatibus, quæ occurrũt, propulsandis: quæ omnia subeat ob defensionem diuinæ Legis, patriæ amorẽ, in multos benignitatem, Religionis sanctæ conseruationem & amplificationem, & aliã quamuis actionem honestam, & à virtute profectam. Idcirco lex quædam Partitarum, docens nobiles viros bene moratos esse oportere, ait, hoc aliud nihil esse, quàm *vt sint partim fortes & animosi, partim mites & humiles.* *Magna enim est virtus*, (inquit D. Isidorus) *si non lædas à quo læsus es: magna fortitudo, si læsus remittas: magna gloria, si, cui potuisti nocere, parcas.* Quis fortior fuit ac mitior Moyse? Quis lenitatem ac mansuetudinem cum forti inuictoque animo meliùs iunxit Dauide? Horum enim omnium maxima argumẽta præbent venia Sauli data; prostratus Goliath gigas; gemitus & lamentatio filij Absalomi interempti, qui tamen regnum & vitam illi eripere conatus fuerat; vrsus & leo à pæne puero magno animi & corporis robore interfecti;

Partit 2. tit. 21. l. 7.

In Soliloq.

terfecti; Semei maledicta tam patienter tolerata; Philisthæis terror & pernicies illata, Oportet certè Principem fortem esse, simulque clementem & benignum, vt mansuetudine amorem sibi conciliet, fortitudine terrorem iniiciat, benignũ in bonos, obedientes, imbecillos, seuerum in contumaces & superbos, facilem ac mitem in suis, acrem ac seuerum in Dei iniuriis vlciscendis. Atq; hęc cognouerunt & docuerunt ipsi etiam Philosophi & sapientes Ethnici, referuntque admiranda suorum Principum exempla, qui cùm leonum instar in hostes armatos irruerẽt, in subiectos ac humiles eximia benignitate, in ferendis iniuriis admirabili patientia fuerunt: quarum virtutum laudẽ verbis magnificis omnis antiquitas illis tribuit etsi reuera imago tantùm & vmbra quædam virtutum essent. Romanorum etiam hoc erat insigne & ornamentum: *Parcere subiectis, & debellare superbos.* Denique Plutarchus, Alexandrum Magnum laudans, dicit virtuti eius militari humanitatẽ, & fortitudini mansuetudinem adiunctam fuisse.

Orat 1. de fortit. Alex.

CAP. XXXVI.

Similitudo Christianæ Religionis cum Christo, & quibus oculis intuenda.

TOTA ratio cur Machiauellus & alij Politici tam abiectè de Christiana Religione loquãtur, ea est, quòd impuris ac lip-

pis oculis, non autem ſanis, illam intueantur. Nã diuinæ lucis radius quidã eſt Chriſtiana Religio, Chriſti Sponſi ac Domini ſui viuum exemplar, & perfectiſſimè expreſſa imago. Vt enim Iudæorum ac Gentilium oculis Chriſtus videtur humilis, contemptus, & abiectus, quoniam ſolam externam hominis nudi & fixi in cruce, ac pro peccatis noſtris ſummis ignominiis affecti, ſpeciem contemplantur; & imbecillitati ac ſtultitiæ tribuunt, quod de tam inexplicabili myſterio Catholica fides tradit: ſic iidẽ Chriſtianam Religionem rident; propterea quòd ſectatores ſuos docet rerum harum inferiorum & caducarum contemptum, humilitatem, manſuetudinem, vt pro iniuriis beneficia reponant, inimicos ament, offenſiones benefactis vlciſcantur; &, quæ in cortice latet, medullam non intuentur. At fidelis & verus Chriſtianus, qui puris oculis, & fidei ac cœleſtis lucis ſplendore colluſtratis, agnoſcit & profitetur, hominem illum, qui pro noſtris ſceleribus vitam in cruce poſuit, verum DEVM eſſe, ac rerum omnium auctorem & Dominum, in morte vitam, gloriam in dedecore, in ſtultitia ſapientiam Dei, in hac infirmitate, quæ exteriùs mortalium oculis obiecta eſt, fortitudinem reperit. Idcirco dicebat S. Paulus: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis* 1. Cor. 1.

Iudæis ac Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Idem ergo de Chriſtiana Religione ſentio. nam ſi oculos coniiciamus tantùm in eam animi demiſſionem & manſuetudinem quam profitetur; ſi fragilium omnium rerum deſpectionem quam docet, odium & contemptionem ſui quam à nobis exigit, conſideremus; & in his exterioribus gradum figentes, non vlteriùs progrediamur: profectò in eandem cum Machiauello delirationem & ineptias incidemus. Quòd ſi fidei luce & cœleſti radio illuſtratis oculis in abditum illud ac regium tantæ Reginæ palatium penetremus; ſi quæ in eo latent occultiſſima myſteria perpendamus; ſi opes ac theſauros illius, ſi gemmas ac lapides pretioſos quos poſſidet, ſi admirabilem huius regiæ ordinem & apparatum, ſi denique magnitudinem & maieſtatem diuini cultus qui Deo hęc in domo exhibetur, attentè inſpiciamus: tantarum rerum admiratione magis obſtupeſcet & deficiet animus noſter, quàm
3.Reg.10. olim Reginæ Sabæ, dum Salomonis regiam conſpexit; dicemusque nullius momenti eſſe quæ auditu percepimus, præ iis quæ mentis oculis cernimus. Hæc ideo dixi, ne ingenij noſtri tenuitate ac infirmitate cæleſtem doctrinã metiamur, ſed ea luce, quã illa ipſa nobis cõmunicat, & iuſtiſſima trutina expendamus, quod captum noſtrũ tanto interuallo excedit. Nam etſi carbunculus, vel

vel adamas magni pretij ab agresti quopiam & rustico parui fit, quòd ab illo non cognoscatur; non idcirco quidquam de valore deperdit apud mangones, vel gemmarum æstimatores, qui norunt, & in pretio habent. Hæc veritas adeò illustris est, & firma, vt vel Ethnicis ipsis aliquis quasi radius affulserit. Socrates enim apud Platonem docet, nulla ratione (quidquid vulgus affirmet) licere grauiter ferre aut vlcisci iniurias. *Neque vlcisci decet*, inquit, *neque malefacere cuiquam hominum, quodcunque ab alijs ipse passus fueris.* Laudāt antiqui scriptores Lycurgum; quòd adolescentem quendam, qui illi vulnus inflixerat, oculum baculo excusserat, à supplicio liberatum veniaque data in domū suam duxit, &, philosophiæ præceptis instituens, ex perdito adolescente ciuem optimum effecit, Phocionem etiam celebrant, quòd ab Atheniensibus, de quibus optimè meritus erat, crudeliter & non absque ingrati animi nota capitis damnatus filio præceperit vt hāc iniuriam obliuione deleret. Quin & Seneca mirificè commendans incredibilem Augusti Imperatoris clementiam, bene conuenisse illi dicit nomen patris patriæ, quòd contumelias quoque suas (quæ acerbiores Principibus esse solent quàm iniuræ) nulla crudelitate exsequebatur, sed moderatè ferret; quòd probrosis in se dictis arrideret; quòd dare illum pœnas appareret,

Plut. in Critone.

Plutarch in Lycurgo.

Plutarch. in Phoc. & in Apophth.

Senec. lib. 1. de clement. cap. 10.

cùm exigeret. Cicero verò summis efferens laudibus Iulium Cæsarem, quòd singulari clementiæ significatione Marco Marcello, acerrimo suo inimico, pepercerat, hoc illius factum sic extollit, vt cæteris eiusdem præclarissimis gestis anteponat. *Nullius*, inquit, *tantum est flumen ingenij, nulla dicendi aut scribendi tanta vis tantaq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit: tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorē, quàm eam, quam hodierno die consecutus es.* Quod duobus confirmat argumentis. Alterum est: *Quoniam in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multū iuuant, maximam verò partem quasi suo iure fortuna sibi vindicat, &, quicquid est prosperè gestum, id pæne omne ducit suum. At verò huius gloriæ, C. Cæsar,* (ait) *quam es paulo antè adeptus, socium habes neminem: totum hoc, quantumcunque est (quod certè maximum est) totum est, inquam, tuum: nihil sibi ex ista laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiā illa ipsa rerum humanarū domina fortuna in istius se societatē gloriæ non offert; tibi cedit, tuā esse totam & propriam fatetur.* Alterum argumentū ex eo ducit, quòd cæterarū victoriarū adeptio facilis esset; res aūt ardua & difficilis, Marcello, infensissimo hosti vitā donare. *Domuisti*, inquit, *gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarū genere abun-*

Orat. pro M. Marcel.

abundantes: sed tamen ea vicisti, quæ & naturam & condicionem, vt vinci possent, habebāt. nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro ac viribus debilitari frangiq; possit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam tēperare, aduersarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem non modò extollere iacentem, sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem; hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico. & paulo pòst: *Et cæteros quidem omnes victores bellorum ciuilium iam antè æquitate & misericordia viceras, hodierno verò die teipsum vicisti.* paucisq; interiectis subdit: *Ipsā victoriam vicisse videris, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti: nam cùm ipsius victoriæ condicione iure omnes victi occidissemus, tuæ clementiæ iudicio conseruati sumus.* Hæc Cicero: quæ consentiunt cum iis quæ Plato scribit, primam & optimā esse victoriam, vt seipsum quis vincat; turpissimum verò & pessimum, vt à seipso vincatur. Congruunt etiam cum respōso quod vnus è septuaginta duobus illis sacrorum voluminū Interpretibus Ptolemæo Ægypti Regi dedit, cùm roganti, quid esset in Regibus difficillimum, dixit, *Seipsum vincere*: & quod affirmat Plutarchus, dum ait, scire iniurias remittere & condonare, non modò humanius & lenius esse, sed etiā fortius. At omniū optimè per Solomonem Spiritus sanctus: *Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore*

Libro 4. de legib.

Aristeus de 72. Interp.

In præcept. polit.

Prouer. 16.

virium. Ex quibus constat, hanc clementiæ & patientiæ rationem non solùm doceri à Christiana Religione, sed ab Ethnicis etiam laudari, & in cœlum efferri; neque veræ fortitudini aduersari, sed veluti genuinam eius esse prolem. Verùm, vt Machiauelli ignorantia apertior fiat, explicandum nobis adhuc est, quanto maior & præstantior hæc fortitudo & constantia in Christianis quàm in Gentilibus exstiterit. Hoc autem liquidius vt fiat, veræ fortitudinis partes exponamus.

Cap. XXXVII.

In quo vera fortitudo consistat.

Lib. 1. Offic. Cicero in libris Officiorum de ciuili fortitudine disputans, *Omnino*, inquit, *fortis animus & magnus duabus rebus maximè cernitur: quarum vna in rerum externarum despiciētia ponitur, cùm persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumq; sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere; nulliq; neq; homini, neque perturbationi animi, nec fortunæ succumbere: altera est res, vt, cùm ita sis affectus animo, vt suprà dixi, res geras magnas illas quidem, & maximè vtiles, sed vehementer arduas, plenasq; laborum & periculorū, tum causa vitæ, tum multarum aliarum rerū quæ ad vitam pertinent. Harum rerū duarū splendor omnis & amplitudo, addo etiam vtilitatem, in posteriore, causa autem & ratio efficiens magnos viros est in priore. In eo enim est*

est illud, quod excellentes animos & humana contemnentes facit. Id autem ipsum cernitur in duobus: si & solum id, quod honestum sit, bonum iudices, & ab omni animi perturbatione liber sis. Hæc Cicero. Aristoteles etiam docet, fortitudinem in duobus cerni; in periculorum susceptione, & laborum perpessione. Itaque ei qui verè fortis & magnanimus est, tria inesse oportet, iuxta horum duorum sapientum sententiam. Primum est, rerum omniũ externarum contemptio; alterum, laborum pro virtute perpessio: tertium periculorum & arduarum rerum susceptio. Quòd si vera est doctrina horum duorum sapientum, & rei ciuilis peritissimorum, tametsi Ethnicorum, quorum alter reip. Romanæ, orbis terræ dominæ, clauum tenuit, alter sapientissimus Philosophus Alexandri Magni magister fuit: quis iure negabit remp. Christianam habuisse homines magnanimos, & omnium qui vmquam fuerunt in vrbe terrarum fortissimos? atque sanctissimam Religionem nostram non solùm non timidos, angusti & humilis animi sectatores suos reddere, sed etiam præceptis suis fortes valentissimosque efficere? quando rerum omnium, quæ videntur, contemptores facit; adeoque virtutis amantes, vt pro ea mortem oppetere non dubitent? An, obsecro, à primis mundi nascentis exordiis fuit vmquam vlla Religio, sectave, quæ docuerit

Lib. 3. Eth. ad Nicom.

quod sanctissima nostra Religio nos edocet? An in earum aliqua tot fuerũt tãq; præstantes & admirabiles viri, quot in nostra, qui tanta rerum omnium caducarum despicientia vixerint, quasi essent non homines, sed Angeli mortali corpore circumsepti? Verùm nostros cum aliis nolo conferre, ne cuiusuis alterius sectæ tenebris, falsæque Religionis obscuritate, nostræ Religionis gloriam & splendorem offundam, & ne innumeris viris clarissimis & sanctissimis, quibus Ecclesia Catholica diues est, & refertissima, sim iniurius, dum paucorum Gentilium, quos Ethnici scriptores immeritò laudant, & immodico cõmendationis præconio in cęlum efferunt, exempla adfero. Nam pręterquam quòd exiguus est eorum numerus, quos illi tamquam rerum omnium contemptores & fortes celebrant, nostrorum verò propemodum infinitus, (vt diximus) multa etiam, quæ de illis scribunt, ficta sunt, & commenticia, & licet omnia vera essent, tantum tamen est discriminis inter illorum & nostrorum virtutes, vt Ethnicorum pictæ ac simulatæ, nostrorum veræ ac solidæ (vt suprà demonstratum est) censeantur. Quid enim dicam de ea fortitudinis parte, quæ in sustinendo ac patiendo sita est, & quam Aristoteles potiorem existimat? Fuitne vmquam in terris Religio vlla quæ infinitis partibus non superetur ab Ec-
clesia

cleſia Catholica, innumeris fortiſſimorum militum ac martyrum agminibus ſepta, & firmiſſimo pręſidio munita? de quorum laudibus nec ſilere poſſum, nec quomodo loquar ſcio. cuius enim lingua, cęleſtis etiã ſpiritus, tã incredibilem illuſtrium Chriſti militum fortitudinem explicare poterit? quæ atrociſſimos cruciatus, quos paſſi ſunt, exponere? inaudita tormentorum genera quę pertulerũt, aquam, ignem, famem & ſitim, æſtum & algorem, inopiam & nuditatem, carceres, vincula, compedes, equuleos, pectines ferreos, vncos, beſtias, feras, cruces, rotas, oſſium confractiones, & ſexcenta alia exquiſitiſſima ſuppliciorum genera, quæ ſuo in Chriſtum odio dæmon malitioſè excogitauit, referre? quæ patientiam & conſtantiam, quam in tolerandis cruciatibus ſeruauerunt? quæ denique vox maximam illam voluptatem, inuictumque & alacrem perferentium animum, beatam illã ſecuritatem, cæleſtes in tormentis vultus enarrare? Hæc autem paſſi ſunt non vnus aut alter, non in aliquo orbis angulo, vel vna aut altera prouincia, non paucis annis, ſed trium ſæculorum decurſu in omnibus Eccleſiæ perſecutionibus, in tot & tam diuerſis regionibus, in quibus tot martyres vitam profuderunt, vt eorum numerus non magis quàm ſtellarum à nobis iniri poſſit. Ac minùs mirandum fuiſſet, ſi hæc animi

magni-

magnitudo & constantia in solis viris reluxisset; verũ mulieres infirmę, delicatę mollesque puellæ, teneri pueri, ac propemodum infantes, inaudita hæc & horribilia supplicia tolerabant fortiter, mirabiliter vincebant, de suis tortoribus & carnificibus, de peccato simul & morte constanter triumphabant, optantes terribilem ac diram quamq; necem potiùs perferre, quàm maculis vllis vitam suam ac Religionem adspergere. Quod argumentum, etiamsi omnia alia deessent, satis est, vt intelligamus Christianam Religionem sectatores ac cultores suos non reddere ignauos & timidos, sed fortes, animosos, periculorum omnium victores, & de omnibus tormentis ac suppliciis, quæ pro Religione se offerant, gloriosè triumphantes. Quæ cùm ita sint, dubium non est, quin iidem ipsi fortes etiam erunt & strenui acresque ad res arduas ac difficiles in reip. administratione suscipiendas, si quando bonum publicum & ciuium vtilitas id postulauerit. hæc enim ipsa docet eadem Religio. Nec credibile est, eum, quem ignominiosa horrendaque mors non vincit, minoribus periculis ac doloribus vincendum, cùm ad hæc subeunda conscientia aut Religio impellet. At dicet forè Machiauellus, martyrum constantiam non esse ciuilem fortitudinem, (de qua est sermo) sed fidei confessionem quandam, ac testi-

testificationem; & militari saltem virtute ac fortitudine Christianos Gentilibus inferiores esse, quòd hi plura, quàm illi, ardua & periculis magis plena susceperint: quam ex Aristotele & Cicerone diximus alteram esse fortitudinis partem. Sed hoc non minùs falsum & ineptum est, quàm alia quæ retulimus, vt proximo Capite planum fiet.

CAPVT. XXXVIII.

De militibus ac belli Ducibus fortissimis quos peperit Christiana Religio.

QVIS paucis verbis complectatur, & tam breui libro, vt est hic noster, adstringat tot tamque nobiles & illustres viros, milites fortissimos, Duces strenuos, inuictos Reges & Imperatores, quos tamquam firmissima Ecclesiæ propugnacula Christiana Religio profudit ac peperit? & quos maximis optimisque bellatoribus totius orbis iure compares, aut etiam antepo-nas? Quis Tullius aut quis Demosthenes tam facunda dicendi vi vmquam fuit, vt possit non dico exornare laudando, sed percensere numerando præclara facta quæ gesserunt, certamina & prœlia quæ commiserunt, victorias quas adepti sunt, occultas terrarum plagas quas patefecerunt, nationes quas subegerunt, Reges ac Monarchas quos victos protriuerunt & conculcarunt, tam singulari fortitudine & animi magnitudine,

tudine, iure vt possint (quemadmodum dixi) conferri cum quouis ex Ethnicis ducibus, immo eorũ nõnulli omnibus, qui olim ordines duxerunt, anteferri? Quæ enim lingua explicet, quod dicendi scribendive genus pro dignitate exprimat bella & victorias quas Constantinus Magnus Imperator de Maximiano Herculeo, Maxẽtio, & Licinio, potentissimis hostibus, retulit; qui tamen maiori Romanorum ac delectorum militum numero cum illo confligebant? Quę dicendi vis triumphos referat, quos victor egit de tot gentibus ad Septemtrionem habitantibus, immanibus, feris, & barbaris? incredibilem in tot bellis felicitatem, qua, quàm diu imperium tenuit, vsus est, numquam vt ipse, vel ex Ducibus aliquis, inferior ex pugna discesserit? Quid dicam de magno Theodosio, Imperatore clarissimo, cuius de Maximo & Eugenio tyrannis triumphi non minùs fuerũt illustres, gloriosi, & admirabiles, quàm partę à Cõstantino victoriæ? nã apertè pro eo Deus pugnare visus est, & eius trophæa vel ipsi Ethnici poëtæ carmine celebrarunt. Quid de Heraclio, qui Cosdroës Persarum Regis superbiam repressit, & tribus insignibus victoris fractum ac profligatum regno spoliauit, restitutis Romano imperio prouinciis quas nefarius ac barbarus hostis ademerat? Quid de Carolo Martello, qui, Maurorum infinita mul-

multitudine bis prœlio victa cæsaque, Galliæ regnum ab illorum iniuria defendit? Quid de eiusdem nepote Carolo Magno, imperij restitutore, adeoque in bellis claro Principe, exiguo vt tempore subegerit nationes quas nec Alexander Magnus aggredi ausus fuit, neque Romani frangere domareque potuerunt? Nihil hîc dicam de Ætio, excellentissimo Duce, qui memorabili prœlio ad Catalaunos campos tam multum Hunnorum sanguinis fudit, & Attilam, irati Numinis flagellum, orbisque terrorem, superauit; armis suis ostendens quantus sit animus quantaque vis eius, cui Deus fauet. Omittam etiam Belisarium, qui vrbi Romæ præsidio, Gothis formidini fuit; qui de Wandalis triumphauit, Persas domuit; vera gloria Iustiniani imperij. Tacebo Belisarij successorem Narseten, qui summa cum laude & felicitate Gothorum insolentiam & tam diuturnum in Italia regnum euertit, eorum Regibus & Ducibus Totila & Teio interemptis; & Italiam in antiquam libertatem gloriamque vindicauit. Prætermittam Godefridum Bullonium, Lotharingiæ Ducem, quem fortitudo & egregia merita in tantam dignitatem euexêre, primus vt Ierosolymorum Rex factus sit, ex quo ciuitas illa in Christianorum potestatem rediit. Guilielmum Ferribracium, Robertum Guiscardum, Rogerium Bohemundum, Nort-

man-

mannos Principes, & alios præteribo; & vnà pariter Othones Imperatores in armis celebratissimos: Non adferam Simonem Montfortium, Comitem fortissimum, & pietatis studio flagrantissimum Dei ministrum, qui tempore Diui Dominici Albigenses Ecclesiam Dei nefariè oppugnantes frequentiùs fugauit, spoliauit, cecidit; multis hæreticis à paucis Catholicis; impiis ac temerariis à piis & spe in Deum nixis, ob eamque rem verè fortibus, constantibus, & magnanimis, obtritis. Silebo Mathiam Coruinum Hungariæ Regem, & Ioannem Huniadem, qui tam egregia & gloriosa facta in Turcas gesserunt. Sed tametsi hos prætereamus, æquum non est vt eodem silentio inuoluamus insignes & fortissimos Hispaniæ Duces, qui cum aliarum nationum præstantissimis & valentissimis iure de laude & belli gloria certare possunt. Quis enim non admirabitur fortitudinem & robur Pelagij Regis, qui tam exigua Christianorum manu victorem ac triumphatorem Maurorum exercitum bello aggressus, sæpenumero fudit ac vicit, & clarissimis suis victoriis auctor fuit, vt Christiani, sumptis animis, à Mauris ablata recuperarent? Quem non rapiet in admirationem nobilis triumphus Ramiri Regis, & tam multæ victoriæ Ferdinandi Gundisalui, qui frequenter exiguo militum numero infinitam Maurorum mul-

multitudinem furentem atque exſultantem non ſolùm retardauit, ſed etiam magna eorũ ſtrage edita perculit atque oppreſſit? Nemo eſt cui nota non ſit Bernardi Carpij fortitudo atque conſtantia : nemo qui neſciat egregia Cidi facinora ; quæ tot tantáque ſunt, vt tam multi ſcripti libri ad illa explicanda non ſufficiant; multóque plures ſcribi potuiſſent, ſi in Xenophontem, aut Titũ Liuium, vel alium Græcum Latinumve hiſtoriæ eloquentiſſimum ſcriptorem incidiſſent, qui ſumma ſua ſcribendi vi & copia illa exornaſſent. Quid dicam de Alphonſis Regibus noſtris? Alphonſo ſexto, qui Toletum recepit ? Alphonſo octauo, qui inſigni prœlio ad Nauas Toloſanas ducenta millia Maurorum peremit , vigintiquinque dumtaxat Chriſtianis militibus deſideratis? Alphonſo vndecimo, qui non minori victoria æqualem hoſtium multitudinem ad Tariffam deleuit ? Quid de Alphonſo Henrico, primo Luſitaniæ Rege, qui quinque Reges Mauros ſuperauit, eorumq; exercitus perfregit, ac primus Regis Luſitanię dignitatem glorioſumq; nomen obtinuit; & tot ac tã inſignes victorias de nefariis Catholicæ fidei hoſtibus reportauit, vt inter excellentiſſimos ac clariſſimos omnis memoriæ Duces, & Reges pietatis amantiſſimos, numerari poſſe videatur. nũquã enim virtuti ſuæ ſed Deo, cuiꝰ ope præſidioq; vin-

cebat, victorias adscripsit. Quod itidem fecit Ferdinandus cognomento Sanctus, qui Cordubam & Hispalim cepit, & tot tamq; insignibus victoriis Mauros deuicit, propitio sibi semper & fauente cælesti Numine, vt meritò reponatur in Regum numero qui vitæ sanctitate & bellica felicitate præstiterunt? Quid de Iacobo Aragoniæ Rege, cui debellatori & conquisitori cognomen fuit? Quid de Alphonso Aragonum etiam Rege, quem vulgo Neapolitanum vocant, quòd regnum illud subegerit? Quid de aliis Lusitaniæ Regibus, ac speciatim de Ioanne primo & Emmanuele? Quid de huius socero Ferdinando quinto, Catholico Hispaniarum Rege, qui bello ac pace clarissimus Princeps, armis non solùm Granatēse, Neapolitanum, ac Nauarræ regna in suā potestatem redegit; sed etiam iugum, quo Hispanias per octingētos ferme annos Mauri presserant, à ceruicibus depulit, regna iustitiæ legibus stabiliuit, & posteris suis viam muniuit ad summam potentiæ amplitudinem, ad quam eos peruenisse cernimus? Quid de Georgio Castrioto, Croiæ in Epiro Domino, quem ob animi fortis & inuicti magnitudinem Turcæ Scanderbechū (hoc est, Alexandrū Magnū) vocarunt, fortitudine & animi excelsi vertute cum Alexandro conferētes? Quid de Frācisco Stortia, quē animi vis & robur Mediolanensem

Marin. Bocichen. & Paul Iou. in elog. milit.

Du-

Ducem fecit? Quid de eius in rebus bellicis æmulo & competitore Nicolao Picinino? Nulla est natio, nullum regnum, nulla Christiana prouincia, quantumuis exigua, quæ non habuerit multos fortissimos & valentissimos Duces. Historiæ & Annales Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniꝫ, Angliꝫ, Poloniæ, Bohemiæ, Pannoniæ ceterarumque nationum omnium, referti sunt illustribus factis, cruentis prœliis, & gloriosis victoriis, quas illarum Duces & principes obtinuerunt. Et verò hoc sæculum (vt de aliis taceã) armorum laude claruit, & multa retrolapsa superauit; protulitque Christophorum Columbum Ligurem, noui mundi inuentorem: Gundisaluum Ferdinandum à Corduba, magnum Ducem iure optimo vocatum, quòd Neapolitanum regnum subegit primùm, deinde incredibili fortitudine defendit; quodque in arte & virtute militari complurium aliorum excellentissimorum Ducum magister fuit, qui optimè eum sunt imitati: quales fuerunt Ferdinandus Daualus Piscarius, Prosper & Fabricius Columna, Antonius Leua, &, qui his successere, Alphonsus Daualus Vastius, Ferdinandus Gonzaga Malfetæ Princeps, Andreas Auria Malfius, Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiꝫ, Ferdinandus Aluarus Toletanus Dux Albæ, Ioãnes Austriacus, Alexãder Farnesius Dux Parmẽsis, & alij, quo-

rum numerus tantus est, vt iniri nequeat; tãta verò gloria, vt pro dignitate celebrari nõ possit. Verùm etsi cæteros silentio premamus, æquum tamen non est vt Carolum V. fortissimum ac maximum Imperatorem & Hispaniæ Regem prætereamus. hic enim inuictissimus Princeps armis vniuersum orbem terruit, & victoriis complexus est: Solymannum, ferocissimum ac bellicosissimum Turcarum Principem, summa cum eiusdem ignominia à Viennæ mœnibus profligauit: potentissimos orbis Christiani Principes captos in potestate habuit: Tunetanũ regnum cepit: Turcas ex Africa eiecit: Germanorum superbiam ac potentiam repressit: rebelles imperij Principes & ciuitates domuit; vltra columnas Herculis progressus est: per suos Duces in nouo orbe tot regiones ac prouincias patefecit & subegit, tot & tam feras ac barbaras nationes deuicit, tot & tantos Reges subiunxit, & stipendiarios ac vectigales fecit, vt non solùm ipse cum fortissimis, qui vmquam fuerunt, Regibus & Imperatoribus conferri possit, sed etiam nonnullos ex eius Ducibus cum quouis ex bellicosissimis, quos antiqua laudat historia, comparare liceat. Nã vt eos, quos suprà nominaui, omittam, cui admirationem nõ moueat excelsus animus quo Ferdinandus Cortesius cum paucis Hispanis in Mexicanum regnum irrupit? & stre-

ſtrenua virtus qua imperiũ Mõtezumæ ſubactum euertit? & fortitudo qua illud ab innumeris Indis tutatus eſt? & felicitas qua vicit & in poteſtatem redegit tot & tam auro atq; argento diuites prouincias, & dominum ſe fecit tam ingentium theſaurorum, qui vniuerſum terrarum orbem locupletarunt? Quod de Ferdinando Corteſio dixi, de Alphonſo Albuquercio veriſſimè itẽ dici poteſt: qui Emmanuelis Luſitaniæ Regis tãta fortitudine, prudẽtia, audacia Dux fuit, vt regnorum debellator, nationis ſuæ ac patriæ gloriæ propagator, Indiarum victor ac triumphator, denique imperij Luſitanici in Oriente fundator meritò appellari poſſit. De multis aliis Chriſtianis Ducibus ſimillima commemorare poſſemus, ſi nobis propoſitum eſſet, omnes, quotquot in Eccleſia Catholica fuerunt, hoc loco recenſere. verùm hoc non agimus: id enim fieri non poteſt, cùm ſint innumerabiles, & ij, quos retulimus, ſufficiant ad refellendam Machiauelli inſcitiam: in quibus animaduerſione digniſſimum illud eſt, eò fortitudine, victoriis, gloria magis præſtitiſſe, quo Religionis amantiores, Deo magis iũcti: & ab eo pendẽtes fuerũt; vt hinc pateat, fortitudinem illorum & felicitatem Deo auctori tribuendam. Sed vt redeam ad impiũ dogma Machiauelli, aſſerentis Religionem Chriſtianam animos frangere, & fortitudi-

nem ac robur emollire; ex ipso quæro qua in re maximè posita sit fortitudo. nam si in rebus arduis ac difficilibus aggrediendis; quid difficilius, & arduum magis, quàm nouum orbem patefacere, ferro aperire ac debellare, pluresque nationes & terras subigere, quàm Rex aut Imperator vllus hoc in tempus aut explorauit aut possedit? Quòd si in vincendis multis & antè nō auditis hostibus; vbinam vllo tempore plures exstitere, quàm qui hoc nostro sæculo armis edomiti colla sua Euangelij iugo subdiderunt? Si in pugna paucorum cum multis; quàm sæpe innumerabiles infidelium ac barbarorum exercitus ab exigua Christianorū manu victi sunt, & profligati! Si denique in gerendis rebus magnis, & quæ communem cursum & aliorum hominum vsum excedant; eæ quas Lusitani memoriâ nostrâ ad orientem Solem terra marique, vel ad occidentem, & in Italia, Germania, Flandria, Castellani gesserunt, tot sunt, & tam egregiæ vt nullæ earum quas in Græcis & Latinis historiis (quamuis scriptores elegantia & verborum ornatu in maius augeant) legimus, possint cum istis conferri, aut certè quidem illis præferri. Sed ad Machiauellum reuertamur.

Cap.

CAP. XXXIX.

Mollem & delicatam educationem caussam esse cur homines fortes non sint ac robusti.

IN superioribus Capitibus probatum est, Christianam Religionem non solù n nihil docere quod veræ fortitudini contrarium sit, vt asserit Machiauellus; sed etiam in ea sola veram & honestam fortitudinem fuisse: nec vllam in orbe terrarum Religionem viguisse, quæ procrearit homines tam fortes, tam contemptores rerum omnium humanarum, tam patientes in laboribus, quique de quibusuis suppliciis adeoque ipsa morte triumpharint, & bellica gloria ac virtute excelluerint, sicut Christiana nostra Religio. ex quibus perspicuum est, quàm absurda sit & dementiæ proxima Machiauelli doctrina. Sed quoniam nobis nõ cum homine est pugna, sed cum falsa eius disciplina; si quid in ea verum est, libenter amplectimur. Itaq; illud ab eo verissimè dictũ esse concedimus, in educatione maximam esse vim ad fortitudinem comparandam. Dubium enim non est, quin puerorum institutio atque disciplina sit quasi fons totius boni aut mali quod in rempub. manat, primumq; ædificij & regiminis politici fundamentum, & quæ, vt ait Seneca *facit mores*. hęc enim eos ingenerat: quorũ diuersitas

ex illius diuersitate nascitur. Quod Lacedęmoniis significare voluit Lycurgus, dũ catulos duos ex iisdem parentibus; at non eodẽ modo educatos, sed alterum domi gulæ assuetũ, alterum foris ad venationem exercitatum, aduocata concione coràm produxit, iussitque statim ex aduerso leporem atque ollam & quædam gulæ irritamenta adferri: sed ad consueta cùm vterque cucurrisset, alter cursu leporem apprehendit, alter ollam petiit; vt est apud Plutarchum. Atque id certum, aptiorem ad fortitudinem parandam eum esse, qui corpus laboribus ac defatigationibus diutius assuefecit, & sine deliciis ac lenociniis ad patientiam frigoris, caloris, & aliarum aëris cælique iniuriarum ab incunabulis obduruit. Quæ res (vti suprà diximus) Principibus imperij sui conseruandi cupidis diligenter multum perpendenda est, vt è rep. resecent quidquid eneruat vires, animos effeminat, delinit & corrumpit robur illud, quod vera fortitudo postulat, sine qua resp. armis destituta, & præsidio nudata, hostiũ direptioni exposita relinquitur. Ita cum Lacedęmoniis fecit Lycurgus, vt Plutarchus auctor est, qui addit, quàm diu hæc seueritas & moderatio floruit, tantam Lacedæmone castimoniam virorum ac mulierum fuisse, vt adulterium rem incredibilẽ arbitrarentur. Summa sanè quæuis imperia stabiliuit, auxit, conseruauit sobrie-

Lib. de liber. educ. & in Apophth. de Lycurgo.

In Apoph. Lacon.

ſobrietas & temperantia, eadem perdidit & euertit intemperantia & mollis educatio. Aſſyriorum regnum in Rege Sardanapalo finem accepit: qui, quoniam ſe mulierẽ magis quàm virum præſtitit, regnum & vitam amiſit. Medorum etiam monarchiam eo tempore deleuerunt Perſæ, quo Babylonis Principes & indigenæ ludis ac voluptatibus indulgebant. Illi ipſi Perſæ, qui, antequam Medos viciſſent, ſapientiæ laude floruerunt, adeò temperantes fuerunt, vt (Xenophonte & Cicerone teſtibus) nihil præter naſturcium & ſal ad modicum panem adhiberent, ſitim aqua depellerent, inculto & craſſo veſtitu induerentur, & in hac ſeuera educatione robuſtiores facti Babylonicum imperiũ dominatui ſuo ſubiecerunt; poſtea, modeſto ac temperato viuendi genere neglecto, deliciis & voluptatibus ſe totos dediderunt, ita vt Alexander Magnus, cùm Darium Regem deuicit, in eius caſtris plurima gulæ & ventris irritamenta repererit. Lacedæmonij in aſperrima victus frugalitate & laborum patientia liberos ſuos exercebant, vt iam inde à prima pueritia robuſti ac fortes euaderẽt. Scribit etiam Plutarchus, Lycurgi inſtituto ſolitas mulieres ſaltu, venatione, curſu, & aliis duris ac aſperis laboribus exerceri, vt illarum filij firmioribus eſſent viribus, & ex vtero materno membrorum robur traherent, & animi vegetam for-

Xenoph. in Cyroped.

Plutarch. de inſtitut. Lacon. & in Apoph. Lacon.

titudinem: sed postquam de hac disciplinæ seueritate multum remisêre, cupediis & voluptatibus addicti, imperium suum amiserunt, & ex dominis serui facti sunt. Quid dicam de imperio Romano? an non illud euertit voluptas, & praua educatio, vitæq; ac morum dissolutio? Queritur Plinius, Romanos à maiorum sobrietate degenerasse, & victorum à se nationum prauos mores imbibisse, & in victu, vestitu, ædificiis, ac reliquo domestico apparatu supra fidē immodicos sumptus fecisse; vnde ait, *Vincendo victi sumus*. Horatius, corruptos suæ ætatis mores insectans, dicit, puellas à teneris doceri solitas motus Ionicos, simulque incestos amores meditari; longeque diuersis moribus institutam olim fuisse Romanam iuuentutem, quæ *Infecit æquor sanguine Punico, Pyrrhumq́ & ingentem cecîdit Antiochum, Hannibalemque dirum.* Nam iuuentus illa temporibus priscis erat *docta ligonibus versare glebas, & seueræ Matris ad arbitrium recisos portare fustes.* & alibi hęc idem Poëta cecinit: *Vel nos in mare proximum Gemmas & lapides, aurum & inutile, Summi materiam mali, Mittamus. scelerum si bene pœnitet, eradenda cupidinis Praui sunt elementa, & teneræ nimis Mentes asperioribus Formandæ studijs.* & in alio carmine: *Angustam, amici, pauperiem pati Robustus acri militia puer condiscat. & Parthos feroces Vexet eques metuendus hasta. Vitamq́ sub dio & trepidis agat in rebus.*

Plin. histor. lib. 24 c 3. & lib. 33 c. 11 & lib. 36. cap. 23.

Horat. lib 3. carm, od 6.

Idem lib. 3. od. 14.

Idem lib. 3. od. 2.

Quin-

Quinctilianus, qui iuuentutis & nobilitatis Romanæ per multos annos magister fuit, de molli educatione, qua patres filios formabant, conqueritur his verbis: *Vtinam liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus! infantiam statim delicijs soluimus: mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? nondum prima verba exprimit, & iam coccum intelligit, iam conchylium poscit: antè palatum eorum, quàm os, instituimus: in lecticis crescunt: si terram attigerint, è manibus vtrimque sustinentium pendent: gaudemus, si quid licentius dixerint; verba ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs risu & osculo excipimus.* Nec mirum: *nos docuimus, ex nobis audierunt: nostras amicas, nostros concubinos vident: omne conuiuium obscenis canticis strepit: pudenda dictu spectantur. fit ex his consuetudo, deinde natura: discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse.* Hæc Quinctilianus. *Lib.1.c.2.* Labor igitur vitæque asperitas stabiliunt imperia, ignauia & luxus euertunt: neque aliud certius signum, imperium aliquod breui perditum iri, quàm cùm videmus illud deliciis otioque dissolui. Idcirco volens Cyrus Rex Lydos, qui rebellauerant, castigare, iussit eos (vt testatur Iustinus) caupones & tabernarios agere, ludicras artes & lenocinia exercere: & sic gens industria *Iustin lib.2.*

dustria quondam, potens & manu strenua, effeminata mollitie luxuriaq; virtutem pristinam perdidit; & quos ante Cyrum inuictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superauit. Eodem modo Xerxes, Darij filius, Babylonios puniuit, vt scribit Plutarchus. Frequens cum externis gentibus commercium, auri, argenti, gemmarum, aromatum, & deliciarum ex Indiis aduecta copia, insita nobis in vitium voluptatemque propensio, negligentia qua nouæ prauæq; consuetudini non itum est obuiam, mores mutârunt in peius, & effeminatam, mollem, delicatã, ac otio diffluentem, & duræ seueræque maiorum nostrorum institutioni ac disciplinæ contrariam educationem induxerunt. Neq; dubium est, quin ex educatione diuersa fortitudinis diuersitas exsistat, vt asserit Machiauellus: verùm noua hæc, blanda, & dissoluta educatio ex Christiana Religione non oritur, vt ille falsò autumat, immo verò ei planè repugnat. nam hæc commendat victus vestitusque asperitatem, pauperiem, temperantiam, laborem, cæterasque virtutes, quibus gignitur, crescit, & perficitur fortitudo, monetque vt liberos nostros ab ipsa pueritia non molliter & delicatè, sed durè ac seuerè educemus nisi eorum miseram vicem, cùm adoleuerint, sine remedio dolere velimus, quẽadmodum quotidie experimur: Quare dicit Spiri-

Plutarch. in Apophth.

Spiritus sanctus: *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* & alio loco: *Noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* & eadẽ apertiùs apud Ecclesiasticum: *Qui diligit filium, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo. Equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filium, & pauentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est: ne fortè induret, & nõ credat tibi; & erit tibi dolor animæ.* Hæc omnia per sacros scriptores à Spiritu sancto dicta sunt. Nulla certè fuit vsquam in orbe Religio, quæ tam grauiter & magnificè hanc educationẽ explicet & commendet, & luxum ac delicias sic oderit, vt Christiana. Si ergo eius doctrinæ sanctissimæ pareatur, in nulla alia fortiores & valentiores esse possunt, quàm in ea ipsa. neque enim vlla est alia quæ præcepta tradat veræ fortitudini magis conformia. Quæ omnia pugnant cum iis quæ Machiauellus scribit. In hoc igitur diligentissimè incumbendum Principi, si imperij conseruandi studio tenetur, & magna cura elaborandum, vt eius populares ac subditi filios suos instituant absque luxu, deliciis, atque ea mollitie in qua nunc educãtur: vt quemadmodum ex bonis

Prouer. 13.
Prouer. 23.
Ecclès. 30.

pullis

pullis equi boni fiunt, ſic ex robuſtis adoleſcentibus animoſi & fortes milites exſurgant; amputatisque ex ſua Rep. iis quæ alios perdiderunt, maiori facilitate eam conſeruent.

CAPVT XL.

Principes mali tortores ſunt, & diuinæ iuſtitiæ vltores ac miniſtri.

INTER omnia quæ non ſanè à Machiauello ſunt dicta, peſſimum illud eſt, quod extremis verbis eius loci, quem ex illo adduximus, continetur, videlicet illam viuendi rationem, quam Chriſtiana Religio nos edocet, infregiſſe & debilitaſſe orbem terrarum, & hunc improbis hominibus impunè, obſiſtente aut repugnante nemine, pro animi libidine diripiendum vexandumque tradidiſſe. quibus verbis ſatis oſtendit, ſe caſui & fortunæ rerum euentus adſcribere; & qui potentia ſuperior eſt, eum, obſiſtente nemine, quæcumque adlibuerit exſequi, quaſi Deus prouidentia ſua humanas res non adminiſtraret; nec pro voluntate imperia vel traderet, vel hominibus auferret, vt ſuprà probauimus. Quæ ſententia inſignem blaſphemiam continet, ac prorſus indignam non ſolùm Chriſtiano, ſed etiã ſapiente Philoſopho, & prudenti quouis homine. nam vel ipſe Nabuchodonoſor, etſi Ethnicus, & Dei hoſtis, conuictus ſomni interpretatione,

ne, quam Daniel attulerat, exclamans di- *Daniel. 2.*
xit: *Verè Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus Regum.* cumque vidiſſet tres illos ſanctos adoleſcentes in medio fornacis accenſæ poſitos ardore flammæ non conflagrare, tantæ rei miraculo attonitus, eandem veritatem profeſſus eſt, decretumque fecit, quòd hanc in ſententiam vbique gentium publicaretur: *Nabuchodonoſor Rex omni-* *Daniel. 3.*
bus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuerſa terra. Pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus. Placuit ergo nobis publicare ſigna eius, quia magna ſunt; & mirabilia eius, quia fortia; & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione & generationem. Hic eſt Dominus ille, qui (vt antè dixerat Daniel Propheta) *Daniel. 2.*
regna transfert & conſtituit: in cuius manu (vt teſtatur Sapiens) *eſt poteſtas terræ, & per quem* *Eccleſ. 10.*
regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & contumelias, & diuerſos dolos. Propterea, vt idem eodem loci ait, *Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Ille eſt, vt dicit S. Iob, *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata po-* *Iob 34.*
puli: quin etiam ob eadem caſtiganda regni gubernacula committit quibuſdam, quos veriùs feras quàm homines dixeris; vt iis tanquam carnificibus & tortoribus, iuſtitiæque ſuæ & furoris miniſtris, vtatur. quod etiam per Prophetam Oſeam his verbis *Oſeæ 13.*
commi-

comminatus est: *Dabo tibi Regem in furore meo.*
Isaia 13. 44. & 45. Quare Persis, idolorum cultores, quibus ad euertendam Babyloniam ministris vti volebat, sanctificatos suos & fortes suos appellat; & apud Isaiam sic loquitur: *Assur virga* *Isaia* 10. *furoris mei & baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.* vbi per Assur intelligit Salmanasar & Sennacherib, qui superbia tumentes, & ambitione incitati, Iudæam occupaturi erant: iis enim vt virgis vsurus erat Deus, vt populi scelus flagellaret. Cyrum etiam appellat Pastorem ac Christum suum. & Attila Hunnorum Rex flagellum Dei se vocabat; Tamberlanus verò magnus, iram Dei. Et sanè Princeps malus, iniustus, auarus, sæuus, & crudelis, nullo nomine conuenientiùs appellari potest, quàm flagellum & ira Dei. ex quo illud Spiritus sancti per Salomonem: *Leo rugiens, & vrsus esuriens, Princeps impius.* vt enim vrsus esuriens, quo famem pellat, parcit nemini. Nam quemadmodum dæmonibus tanquam iustitiæ ministris Deus vtitur ad torquendos homines, quos æternis suppliciis addixit: sic hoc in mundo malos Principes ac tyrannos tanquam dæmonis administros adhibet, vt iram suam in maleficos & improbos expromat, populi sordes eluat, bono-

Isaia 45. *Ierem.* 27. *Prouer.* 28.

bonorum ſcorias expurget, impios exſtinſtinguat, & tandem eos ipſos tyrannos, quibus vt flagellis vſus eſt, caſtiget & concîdat, vnde D. Hieronymus ſæpe ait Principē nobis à Deo dari prout merita noſtra depoſcunt, & ſecundùm cor noſtrum. & D. Auguſtinus: *Etiam talibus dominandi poteſtas non datur, niſi cùm ſummi Dei prouidentia res humanas iudicat talibus dominis dignas.* Et quamuis ea ſit mentis noſtræ iudiciique infirmitas, vt debilioribus oculis noſtris videatur conſultius fore, ſi Deus eiuſmodi mónſtra & hominum portenta non permitteret, aut permiſſa diutius impunita nō pateretur; falluntur tamen, quia diuinæ prouidentiæ arcana non intuentur, nec ſatis aduertunt, Deum ex omnibus rebus ampliorem nominis ſui gloriam noſtrumq; maius commodum decerpere.

Habetur 8. q. 1. Audacter.

De ciu. Dei lib. 5. c. 21.

In ciuitate bonis legibus cōſtituta non tantùm Iudices, Magiſtratus, Reipubl. gubernatores, nobiles viros, plebeios ac opifices eſſe conuenit, ſed etiam lictores, carnifices, ac tortores: nec ſolùm in ea Templa, palatia, magnificas ædes, plateas, vicos, compita, ſed etiam cuſtodias, carceres, ergaſtula, & alia loca ſuppliciis deſtinata; ſine quibus Reip. ſalus & vita cōſeruari non poteſt. Neque minùs in inferno & obſcuris illis ſceleratorum ſedibus iuſtitia diuina in repetendis criminum admiſſorum pœnis relucet, quàm in cœlo & beatorum domiciliis eiuſ-

Aug. ep. 50. ad Maced. & hab 23. q. 5. Non fruſtra.

dem misericordia, piorum benefacta gloria & perenni felicitate compensando. Nec apparet minùs diuina bonitas, cùm malorum & crudelium Principum operâ peccata nostra coercet, quàm dum bonorum & moderatorum fauore beneficia exhibet. Et sanè qui diuturnitatem temporis, quo Deus impios tolerat, accusant, non satis considerant mille annos in conspectu Dei vix diei vnius instar esse: dumque percunctatur cur tyrannum viuere patiatur, & post triginta aut quadraginta actæ tyrannidis annorum spatia primùm castiget, perinde facit, ac si interroget cur vespere, & non manè diei eiusdem, fur patibulo appensus est; cùm præsertim eiusmodi libertatis oppressores capti sint, nec ex carcere aut vinculis elabi possint; & licet, cùm vndique teneantur, ludant, & tempus fallentes variis oblectamentis se exhilarent, lata iam est in eos sententia, & restis, de qua dependeant, eorum ceruicibus impendet. quemadmodum admirandè explicat Plutarchus in opusculo de sera Numinis vindicta; in quo multas & magnas vtilitates recenset prouidentiæ huius, & Dei patientiæ, & in castigandis impiis tarditatis. Deus igitur (non disciplina & institutio, vt Machiauellus affirmat) regna tradit, & principatus; à cuius nutu sic pendent, vt non pro sua libidine, sed diuina voluntate, & tempore ab eodem definito, ea administrent.

Plutarch. de sera Numi. vindicta.

ſtrent. Nam ſi dæmon non plus poteſtatis in homines obtinet vt eos affligat, quàm Deus permiſerit, vt ex Iobi hiſtoria & Euangelio perſpicuè diſcimus: certè tyranni, dæmonis adminiſtri, nec amplius nec tẽpore longiori tenebunt, quàm ab eodem cõceſſum fuerit. Vnde animaduertimus, eoſdem tyrannos, quàm diu ex conceſſione diuina imperant, iubere; perniciem ac vaſtitatem regnis & principatibus inferre: vbi verò ad definitos à Deo terminos ventum eſt, miſerrimè vitam finire, & grauiſſimas crudeliſſimi dominatus ac facinorum ſuorum pœnas luere. quæ verò veriora eſſe cognoſcet, qui ſacras & profanas hiſtorias diligenter euoluerit. nam in profanis Tiberij Imperatoris crudelitatem, turpitudinẽ ac ſimulationem, quibus imperium Romanum ſeruitute oppreſſit, & ſumma labe ignominiaq; maculauit, reperiet, ſimulq; per ſeruos ſuos animam fuiſſe puluillo intercluſam. Leget etiam, Caligulam optantem vnum eſſe caput populo Romano, quod vnico mucronis ictu abſcinderet, triginta vulneribus confoſſum animam exſpuiſſe: Neronem, effuſo vxoris, matris, ac præceptoris ſui ſanguine, ſubmiſſisq; vrbi Romę incẽdij facibus, intra paucos dies patriæ hoſtẽ iudicatum, & Iudicũ ſententiis raptandũ, ſibi violentas manus attuliſſe: Domitianum Dei honorem vſurpantẽ, ſeptem vulneribus acceptis, mortalem ſe fuiſſe

Iob 1. & 2. *Matth.* 8. *Mar.* 5.

confessum, & miserabiliter interiisse. Quid dicam de Commodis, Heliogabalis, Diocletianis, Maximinis, Maxentiis, & aliis inferorum portentis, quibus vt virgis, quàm diu imperârunt, vsus est Dominus, ac tandem eosdem iræ & iustitiæ suæ seuerioribus flammis concremauit? quid de Regibus, quorum vita & exitus sacris Litteris & histo-
1.Reg.31. riis Ecclesiasticis continetur? Saule non obediente & ingrato, illius vitæ, à quo toties vitam acceperat, insidiante, Sacerdotum sanguine impuras manus maculante, qui, adacto in pectus proprio mucrone, manu sua vitam & regnum sibi Dei munere con-
3.Reg.12. & 13. cessum amisit? Ieroboamo, qui humana ratione status conseruandi inductus, ad idola colenda populum Domini induxit, eaque ex causa sibi & familiæ ac posteris regnum
3.Reg.18. & 22. perdidit? Achabo Rege impio, Prophetarum Domini acerrimo hoste, & vatum Baal iniquo fautore, qui in bello sagitta transfossus sanguinem suum canibus lambendum
1.Mach.6. Actor.12. reliquit? Antiocho & Herode Regibus, quos vermes depasti sunt? quid de cæteris improbis Regibus, quos graues impietatis pœnas Deo dedisse, sacræ Paginæ testantur? vt interim taceam Constantium Arianæ sectę defensorem, qui subito corporis ac mentis stupore perculsus interiit: Iulianum eiusdem consobrinum, fidei desertorem, qui lancea transfossus, & ore maledicto Deum

inse-

insectans, animam euomuit: Valentem hæreticum, à barbaris hostibus in agresti casa combustum. Plures etiam alios Principes omittam, qui, posteaquam Deus illis tanquam flagellis & virgis ad regna vindicanda vsus est, vitæ suæ vltimum actum miserando exitu conclusêre. Sit itaque hoc ratum, & in pectoribus nostris fixum, Deum immortalem ac Dominum nostrum regnorum omnium Regem esse, eaque pro voluntate & arbitrio, quibus vult, dare & auferre, &, vt maleficia populorum castiget, Principibus iniustis & crudelioribus non rarò vti, & tandem, hac pœna de peccatis exacta, in tyrannos ipsos, imperio ac potestate spoliatos, longè grauioribus suppliciis animaduertere; vt illorum initia, progressiones, exitusque demonstrant. quam veritatem cùm Augustinus probasset, hæc verba subiunxit: *Quæ cùm ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperij potestatem nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis pijs, regnum verò terrenum & pijs & impijs, sicut illi placet, cui nihil iniustè placet.* & paulo post: *Qui Mario dominationem dedit, ipse Caio Cæsari; qui Augusto, ipse Neroni; qui Vespasianis vel patri vel filio, suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; & (ne per singulos ire necesse sit) qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Iuliano.* Hæc Augustinus. Atque hanc ipsam veritatem clarissimam & certissimam non Augu-

Aug. lib. 5. de ciu. Dei, c. 21.

ſtinus modò, ſapientiſſimus Pater, & cæteri ſancti Eccleſiæ Doctores profeſſi ſunt, ſed & ipſi Gentiles Philoſophi, ſolo rationis lumine aſſecuti. vnde hæc Plutarchi: *Nimirum Deus quibuſdam malis tanquam carnificibus vſus eſt, ad ſumendas de alijs malis pœnas. Quod verum eſſe de pleriſque tyrannis arbitror.* & ſubdit, hanc tyranni acerbitatem & mali Iudicis aſperitatem non antè auferri, quàm ægrum purgauerit & curauerit, quem purgatum atque curatum vult Deus. Quamobrem in animum non inducamus quod impiè & ſtultè affirmat Machiauellus, caſu & fortuitò nefariis hominibus traditam eſſe poteſtatem orbis vexandi, & pro libidine diripiendi, & huius tanti mali cauſam in Chriſtianam Religionem conferendam. Immo verò, ſi vitas Ethnicorum Imperatorum à Iulo Cæſare ad Conſtantinum vſque per annos circiter trecentos attentiùs examinemus, illasque conferamus cum iis quibus à Conſtantino ad hunc vſq; Chriſtiani Principes mille propè & trecentis imperârunt, inueniemus paucos admodum malos Imperatores Ethnicorum collatione exſtitiſſe. & ex Chriſtianis peſſimos mille partibus ab Ethnicorum malitia abfuiſſe, eorum etiam quos Ethnici ſcriptores prædicant, & virtutis ac modeſtiæ laude præſtitiſſe effirmant.

Plutarch. lib. de ſera Num. vindicta.

Cap.

CAPVT XLI

Petendam primùm omnium à Deo fortitudinem, vt eam Chriſtianus Princeps conſequatur.

OMISSO Machiauello, & iis quæ inſcitè docet de fortitudine, dicamus nos aliquid de ea qua munitum oportet eſſe Principem Chriſtianum, vt imperia ſua conſeruet, & cùm res poſtulauerit, ab hoſtibus tueatur. Fortis enim & excelſus animus admodum eſt neceſſarius in Principe; tum vt ſui eum reuereantur, obſeruent, & metuant; tum vt aduerſariis obſiſtat, qui in magnis regn s & imperiis nunquam deſunt. Et quanquam in omnibus actionibus & factis Principis fortitudinẽ elucere oporteat, tamen in bellicis, tanquam in propria materia, ſplendere maximè debet. nam multos Principes inuenias, qui in pace & otio iuſtos ſeſe & prudentes oſtendant; vbi verò turbo & tempeſtas ab hoſtibus excitata ingruit, ita puſilli ſunt, ac animo fracti, vt vehementibus fluctibus reſiſtere, furioſiſq; ventis obniti non audeant. Vt igitur aliquid de hac fortitudine loquamur; perſuadeat ſibi in primis Chriſtianus Princeps, etſi ad pacem tanquam ad ſcopum dirigenda ſit imperij adminiſtratio, tamen firmam pacẽ frequenter abſque bello conſeruari non poſſe: quod interdum tam

necessarium est ad Remp. tuendam, & pacem habendam, quàm medicina amarior ad salutẽ ægrorum. Ex bellis quæ per suos Duces geri iussit Deus, & ex victoriis quas illis dedit, & ex legibus quas tulit, belli rationem populum suum docens, apertè constat, bellum posse iustè sanctéq; fieri, esseque genus quoddã mali sæpenumerò in Repub. ob improbitatẽ hominum necessarij; à quo tamen Principi, quoad eius fieri potest, est abstinẽdum. sed cùm illũ necessitas cõpellet ignem & ferrũ adhibere, suauioribus remediis nihil opis adferentibus; diuini subsidij spe fretus, & causæ (quam diligenter examinatam ad liquidum priùs habere debet) æquitate nixus, fortitudinis & constantiæ armis pectus suum muniat, vt, quidquid bello gerendo vtile visum fuerit, id acriter & strenuè faciat. Veruntamen id pro certo & explorato habeat, Numinis diuini prouidentiã cerni maximè in exercitibus, prœliis, ac victoriis quas pro voluntate concedit, simulque imperia, quæ ex illis dependent, largitur. quod & agnouêre & docuêre Gentiles ipsi. Cyrus enim (vt auctor est Xenophon) priusquam bellũ susciperet, plurima sacrificia faciebat. Romani verò belli exordia ab auspiciis sumebãt, & multis ritibus sacris ac cæremoniis prosequebãtur. Onosander, Platonis magistri sui doctrinã secutus, docet, exercitũ non priùs in expeditionem educendum, quàm

solemni

ſolemni ſacrificio luſtratus iram Deorum placauerit. Sed hoc ipſum meliùs Spiritus ſanctus in ſacris Litteris his verbis declarat: *Si exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus & currus, & maiorem, quàm tu habeas, aduerſarij exercitus multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum eſt, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem iam prœlio, ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum: Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis: non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos; quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra aduerſarios dimicabit, vt eruat vos de periculo.* Hæc in Deuteronomio Deus. Ad veritatem hanc declarandam Dominus in ſacris Litteris vocatur *Deus Sabaoth*, hoc eſt, Deus exercituum. Eandem ob cauſſam, poſtquam Abraham inſignem de quinque Regibus victoriam reportaſſet, dixit ei Melchiſedec: *Benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Populus Iſraël cum Amalecitis dimicans tam diu vincebat, quàm diu Moyſes in monte orabat manibus in cælum ſublatis; cùm verò eaſdem deprimebat, vincebatur: vt hinc intelligerēt omnes, victoriā Dei munus eſſe, & oratione Moyſis potiùs quàm militum pugnantium fortitudine & viribus, obtineri. quod ipſum Moyſes apertiſſimè declarauit, cùm finito

Deut.20.

Geneſ.14.

Exod.17. prœlio & hostibus profligatis, victoria obtenta, exstruxit altare Domino, quod vocauit, *Dominus exaltatio mea*, quasi diceret, Deus gloria mea est, ille me extulit, ille est cuius virtute hostē vici. Ad ad hoc cōfirmā-
Iosue 5. dum legimus, Iosue, dum esset in agro vrbis Ierichontis, oculos leuasse, vidisseq; Angelum hominis specie stantem contra se, euaginatum tenentem gladium; perrexisséque ad eum, & rogasse, *Noster es, an aduersariorum?* Angelum verò respondisse, *Nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Vnde etiam cùm in eodem libro tanti Ducis egregia facinora & insignes victoriæ narrantur, subiicitur, eum ope diuina vicisse: *Dominus enim Deus Israel pugnauit pro*
Iosue 10. *eo.* quibus verbis significatur, non Iosue, sed Dei tantas fuisse victorias, & illarum lau-
2. Mach.15. dem & gloriam ei tribuendam esse. Legimus etiam, Iudæ Machabæo ab hostibus obsesso, & in magnas angustias redacto, Ieremiam Prophetam in somnis apparuisse, atque dixisse: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israel.*
Iudic.7. Idcirco dixit Dominus Gedeoni: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manus tuas Madian.* & Ionathas, accendens armigerum suum ad confligen-
1.Reg.14. dum cum hostibus, *Non est*, ait, *Domino difficile, saluare vel in multis, vel in paucis.* Simili de
1.Reg.17. caussa Dauid Goliath gigantē ita affatus est:

Tu

Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel. Deinde, cùm iam Rex esset, numquam arma sumebat, nec ad bellum progrediebatur, nisi priùs Deũ adiisset, illũq; supplici precatione consuluisset. Ideo etiam Asa cum innumerabilius Æthiopum copiis pugnaturus Deum sic orabat: *Domine, non est apud te vlla distantia, vtrùm in paucis auxilieris, an in pluribus. Adiuua nos, Domine Deus noster: in te enim & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem.* 2. Paral. 14. Idcirco cùm Amasias Rex Iudæ copiosissimo & potentissimo exercitu conflato egressurus esset ad pugnam, eius conatus repressit quidam ex Prophetis his verbis: *O Rex, ne egrediatur tecum exercitus Israel: non est enim Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim. Quòd si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus: Dei quippe est & adiuuare, & in fugam conuertere.* Paral. 25. Quare etiam Debora in Cantico suo magnificè laudans Deus, ob insignem victoriã quam eius ope retulerat de Sisara Duce exercitus Iabin Regis Chanaan, sic ait: *De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Iudic. 5. Nec absimili ratione Dominus in tot sacræ Scripturæ locis ait: *Ego te defendam & protegam: Ego tecum ero: Ego tradam in manus tuas inimicos tuos:* vel, *Victus est Israel, quia Dominus*

voluit

voluit tradere eum in manus inimicorum eius: & alia permulta his non absimilia, quæ passim reperiuntur in sacris historicis & Prophetarum libris, quæque nobis ostendunt victorias diuino munere concedi, & prosperos belli euentus ab immortali Deo pendere, sine quo hominum fortitudo omnis infirma est, & flammæ stupeæ simillima. Quamobrem Constantinus Imperator, in bellum proficiscens, viros sacris initiatos comites sibi assumebat, vt pro eo preces Deo funderent; curabatque deferri tabernaculum ad Templi formam exstructum, in quo Sacerdotes sacra facerent, & diuina officia celebrarent. Denique hanc precandi formulam legionibus suis præscripserat: *Vnum te Deum esse nouimus, vnum te Regem intelligimus, appellamus adiutorem nobis: abs te victoria cecidit, ex te aduersarium fudimus.* Et, vt tandem absolutam, idcirco S. Ambrosius ad Gratianum Imperatorem scribens, qui profecturus ad bellum ab eo formulam fidei petierat, *Petis*, inquit, *à me fidei libellum, sancte Imperator, profecturus ad prœlium: nosti enim fide magis Imperatoris, quàm vitute militum, quæri solere victoriam.*

Euseb. lib. 4. de Vita Cõstant. c. 20.

In prologo lib. de fide ad Grat.

Capvt. XLII.

Admiranda prorsus & miraculis plenæ victoriæ auxilio diuino de hostibus reportatæ.

AD confirmationem eius pro diximus, multas & præcellentes victorias in historiis Ecclesiasticis reperimus, quas admirabiliter & miraculo quodam Christiani Principes, vel etiam Ethnici Christianorum precibus, cælestis Numinis auxilio de hostibus reportarunt. Quis tam illustrem & admirabilem victoriam aduersus Marcomannos & Quados Imperatori Marco Antonino concessit, nisi Deus, piis Christianorum precibus, & oratione legionis eius quam Fulminatricem dixêre, ab impetrata fulminum immissione; quibus perculsis hostium copiis terror iniectus est? Quis auctor fuit tot & tam insignium victoriarum quas consecutus est Constantinus Imperator, præter cælitum Regem, prælato sanctæ Crucis trophæo, tamquam regio vexillo, & armorum præsidio? Cuiusnam ope & auxilio Theodosius Imperator Maximum & Eugenium tyrannos prœlio vicit, nisi Dei eiusdem, qui sanctissimos Apostolos Ioannem & Philippum subsidio illi misit, ventos excitans, qui hostium spicula & sagittas in emittentes retorquerent? Cùm impius fidei desertor Iulianus cælesti virtute lancea confossus est, quis ei plagam inflixit, quis mortem attulit, præterquam ipse Dominus, in quem nefarius Imperator haustum è vulnere sanguinem iaculatus est, & vel inuitus coactus est vt à IESV Christo se

Tertul. Iustin. martyr. in Apol. & Euseb.

Theod lib. 5. cap. 24.
August. de ciuit. Dei lib. 5. c. 26.

victum fateretur? cuius rei confirmandæ gratia scribit Sozomenus, quendam ex amicis vel necessariis Iuliani, cùm esset in itinere, & penuriâ domestici hospitij in Ecclesia dormiret, per quietem vidisse complures ex Apostolis & Prophetis in vnum coactis iniuisse consilium quonam modo ei necem inferrent; & post deliberationem duos emisisse, qui, quod deliberatũ fuerat, exsequerentur, & impium de medio tollerent. Quis in illo celeberrimo conflictu dimicauit, in quo nemine è castris Honorij Imperatoris, Theodosij filij, desiderato, immo nec vulnerato, centena Gothorũ millia, (vt refert S. Augustinus) aut (vt Orosius) ducenta millia, ceciderunt, & cũ liberis suis eorum Rex Rhadagasi⁹, nisi Dominus exercituũ? vt ait S. Augustinus. Et sanè Beatus Ambrosius pridie illius diei, quo certatum est, apparuit Florentiæ cuidam Dei amanti, eique hoc ita fore prædixit. Quonam auspice & fautore Mascezel, eiusdem Imperatoris Dux, fratrem suum Gildonem in Africa deuicit? nonne eo qui eundem sanctissimum Antistitem Ambrosium paullo antè vita functum ad illum misit, victoriæ modum declaraturum, & tantum animi additurum, vt militum quinque millium manu septuaginta (teste Orosio) aut octoginta (iuxta Paulum Diaconum) hostium millia fuderit viceritq;, atq; ita ne districto quidem gladio

Sozom. lib. 6. cap. 2.

Aug. de ciuit. Dei lib. 5. cap. 23. Oros. lib. 7. cap. 37.

Oros. lib. 7. cap. 36. Paul. Diac.

de

de fero ac crudeli hoste triũphauerit? Quis iterum cum Alarico congressus est, nisi Dominus, cuius virtute & sanctæ Crucis præsidio hanc tantam victoriam obtentam fuisse testatur Prudentius, poëta clarissimus? atque in huius rei confirmationem asserit Orosius, simul atque, mutato Duce, summa belli commissa est Saulo Iudæo, vel pagano viro, mutatum belli euentum, tam infelici rerum conuersione, vt, fauore diuino in vltionem verso, vincerentur ij, qui freti Deo priùs vicerãt. Quòd enim Rhadagasius barbarus esset, & paganus, & quotidie Diis manibus ac inanibus simulacris hostias cædebat, & omnem Romanum sanguinẽ illis deuouerat, credebantq; Gentiles Diis propitiis ac fauentibus fore victorem: Dei misericordia & benignitate factum est, vt victus periret; is autẽ vinceret, qui, cùm esset Christianus, & humanior erat, & res sacras sanctamque Religionem in maiori reuerentia erat habiturus. Quis Theodosio minori, magni Theodosij nepoti fauit, &, terrore Persis auxiliariisque Saracenis iniecto, ad centum millia in Euphrate submersit? Quis Ioannis tyrannidem Rauennæ dissipauit, exercitu Asparis Angelorum præsidio per exsiccatas stagni vndas traducto? Quis missis è cęlo fulminibus atque ignibus alium barbarorum exercitum fudit, nisi idem Dominus? Tãta enim fuit pietate Theodosius iunior, vt

de gest. Roman lib. 3. cap 1.
Carol. Sig. de Occident. imp. lib. 10.
Prud. lib. 2. cont. Sym.
Oros. lib. 7. cap. 37.
Socrat lib. 7. cap. 22.
Socr lib. 7. cap. 23.

Dauidis & Theodosij aui imitatus exempla, cùm optimè sciret Deum esse Dominum ac moderatorem bellorum, ad eius opem confugeret, & orationibus victorias impetraret. Quis Heraclium Imperatorem de Cosdroa Persarum Rege triumphare fecit; eoque regno priuato, tot & tam vtiles ac opportunas Romano imperio ademptas prouincias restituere? Quis Burgundionibus de Hunnis oppressoribus & vexatoribus victoriam concessit, nisi eorum pietas, & sacri baptismatis vis admirabilis? quo, vt & fide, armati ter mille dumtaxat, hostium decem millia prostrarunt: quo factum est, vt in posterum Religionis Christianæ essent studiosiores. Quis Clodoueum Franciæ Regem, cum Germanis dimicantem, ex victo victorem fecit, nisi votum quo se obstrinxit, Christianum fore, si bello superior euaderet? Volebat nimirum Deus hac tam insigni victoria Clodoueum ad expiandum se sacro Lauacro, totum verò Franciæ regnum ad doctrinam fidemque Christi Liberatoris suscipiendam impellere. Quis eidem Clodoueo de Alarico Visigothorum Rege Ariano victoriam dedit, nisi Catholica fides, & Christianæ Religionis ardens studium? In cuius rei fidem misit Deus ceruam, quæ vadum ostenderet, per quod fluuium Vigennam, aquarum eluuionibus adauctum, exercitum transmitteret, & cum hosti-

Socr. lib. 7. cap. 30.

Paul. Æmilius lib. 1. Papyr. Mass. l. 1. in Clodoueo.

Car. Sig. lib. 16. de Occident. imper.

hostibus congressus cæsos dissiparet. Eiusdem beneficio Childebertus, Galliæ Rex Catholicus, Amalericum Visigothorum Regem Arianum, qui cõiugem suam, quòd Catholicam Religionem profiteretur, pessimè accipiebat, deuicit. Quis, nisi victoriarum Dominus, potuit tam validas Albigensium hæreticorum copias tam praua militum manu, quorum Dux erat Simon Montfortius, fundere, & in fugam compellere, & Petrum Aragoniæ Regem, qui hæreticis fauebat, neci dare, & tam gloriosam victoriã Catholicis concedere? Quis admirabilem illam Ioannam Nancei ortam virginem, octodecim annorum puellam, rure à custodia ouium extractam, animo virili & bellica fortitudine muniuit, vt Galliam ab Anglis oppressam armis liberaret, Regem Carolum septimum per medios hostes ad coronam regni suscipiendam Remos perduceret, Aurelias obsidione solueret, & denique tot & tam illustres de Anglis victorias reportaret? Quis temporibus Vrbani 2. summi Pontificis Christianos Antiochiæ à Saracenis obsessos pressosque liberauit, immisso ex cælo ad refrigerandum rore, submissis etiam tribus sanctissimis viris, quorum ductu & auxilio centum millia barbarorum strauerunt? Atque vt ex multis, quæ de Hispania dici possent, aliquid attingamus; cuius nisi præpotentis Dei fortitudine

Idem lib. eodem.

Papyr. Mass. lib. 4. in Carolo 7.
Palit. lib 23.

Æmil. lib. 4.
Guil. Tyr. lib. 6. c. 19.

ac virtute Mauros ex Hiſpania Chriſtiani e-iecerunt, tot & tam præclaris prœliis & victoriis? in quarum nonnullis viſus eſt D. Iacobus Apoſtolus, Hiſpaniarũ tutor & patronus, albo equo inſidens, armiſq; conſpicuus cõfligẽs, & magna ſtrage impios ac feros hoſtes obterens. Quis noſtrâ memoriâ in Germania, Gallia, Flandria Catholicis aduerſus hæreticos tot dedit & tã admirabiles victorias, ſi tamen illis cõmodè vti nouiſſemus, ac inter cæteras nouiſſimè clariſſimam illã, & memoria digniſſimã, quã Chriſtiani de Selymo Turcarũ Principe retulerunt, in qua anno ab ortu Chriſti ſeptuageſimo primo ſupra ſeſquimilleſimũ, Ioanne Auſtriaco, fœderis inter Piũ V. Pontificẽ maximũ, & Catholicum Hiſpaniarum Regem Philippũ ſecundum, & Venetã remp. icti Duce, fuſa ac diſſipata eſt vniuerſa Turcarum claſſis, captæ ſubmerſæq; centum & octoginta triremes, cæſa & in ſeruitutem redacta barbarorũ maxima multitudo, & crudeliſſimi tyranni fractus furor, ac repreſſa ſuperbia. Nullum ſcribendi finem faceremus, ſi vellemus huc congerere omnia quæ hac de re tã in Eccleſiaſticis quàm profanis hiſtoriis narrantur, & quæ Deus ac Dominus noſter effecit, vt oſtenderet à ſe ſolo pendere victorias, eaſque humili & grato animo à Principibus recognoſcendas. Atque ad hoc teſtificandum, aliquot dies feſti quotannis

in

in Ecclesia Catholica celebrantur, vt Christiani perpetua eos memoria colant, & immortales gratias pro victoriis, quas illis diebus sunt consecuti, Deo agant,

CAP. XLIII.

In quo pretio & honore Principi habenda est ars militaris.

IACTO hoc firmo & stabili fundamento, Deum esse Dominum exercituum ac victoriarum; reliquum, quod ad veram & Christianam fortitudinem spectat, Principi superexstruendum est: ac in primis militaris disciplina in pretio & honore est illi habenda, magnisque beneficiis cumulandi milites, qui vel antea in bellis insignia edidere, vel postea sunt (vt speratur) edituri facinora. Hæc verò illi agenda pacis etiam tempore, vt in bello vitam pro eo & sanguinem lubentiùs profundant. Neque enim negari potest, quin in armis & militum robore ac virtute rerumpub. tutela, conseruatio, & amplificatio posita sit, cùm sint regnorum nerui, Regumque firmamenta, & tutissima propugnacula. Milites enim sunt qui Religionem defendunt, ius & æquitatem tuentur, pacem conseruant, coërcent hostes, facinorosos & audaces supplicio coërcent. Illorum præsidio & auxilio potest colonus agrum arare & serere, vineam colere, fructus frugesq; terræ percipere, in suæ ficus

ac vitis vmbra ſine metu ſomnum capite; mercator nauigare, & regnum rebus neceſſariis abundans & opulentum reddere; virgo pudicitiæ ſuæ florem illibatum retinere; nupta ſecurè & abſque timore liberos ſuos educare; faber & opifex artem ſuam exercere; litteratus ſtudere; ſacris initiatus precationi vacare; Monachus in meditationibus perſiſtere, & in cælum manus attollere; Iudex ius adminiſtrare; denique Princeps liberum in ſuos dominatum exercere. Quis regna ſtabiliuit? quis maxima in terris imperia vel conſtituit, vel euertit? quis ignotas maris vias aperuit? quis in vaſtum & furentem Oceanum penetrauit, & cum horribilibus vndis & fluctibus depugnauit, & innumeras ac incredibiles nauigationis difficultates peruicit? quis nouum orbem patefecit & occupauit? tot & tam amplas prouincias & nationes domuit & ſub iugum miſit? quis, inquam, niſi magnus & inuictus militum ac nautarum fortitudine conſtantiaque munitus animus? nam, vt præclarè ait Cicero, *Rei militaris virtus præſtat ceteris omnibus: hæc nomen populo Romano, hæc huic vrbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parêre huic imperio coëgit: omnes vrbanæ res, omnia hæc præclara noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus & induſtria, latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis: ſimul atque increpuit ſuſpicio tumultus, artes ilico noſtræ conticeſcunt. quod ſi ita eſt;*

Cicero orat. pro Muren.

est; cedet, opinor, forum castris, otium militiæ stylus gladio, vmbra Soli : sit denique in ciuitate ea prima res, propter quam ipsa est ciuitas omnium princeps. Hæc Tullius. Neque solùm Cicero, Plato, Aristoteles, & alij sapientes totius orbis militarem fortitudinem miris laudibus extollunt, sed & Doctores sanctissimi, ipsáque adeò sacra Scriptura amplissimis verbis fortissimos Duces exornant, qui pro Deo, pro fide, pro Rege, pro patria, prœlia Domini prœliati sunt, & victorias insignes consecuti. Itaque notatu dignissimum est, in cæteris minis, quas populo suo intentat Deus, illam etiam per Isaiam Vatem numerari : *Auferam fortem & virum bellatorem, Iudicem & Prophetam.* Vt igitur ad diuinam vltionem referimus, cùm resp. caret bonis Iudicibus, qui iuris administratione in pace populum continent, & criminum vindicatione sceleratos coërcent, quíque peccata, bellorum semen ac radicem, impediunt; vt etiam irati Numinis argumentum est, dum Prophetam aufert, qui eam meritorum ac precum suarum præsidio fulcire debet, Deũ propitium reddere, eiusque sanctissimam voluntatem interpretari : sic offensi Dei signum est, cùm Ducibus & valentissimis militibus, qui ab hostium impetu possint defendere, nudat. nam hinc consequitur quod idem Propheta subdit: *Effeminati dominabuntur eis, & corruet populus.* vtque in iis nihil est

Isaiæ 3.

fortitudinis, nihil militaris virtutis, corruet populus, & deiecta respub. grauissimis cladibus opprimetur. Quare etiam ad hāc bellicam & militarem virtutem promouendā, & animandos nobiles ac viros strenuos, instituti sūt varij & illustres militares ordines, habitu distincti, & commendarum, quas vocant, honoribus ac annuo vectigali fructibusq; tamquam præmiis quibusdam locupletati, quas (vt æquitas postulat) dare cōuenit iis, qui ob præclarè facta promeriti sunt: in quibus distribuendis habenda est Principi maior ratio meritorum & virtutis, quàm cuiusuis rei alterius, vti suprà diximus. Primum igitur in quo Princeps fortitudinem & vim animi declarare debet, (postquam donum esse diuinum & cæleste recognouerit, & eam à Deo postulauerit) est in æstimandis, honorandis, & remunerandis fortibus & magnanimis viris, signiferis, ordinum ductoribus, legionum præfectis, & aliis eius generis, non gratia & fauore, sed ob longum in re bellica vsum & magna merita, constituendis: (malè enim alios instruet, quem vsus & experientia non fecerit in re bellica doctiorem) imitando ea parte Dauidem Regem, cuius factum in sacra historia librisque Regum narratur, in quibus singuli ex fortissimis illi⁹ Ducibus nominatim recensentur: atque speciatim refertur quanta quisque fortitudine polleret, & quo gra-

Lib.2.c.6. & 7.

2. Reg.23.

gradu alius alios antecederet. Sed vt eo genere fortitudinis, quæ Christiana est virtus, milites verè sint fortes, & non prædones ac depopulatores; Dei, non Satanæ, ministri; defensores patriæ, non oppressores; amicorum custodes, non perniciosi oppugnatores; Templorum ac rerum sacrarum tutores, non funestæ inferorum faces, quæ eas inflamment & absumant, (vt faciũt plerique militum) necesse est, Principem Christianum magnam rationem habere disciplinæ militaris, curareq; vt seuerè castigẽtur militum rebellio, contumacia, insolentia, rapinæ, iniquitas, rixæ, grauiora verò de iis supplicia exigantur, qui innocentes personas opprimunt, virgines & nuptas contumelia afficiunt; grauissima de Templorum violatoribus, ac sacratarum feminarũ Deiq; ministrorum vexatoribus. Neglecta enim hac militari disciplina & animaduersione, quo maior erit militum numerus, eo maior erit vastitas: & exercitus non erit fortium ac Christianorum militum exercitus, sed hostium & euersorũ generis humani perniciosa quædam colluuies. De ista militari institutione hæc Valerius Maximus: *Disciplina militaris acriter retenta principatũ Italiæ populo Romano peperit, & multarum vrbium, magnorum Regum, validißimarum gentiũ regimen largita est, fauces põtici sinus patefecit, Alpiũ Tauriq; mõtis cõuulsa claustra tradidit; ortaq; è parunla* Lib. 2. c. 8.

Romuli casa, totius terrarum orbis fecit columen. Ad hanc disciplinam militarem pertinet, à castris rescindere quidquid delinire & effeminare milites potest, vt luxum, delicias, mulierculas quas contra legem diuinam & militaria instituta secum trahunt: sicut fecisse legimus Agesilaum Lacedæmoniorum Regem. Iter enim facienti cum exercitu, multa oblata sunt partim ad vitam necessaria, partim ad mollitiem & illecebras spectantia; sed, reiectis voluptatum lenociniis, vtilia tantùm vitæ accepit. De Scipione Africano, Carthaginis euersore, tradunt historici, quòd cùm in Hispaniam aduersus Numantinos, ob victorias antea toties reportatas admodum insolentes, profectus esset, vbi cognouit mollitie Ducum, & militum incontinentia ac luxu, tot exercitibus perniciem illatam, ilico è castris magno scortorum numero pulso, & luxus ac deliciarum radicibus amputatis, ex victo victorem reddidit, & acrem illam atque animosam Numantiam, quæ totos quatuordecim annos imperio Romano terrori & formidini fuerat, incendiis exustam ruinisque prostratam solo æquauit. Idem fecit Quinctus Metellus in bello Iugurthino, exercitumque suum à deliciis ad pristinæ militiæ disciplinam reuocauit. Denique omnibus magnis Ducibus hęc militaris disciplina ac seueritas tantæ fuit curæ, vt quidam ex illis huius

Plutarch in Apoph. Lacon.

Valer. Max. lib. 2. c. 7.

Valer. Max. lib. 2. c. 7.

Plin. c. 62. de Viris illustrib.

huius conſeruandæ gratia liberis ſuis vitam ademerint. Capta ab Alphonſo Rege VI. Toleto vrbe, & multis opidis ac populis in poteſtatem redactis, ita fracti ſunt ac debilitati Maurorum animi, vt per multum tempus arma capere non fuerint auſi: atque ita factum, vt Chriſtiani ſumma quiete & pace fruerentur, eiusque dulcedine capti, otio & voluptatibus deliniti, remiſſa multum priſtina virtute, robur illud, quo antea pugnabant, prorſus amitterent. Cùm igitur poſtea Hali Almorauidum Rex Toletanos fines cum numeroſo & forti exercitu inuaderet, nec poſſet Alphonſus Rex ob ingraueſcentem ætatem & morbos arma capeſſere, & hoſtibus obſiſtere, filium ſuum Sanctium cum copiis miſit: qui victus & cæſus fuit ad Veleſſium, (Vrceſiam quidam vocant) milites enim quos ducebat, illecebris deliniti, otio atque voluptatibus effeminati, manibus obtorpeſcentibus prœlium inibant; nec ea erant virtute, qua, cùm aſperiùs educarentur, ad labores & Martem obduruerant. Rex igitur, tanti dedecoris ac ignauiæ hanc eſſe cauſam intelligens, balnea, & alias domos ad voluptatem factas, ſolo æquari iuſſit, curauitque vt milites labori ac rebus aſperis, vt antè, vſu & exercitatione aſſueſcerent: atque ita amiſſum decus recuperatum eſt. Verùm hæc militaris diſciplina ſeruari non poteſt, niſi militibus ſtipendia

iusta persoluantur. cùm enim hæc non dantur, omnia sibi licere arbitrantur. Quare sapientes & experti viri tradunt primum militaris disciplinæ caput & quasi fundamentū positum esse in bene accipiendis & debito stipendio afficiendis militibus, vt sic occurratur amicorum incommodis, & aliis inauditis damnis, quæ militum victum quærentium insolentiâ & audaciâ importantur. nam, vt grauiter dictum est à Cassiodoro, *Disciplinam seruare non potest ieiunus exercitus: dum, quod deest, semper præsumit armatus.* DEVS etiam præcepit populo per terras Esau (quæ amicorum erat) iter facturo, vt omnia ad victum necessaria, aquam etiam, pecunia coëmeret, nec vllum damnum inferret. Sed quoniam persæpe Principes pecuniam dant persoluendis militi stipendiis, quæ tamen ob auaritiam & iniquitatem ministrorum non numeratur; debet Princeps debiti militibus auri fraudatores graui supplicio coërcere, hoc enim crimen est grauissimum, & multorum malorum semen: quoniam non solùm miles sanguine suo Rempubl. defendens mercede laborum defraudatur, contra omnem iuris æquitatem; sed etiam ei occasio datur rebellandi, prælium & Principis obedientiam, quando opus est, detrectandi, amicorum fines diripiendi & vastandi; vnde sæpenumero accidit, vt à Princi-

Cassiodor.

Deut. 2.

Principe ſuo deficiat, illique non obſequatur. Denique ſi Princeps habere cupit bonos & fortes milites, curandum eſt illi diligenter, vt nobiles & populares ſuos pacis tempore ſimulatis prœliis exerceat, militaribus ludis & agitationibus aſſuefaciat: cuiuſmodi ſunt, digladiari, iaculari, currere, ſaltare, luctari, natare, venari, armatum incedere, agitare equum, omni armorum genere ſcienter vti, & alia id genus, quibus deſidiam vitent, & ad militiæ labores ferendos reddantur aptiores: quoniam, vt ait ſanctus Hieronymus, *Corpus aſſuetum tunicis lorica onus non fert, caput opertum linteo galeam recuſat, mollem otio manum durus exaſperat capulus.* Romani, quàm diu eorum Reſpubl. floruit, magiſtros qui ad iſta & generis eiuſdem, & præſertim ad artem illam gymnaſticam, à Platone tantopere laudatam, tyrones exercerent, publico ſtipendio alebant; &, teſte Vegetio, nulla alia re ſibi orbem terrarum ſubegêre, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſuque militiæ. Illos enim Græci artibus prudentiaque Afri aſtu, Hiſpani viribus corporum ſuperarunt; ſed armorum exercitium & militarem diſciplinam ſic coluere, vt hoc vno præſidio omnes orbis nationes domuerint & ſubiugarint. Lacedæmonij iuuenes ſuos diligenter exercendo, & ad omnem laborem perferendum à primis incuna-

Epiſt. 1. ad Heliod.

Lib 2. de re militari.

Plutarch. de inſtit. Lace.

incunabulis instituendo, fortes ac robustos milites efficiendo, in ditionem ac potestatem suam redegerunt Athenas & Græciam omnem, togæ magis & deliciis quàm militiæ deditam: postea verò iidem Athenienses, cùm aliam viam ingressi, mutatisque consiliis liberos suos asperiùs educauêre, facti sunt ex victis victores, Lacedæmoniosq; subegerunt. tantum valet educatio, & militaris exercitatio, quibus homo iam inde à primis ætatis exordiis est assuefactus. Sed in primis maximè hanc rem adiuuat & promouet ipsius Principis exemplum: plurimum enim subditorum animi excitantur, cùm vident in armis occupari, eorumque exercitatione se ad militiæ munera habiliorem & aptiorem reddere, vt leges Hispanicæ loquuntur. Atque hæc sunt quæ de militari & Christiana fortitudine scribenda occurrerunt: aliis scriptoribus & prudentibus Consiliariis relinquo decernendum quibus de causis Princeps iustum bellum suscipere & gerere possit, & quàm prudenter & circũspectè (cùm scilicet aliter rebus suis prouidere nequit) susceptum bellum administrare oporteat, quibusq; rationibus & stratagematibus vti. Huiusmodi enim ab instituto meo sunt aliena, & ab eo quod mihi initio propositum in his meis libris: quos eo solùm consilio scripsi, vt intelligerent Principes quanto studio Deum colere, quanta

Par. 2. tit 5. l. 19. & 20.

cura

cura Religionem Christianam & veras perfectasque virtutes amplecti debeant, si quidem principatus suos saluos & incolumes velint. quod satis hactenus declaratum esse arbitror.

CAP. XLIV.

Epilogus, & breuis per Capita dictorum collectio.

NON ero scribendo longior, ne in immensum excurram; eoque maximè, quòd hæc sapientibus & Reipubl. curis occupatissimis scribam: quare etiam à reliquarum virtutum, quæ Christiani Principis peculiares ac propriæ sunt, explicatione temperabo. ex iis enim quas hactenus exposui, tanquam principalibus & vberrimis fontibus, manant reliquæ: & illas qui possederit, cæteras omnes possidebit. Reliquum est igitur, vt quàm maximè possum obsecrem & per Christi viscera obtester Principẽ quemque, Reipub. Gubernatorem, Consiliarium & ministrum regium, qui hæc nostra leget, vt attentè & diligenter consideret quo studio totius orbis nationes, quantumuis vero lumine priuatæ, vecordes & barbaræ Religionis semper pietatisque cultum procurârint, iudicantes absque hac pia cura saluos se & à periculis tutos esse nõ posse. Circumspiciat etiam quid Philosophi omnes & sapientes viri de cultu & honore Deo debito

tradi-

tradiderint, quantumq; quotquot vnquam fuerunt Respub. (Romana præsertim, cæteris prudentior & potētior) in falsorum Deorum veneratione enituerūt, amplitudinem suam illis acceptam ferentes, & imperij fasces submittentes. Hæc enim si parte vna iusta lance ponderet, alia verò quanto interuallō nostræ Religionis sanctitas, amplitudo, ac maiestas à despicatissimo falsorum Deorum cultu & inanium superstitionum exsecrabili vanitate distet, pigebit & pudebit intuentem qua sedulitate in Dæmoniis cultum incubuêre quondam Gentiles, & quàm exigua sit Christianorū cura in eo colendo & adorando, qui verus & vnicus est Deus, summum & infinitum bonum, rerum omnium principium & finis, Rector huius vniuersi, Dominus imperiorum omnium; qui ea dat & aufert pro suo arbitratu & voluntate; qui tot nominibus ac causis dignus est, ea vt illi cæremonia & Religione seruiatur, quam nobis de cœlo tulit. Hæc Religio est clarissima quædam & purissima lux, qua media ipsam lucem cæterasq; res omnes adspectabiles videmus; quæ nos collustrat, vt eius præstantiam æstimemus, & res ipsas, quas ipsa nos docet, intelligamus. Hæc palàm prædicat, prouidentia quadam diuina res omnes administrari, eamq; potissimùm in hominibus curandis occupari, bonis maximè, quos patris in modum complectitur, præser-

præſertim Principes, quos ſuauiùs & accuratiùs tractat; quamobrem his conandum, vt in Dei cultu inter cæteros emineant. Principibus enim piis & religioſis Deus non vulgariter fauet, eosque in terris temporaria felicitate proſequitur, in cœlis ſempiterna. Habeat itaque Princeps prę oculis piiſſimorum aliorum Principum exempla, qui regiam hanc viam ingreſſi, imperia ſua conſeruarunt; & contrariam inſiſtentes, turpiter perdiderunt. Meminerit etiam promiſſionis & iuriſiurandi quo Eccleſiæ ſuam fidem Chriſtiani Reges tum obligant, dum ſacris cæremoniis vncti regiis inſignibus ornantur: nam cum diademate poteſtatem regiam ab Eccleſia per manus Sacerdotum acceperunt, vt eandem Eccleſiã ſibi colendam & protegendam intelligant. Ducem ſequatur ſplendidam illam rationis lucem, quam Deus mentibus noſtris infudit; noſq; edocet, Principes omnes miniſtros eſſe & vicarios eiuſdem; quemuis verò adminiſtrum, ea quæ commiſſa concreditaque ſunt, non pro ſua, ſed pro Dei committentis voluntate procurare debere. Neque verò contentus ſit, ſi Religionis ipſe cum familia curam habeat, ſed vt ſubditi idem faciant connitatur; videatq; quos ritus quamque Religionem obſeruent, ne in regno ſuo ſectas opinionibus diſcrepãtes admittat: quæ cùm inter ſe coniungi conuenireque non poſſint,

remp.

remp. tumultu, seditionibus, ac nouis semper motibus perturbant, errorum veneno inficiunt & inflammant, ardentemque absumunt; quemadmodum nos experientia edocet, &, quem hodie videmus, miserrimus Ecclesiæ Christianæ status, quem peperit Principum in Religione dissimulatio aut conniuentia. Horreat & reformidet seuera illa & terribilia supplicia, quibus Deus ob eiusmodi indulgentiam & dissimulantiam Principes olim affecit: siquidem nulla illis cura maior & vigilantia adhibenda fuerat, quàm in Religionis integritate conseruanda, vt quæ fundamentum sit, & columen, quo regnorum ac principatuum omnium nititur conseruatio. Sed aduertat, ita sibi subditorum procurandam Religionem, Catholicam fidem Ecclesiamq; tuendam, vt nec fidei censorem nec Religionis iudicem agat, nec se rebus aut personis Ecclesiasticis præpositum arbitretur: nam reuera Ecclesiæ Rector aut Præfectus non est, sed filius ac propugnator; cuius est, matris auctoritatem ac sententiam audire, reuereri, & aduersus hostes defendere. Et si quando grauem errorem (quæ hominis infirmitas est) admiserit, ingenuè culpam agnoscat, & expiandus Ecclesiæ censuræ ac correctioni se subiiciat; plurium ac summorũ Principum exemplo, qui ob hanc animi demissionem religiosissimorum Principum nomen

& fa-

& famam immortalem sunt consecuti: neq; enim hominum, sed Dei potestati, cuius ministri & instrumenta sunt Sacerdotes, & à quo excommunicationis sententia, quam hi veluti fulmen quoddam iaciebant, procedebat, capita submittebant. quam etiam ob causam eosdem Christi Mystas reuerebantur, & summa veneratione obseruabant; Templa, vtpote loca diuino Numini consecrata, colebant; ab Ecclesiæ bonis & vectigalibus, tanquam à rebus sacris & Dei cultui dicatis, ministrorum alimentis, pauperum leuamine, peccatorum fidelis & Christiani populi pretio, oculos manusque continebant. Atque hæc quidem breuissimè & quasi compendio de Religione perstricta semper habeat in memoria Princeps. Sed & illud etiam intelligat, eiusdem Christianæ Religionis eam esse præstantiam, vt in ea sola veræ & solidæ virtutes reperiantur: quas verò Philosophi & Gẽtiles Principes (quantumcunque auctorum scriptis celebrentur) habuerunt, aliud nihil fuisse, quàm imaginem quandam vmbramque virtutum. Nouerit etiam, in quocunque Christiano, magis verò in Principe, non simulatas ac falsas, sed veras & firmas virtutes esse oportere. nam Deus ac Dominus noster, qui bonum infinitum est, syncerum, & maximè simplex, plurimùm à fictione abhorret, acriterque eos coërcet, qui virtutem mentiuntur, eius-

que simulatione populum fallunt. Etsi verò illud demus, Principi cautè, secretò, & dissimulanter multa facienda, & omni armorum genere instructum esse oportere, ne ab aliis Principibus ac fictis amicis impellatur in fraudem; illi tamen hæc tanta moderatione præstanda, vt Machiauelli discipulum non agat, nec ob serpentis calliditatem à columbæ Christianaque simplicitate discedat. Persuadeat etiā sibi, inter omnes virtutes, quibus Principem exornatum esse oportet, secundas à pietate & Religione partes iustitiæ deferendas: cuius tanta vis est, vt nullum regnum, nulla prouincia, ciuitas nulla, nullum oppidum, nullus pagus, nulla familia, latronum nulla societas sine huiusce virtutis præsidio cōseruari queat. Vt autem Princeps iustus habeatur, partiendos illi honores & Reipubl. bona in eos priùs qui virtute sua promerentur, & in eam singulari officio & fide exstiterunt, quàm opulentos, aut qui nobilitatem iactantes vita & moribus à progenitoribus quàm longissimè absunt, eorum splendorem vitiis suis quasi tenebris quibusdam obscurant, mores optimos corrumpunt, & pessimis exemplis omni genere vitiorum rempubl. inficiunt. Præterea ad beneficia remunerāda promptior sit, quàm ad iniurias vlciscendas; porrò in muneribus dandis hæc duo obseruet: alterum, vt maiorem habeat rationem eorum, qui cùm verè pro-

promeriti ſint, liberalitatem tamen Principis non requirunt, quàm qui ſine vllis officiis vehementer poſtulant: alterum, vt tanta largitate & gratia donet, vt cum ipſa beneficentia donum augeatur; & qui recipit, benignitate potiùs Principis, quàm munere, obſtrictũ ſe ſentiat. Aſſiduè cogitet quid inter verum Regem & tyrannum interſit: & officium Regis quàm ſimillimum eſſe boni paſtoris officio; cuius eſt, gregem paſcere, tueri, pinguefacere, ac tondere, non deglubere. Ne igitur populum vexet, à vectigalibus ac tributis exigendis, quoad fieri poterit, abſtineat: cuius rei gratiâ multiplicandis vſuris æs alienum ſibi creſcere non patiatur; inanes ac profuſos ſumptus effugiat, inutili quoque largitione & effuſione facultatum reſecta, expenſas & impendia honeſtate & vtilitate metiatur; qui publicam rem ſedulò adminiſtrant, remuneret, & beneficiis afficiat; rei verò malè adminiſtratæ & peculatus conuictos quàm ocyſſimè acerrimeque puniat. Cùm verò publica neceſſitate cogente tributa maiora imponit, ita faciat, vt populares intelligant non voluntate, ſed neceſſitate exigente ad hoc impelli. Atque, vt ex opibus plus vtilitatis capiat, attentè videat, & diligenter curet, ne regij fructus & vectigalia cum popularium onere & damno Deique offenſione exigantur: nam qualeſcunq; reditus qui cum pec-

cato exiguntur, teste S. Gregorio, instar ignis sunt, reliquas opes consumentis. Et quanquam omni cura illi elaborandum est, ne cui ex subditis fiat iniuria, tamen longè diligentiùs curandum est ne pauperes ac ærumnosi opprimantur. Det etiam operam, vt fauorem experiantur & foueantur tum coloni agrorum, qui naturalibus diuitiis regnum alunt, suntq; Reip. nerui; tum mercatores, qui eandem locupletant, & negotiatione necessaria procurant, vt hoc modo vniuersum regnum diuitiis abundet, &, cùm grauis necessitas exiget, Principi subsidio esse possint. Cùm autẽ Princeps per se omnibus aures præbere nequeat, nec lites æstimare, aut cõtrouersias dirimere, nec sontes punire, nec hanc iustitiæ partẽ solus obire: magna solicitudine perquirat qui in vniuerso regno cæteris integritate animiq; magnitudine præstare putantur, & à quæstus cupiditate & auaritia sunt remotiores, quos præter doctrinam iustitiæ studium & amor apud cæteros commendat; iis iudicandi potestatem committat, iisque commendet, vt nulla habita personarum ratione, seueritatem cum clementia ac mansuetudine coniungentes, quatenus publica res postulauerit, ius administrent. Verùm non satis sit Principi, Iudices eiusmodi adlegisse, sed super illis excubet, & velut è specula oculis illos circumquaque collustret; vt bonis animos

addat, & iniquos ac iustitiæ euersores coërceat. in hac enim Principis inspectione, & quasi perpetua vigilia, vita & salus Reip. cõsistit. Certò sciat, iustitiæ à se obseruãdæ præcipuam partem esse promissorum fidem, dictorumque constantiam, & ad conscientiæ Religionem, ad Principis existimationem, ad obedientiam & exemplum subditorum, ad commercia, fiduciam, & securitatem externorum, & ad conseruandum imperij statum firmissimum munimentum esse fidem; hominibusque persuasum esse, Principis dicta pactaque rata ac firma plus virium obtinere, quàm priuatorum syngraphæ omnes ac tabulæ. Hæc omnia spectant ad iustitiæ virtutem, cuius studiosum & tenacissimum esse Principem oportet; ea tamen moderatione, clementiæ vt meminerit, sine qua iustitia crudelitas est, & regna concidunt, quæ seruat augetque Principis humanitas & mansuetudo: nec minùs etiam eiusdem liberalitas ac magnificentia, qua debet vti cùm in omnes subditos suos, tum speciatim (vt antè dixi) in pauperes & miseros, ac Remp. vniuersam, si quando publica eam clades afflixerit; hæc enim munificentia amabilem reddet Principem. Eundem amorem conciliabit modestia ac temperantia, amputato ex vniuerso regno omni luxu, accisis immodicis & inutilibus expensis, quibus egentissima redditur Resp. pulsa procul

quauis petulantia ac turpitudine, quæ regnum inficit, corrumpit, & funditùs euertit. Et quoniam negotia Principum multa sunt, varia, magna, vniuersa, ex quibus publica salus pendet; nec quisquam adeò sapiens est, & vndequaque perfectus, vt solus per se omnia cōplecti possit: necesse est apud se habeat Princeps, qui consiliis illū iuuent, expertos, prudentes, virtutibus excultos, domini sui amantes, boni publici studiosos, qui modesta libertate sententiam suam dicant, & magis obsequium & vtilitatem heri sui, quàm eius appetitus & libidinem, aut proprium quæstum, sequantur. Hinc enim discernitur fidelis Consiliarius ab ficto & assentatore: oporterque Principem cautū esse, & circumspectum, vt alterum ab altero internoscat, nisi extremam perniciem adire velit, & suauiter mori. Hęc Principem docebit prudentia quam petere debet à Deo immortali, si regni sui statum (cuius salus ab eo dependet) firmum ac perpetuum retinere velit. Quare etiam seruet leges omnes & regulas quas vera & Christiana prudentia nos edocet, quarum nonnullas suprà retulimus. Denique ad extremum debet Christianus Princeps fortitudine & animi magnitudine præcellere; vt illum subditi reuereantur, hostes metuant. Sed vt hāc tam necessariam virtutem consequatur, intelligat è cœlo, vt & cæteras, exspectandam, munere

& con-

& conçessu eius qui Deus exercituum est, & victoriarum Dominus, & cui vult impertit. Connitendum nihilominùs Principi eam vt nanciscatur, adhibenda media & adiumenta ad parandum opportuna. Eiusmodi ferè sunt, bonos milites instituere, iuuentute seueriùs ac duriùs educata; honorare & remunerari fortissimos quosque, qui præclaris facinoribus in bello quondam editis de Principe suo optimè fuerint meriti, aut in posterum merituri existimantur.

Hæc est omnium rerum, quæ à nobis hactenus tractatæ sunt, compendiaria quædam summa: hoc Christiani Principis expeditum ac regium iter: hic scopus in quem collimandũ Principi, si imperia & status cõseruata velit: hæc sola est, Christiana, vera, & certa politici status ratio & disciplina, quam secuti Principes imperia sua conseruârunt, deserẽtes verò labefactârunt & perdiderunt, quemadmodum ex dictis manifestum est. Propterea Dauid Rex sanctissimus ait: *Et nunc, Reges, intelligite; erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta. Terribilis enim est Deus, qui aufert spiritum Principum, terribilis apud Reges terræ.* & eiusdẽ filius, sapientissimus Salomon, eosdẽ Reges alloquens, *Si*, inquit, *delectamini sedibus & sceptris, ô Reges populi, diligite sapientiã,* Psal. 2. Psal. 75. Sap. 6.

Vt in perpetuum regnetis: diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populis. Ea verò ſapientia, quam à Regibus hoc loco exigit Spiritus diuinus, alia non eſt, quàm veræ ac ſanctæ Religionis ſancta cognitio, ſumma reuerentia, perfecta obedientia: Religio enim eos colluſtrat, & vero lumine perfundit; ſine qua nulla eſt lux, ſed tenebræ; nulla ſapientia, ſed ignoratio, nulla ſecuritas, ſed pernicies regnorũ, & ruina principatuum. Nam ſi Deus ad regiam dignitatem Principes euexit, quis meliùs conſeruabit quod illis largitus eſt, quàm idem Dominus, qui hoc ipſis etiam immerentibus conceſſit? quis præterquam Deus, mentes eorum illuminabit, vt in conſiliis rectè diſcernant? quis eorum voluntates diriget, vt ab æquitate in iudiciis non deflectant? quis eorum affectus moderabitur, ne ab his abrepti præcipites agantur? quis, bellorum ſeminibus & radicibus euulſis, pacem illis ac tranquillitatem, aut, ſi bellum neceſſariò eſt gerendum, fortitudinem ac robur & certã de hoſtibus victoriã dabit? quis, niſi opum Dominus, eos diuites reddet? quis, præter creatorem rectoremque mundi Deum, glorioſos efficiet, famamque nominis per orbem terrarum vniuerſum propagabit? quis vitam, ſalutem, progeniem, placidum & conſtantem animũ præbebit, niſi qui vita, ſalus, ac gaudium eſt eorum omnium, qui in ipſum ſpem defi-

defigunt? Quid illis deesse poterit, si Principem istum ac summum Regem adiutorem habent? quid adesse, si non habent? aut quî poterunt Deo fauente ac propitio vti, nisi illum agnoscant, illi seruiant, eius Legi obsequantur, & omnino curent vt ipsorum subditi illi morem gerant, & sacratissimam Religionem obseruent? Hæc tabula, hoc speculum marinum, in quod omnes nauarchi & gubernatores intueri; hæc pyxidicula vel acus nautica, cuius beneficio cursum suum dirigere; hæc arctos, in quam oculos semper fixos ac intentos habere debent; vt inter tot procellas & pericula sibi à Deo commissam reipub. nauim saluam & incolumem conseruent, & ad æternæ salutis portum secunda nauigatione perducant. Nam qui aliter faciunt, sese transuersos agunt, regna & status suos euertunt, incurruntque in metuendas atque horribiles illas minas, quas Deus per Ezechielem Prophetam iactat his verbis: *Viuo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos, & subiiciam vos sceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis.* Nam constans & æterna est veritas, quam de Ecclesia prędixit Isaias: *Gens & regnum quod non seruierit tibi, peribit.* Placet hosce libros admirandis sanctorũ Ambrosij & Bernardi verbis concludere. Sanctus Ambrosius ad Valentinianum Imperatorem scribens, *Nibil,*

Ezech. 20.

Esaiæ 60.

Lib. 5. epistola 30.

inquit, *maius est Religione, nihil sublimius fide. aliter enim salus tuta esse non poterit, nisi vnusquisque Deum verum, hoc est, Deum Christianorum, à quo cuncta reguntur, veraciter colat: nam fides seruabit imperium*, & rursus in eadem epistola: *Quòd si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant: quisquis hoc suadet, sacrificat; & quisquis hoc statuit.* Hæc Ambrosius: ex quibus licet perspicere, salutem imperij fide niti; & qui secus senserit dixeritve, fidei ac Christo aduersa-
Epist. 243. rium esse. Sanctus Bernardus ad Conradum Imperatorem, cùm dixisset non minùs interesse Cæsaris, quàm propriam tueri coronam, Ecclesiam defendere; quia alterum Regi, alterum Ecclesiæ aduocato conueniat; tandem concludit in hæc verba: *Si quis aliud, quàm locutus sum, vobis* (quod non credimus) *suadere conabitur, is profectò aut non diligit Regem; aut parum intelligit quid regiam deceat maiestatem; aut certè quæ sua sunt quærit, & non valde, quæ vel Dei vel Regis sunt, curare conuincitur.*

FINIS.

INDEX



INDEX CAPITVM.

LIBRI PRIMI.

XI *Quæ*

XXVII.

LIBRI SECVNDI.

V. De

FINIS.

Conf. Deus virtuti suae non invidet alienae

In nomine Dni nri Jesu Xri
Crucifixi Amen.

Ame [illegible]



